C. L. SALMASII

DEFENSIO REGIA

PRO

CAROLO, I.

Ad Sereniſſimum Magnæ Britanniæ

REGEM

CAROLUM II.

ilium natu majorem, Hæredem &
ſucceſſorem legitimum.

Editio nova ab Auctore aucta &
recognita.

CANTABRIGIÆ:
Apud *Franciſcum Hicks*, 1684.

X821M64
P21
1684

PRÆFATIO DEFENSIONIS.

HOrribilis nuper nuncius aures noſtras atroci vulnere, ſed magis mentes, perculit, de parricidio apud Anglos in perſona Regis ſacrilegorum hominum neſaria conſpiratione admiſſo. Quoſcunque infandus hic rumor attigit, haud ſecus ac ſi fulmine adflati eſſent, derepente his arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit. *Si qui molliore ingenio nati ſunt, lacrimas etiam non tenuerunt, nec abſtinuere gemitu. Fortius verò animati, tanta indignationis flamma exarſerunt ut vix ſe caperent. Nemo certe non diras imprecatus eſt tanti ſceleris, tam inauditi, tamque inviſitati auctoribus. Vt enim improviſa magis feriunt, ita inopinatos cum oppreſſiſſet res adeo nova, nemo ſic ferus ac ferreus repertus eſt, atque ab omni ſenſu humanitatis alienus, vel à regiæ majeſtatis reſpectu averſus, cujus in pectore luctum privatum cum publico mœrore conjunctum non excitaverit miſerabilis tam ſacri capitis & mirabilis cædes. Fatendum quippe eſt ex quo regium in orbe nomen gubernandis populis natum notumque fuit ad hæc uſque tempora, quæcunque in medio ſæculæ fluxere nullum ſimile huic factum vidiſſe nec audiviſſe. Ejuſmodi certe eſt ut inter probra ſæculi nunc memorari debeat, inter portenta olim numerandum, niſi fides hiſtoriæ noſtræ laboret apud poſteros vix credi-*

1037776

dituros quicquam tale hoc ævo contigisse. Enimvero vel ad securitatem suam temporum sequentium interest ut pro fabula habeatur, quod gestum hodie negare non possumus. Nam si repertæ nunc sunt belluæ tam immanes sub humana facie, quæ eo usque vesaniæ nullo exemplo prioris ævi incitatæ processerunt, quid putamus olim futurum ubi exemplum proditum fuerit quod sequantur aliquando gentes aliquæ, quæ sciant & credant nostra ætate rem eam fuisse perpetratam, quam ipsæ videantur posse cum venia imitari? Longe itaque magis expediet venientium post nos annorum hominibus, si in monumentis nostris hanc historiam legerint eodem modo & pari incredulitate, qua boves loquutos, anues retroversos, statuas sudantes, pluvias sanguineas, hodie in priscis memoriis videmus. Hoc vero interest quod prodigia ejusmodi per se innoxia, sed tanquam futuræ alicujus cladis prænuntia cum voluptate & risu transire solemus. Nam pleraque eorum quæ pro ostentis apud antiquos habita sunt, causas interdum habuere naturales, quamvis sint ex raro contingentibus. Istud vero quod factum jam detestamur quia nunquam factum fuisse miramur, cum instar prodigii sit habendum, quod nec in homines posse cadere putaremus nisi jam cecidisse videremus, si pro incredibili non est habitura posteritas, cum malo id suo maximo creditura est. Quod enim fidem superat, præcipue si contra bonos mores fiat, si humanitati bellum indicat, si in crimen nefandum cedat, quando mox fidem nanciscì incipit, quasi obice sublato fas omne abrumpit, & quod vetitum antea fuit, præjudicio quodam ut licitum esse videatur, quia factum sit, facit. Inde est quod cum majore excusatione peccant qui ad peccandi magistrum exemplum provocant, quique patrocinium sceleris sui in scelere simili

quod

quod antea commissum fuisse constiterit, reperiunt. Hac ratione quod in Anglia factum facinus cum horrore accepimus, quia exemplo caret, tanto minus ignoscendum, magisque adeo execrandum, curandumque enixius ne hoc ipso tempore penetret ad plures, & ne pro exemplo sit perniciem trahente venieus in ævum. Digni itaque omnium odio & insectatione qui fecerunt, dignissimique porro quos flamma ferroque persequantur non solum quotquot sunt in Europa reges & principes jure regio imperantes, sed etiam omnes magistratus, omnesque adeo respublicæ bene constitutæ & moratæ. Hæc enim fanaticorum factio non sola regum solia appetere gestit, sed omnes potestates quas ipsa non fecerit conatur subvertere, cum nihil aliud nisi rerum mutationem captet & cupiat, non solum in republica sed & in Ecclesia, cum perpetua novandi libidine, qua sibi imperandi omnibus nullique parendi licentiam adstruat. Dum id assequantur quod volunt, pari studio de republica regnum constituere parati, ut de regno rempublicam nunc efficere contendunt. Non solum regnorum subversionem, sed etiam legum eversionem sibi cordi esse satis ostendunt. Nec enim regem suum legitimum tollere alia via potuerunt nisi per omnium legum quibus regnum illud erat fundatum abrogationem. Ne quis autem erret, non pro regio regimine popularem constituere gubernationem in animo unquam aut voto habuerunt. Res ipsa indicat quid voluerint. Pro uno rege quadraginta tyrannos imposuerunt, cum triginta sibi sufficere crediderit olim Atheniensium civitas, plus satis onerata si vel unum perpessa esset. Nam quanto rei malæ plus est, tanto gravius & pejus est onus. Cui autem dubium est si unus ex illis Triumviris Anglicanis, sceleste in regem factionis ducibus & antesignanis, in republica natus

esset, quin eundem animum ad eam evertendam allaturus fuerit, quem attulerunt ad regem tollendum? Regem quidem apparet eos sustuliſſe, sed nec minus manifeſtum eſt regnum ſibi retinuiſſe, dum quod ſub uno erat in plures diviſerunt, & triginta ac ſeptem ſocios tyrannidis adſcivere qui imperium ſecum tenerent, gravique & intolerando ſervitio cives ſuos premerent. Nam ſub ſpecie libertatis tyrannidem ſæviſſimam velle eos exercere vel cæcis clarum eſt. Vocari illi ſe quidem libertatis publicæ cuſtodes, *in actis publicis poſtulant. Æque bono jure latro qui viatorem ſpoliaſſet, ſe crumenæ ejus cuſtodem appellari vellet. Ita draco gazæ cuſtos eſt cui incubat, à nemine tangendæ. Ita avarus pecuniæ pauperibus extortæ curam gerit, quam arca conditam ſervat nulli erogandam. Ita fur cuſtodiam ac tutelam habet rerum, quas domino ſurripuit. Egregios ſcilicet libertatis conſervatores & vindices, quam regi primum eripuerunt, deinde & Senatui! Nec libertatem eripuiſſe contenti, vitam etiam porro pluribus procerum injuſto judicio ademerunt, poſtremo & regi, nequid ad ſummam deeſſet ſceleris, quod una hac impietate ſuprema cumulatum reddiderunt. Regnum nolunt, niſi ſuum ſit. Reges abominantur niſi ipſi ſint. In republica ſi eſſent magiſtratum averſarentur quem ipſi non conſtituiſſent. Ita rempublicam amant in regno, in republica regnum, ſed utrobique imperium affectant, nec quemquam regnare aut imperare præter ſe juſtum atque æquum exiſtimant. Inde eſt quod* Independentium *nomen adoptarunt, utpote qui à nemine pendere, & à ſe omnes volunt. Ex ſectæ ſuæ præſcripto nullum bonum regem putare poſſunt qui vel optimum non ferrent, cum palam profiteantur, dominatum regium cujuſcunque principis, licet in eo virtutes*

omnes

omnes rege dignæ eminenter elucerent, reipublicæ inutilem esse, immo grævem. Tantum eos odium regiæ appellationis tenet, cum potestas ipsa perplaceat, ut ab ipso Deo oblatum regem non recepturi videantur, jam datum deturbaturi; sanctiorem quinimmo ipso Davide, Salomone sapientiorem nullo modo toleraturi. An miretur jam aliquis si regem nulli veterum Christianorum regum pietate, justitia, religione, & clementia secundum, regno & vita privarunt; præterea suum & legitimum, postremo eum cui fidelitatem jurati non semel nec vice simplici promiserant. Quia regnum extinctum voluere, ideo regem extinxerunt, cujus maximum apud eos fuit crimen quod rex esset. Nec porro etiam mirum si innocentia vitæ non potuit eum tueri, qui nocens erat eo ipso quod regnabat, non quod male regnaret. Non multis argumentis colligendum, nec longa & difficili conjectura quærendum quid factiosos istos ac rebelles in tantum furorem impulerit. Non sanè crimen regis hoc fecit, sed suum. Nempe affectatio tyrannidis. Si id solum spectassent, si de eo tantum cogitassent quomodo forma status publici mutanda sibi in melius foret, satis illis esse debuisset ablato rege & abolita regia dominatione rempublicam qualis erat relinquere, penes Senatum cujus proxima semper à rege fuit auctoritas summam potestatem pati residere. Absque ulla alia novatione, status hic popularis fuisset. Democratiam si duntaxat optassent, non alia melior constitui potuit, quam ex tribus populi ordinibus, ex quibus compositus ille Senatus fuit. Nonne ex Episcopis constabat qui Ecclesiam; Ex Optimatibus qui nobilitatem; ex Deputatis urbium qui plebem repræsentarunt? Sed Ecclesiasticum ordinem in Episcopis præcipuè consistentem non solum Senatu ejiciendum, sed etiam penitus abjiciendum censue-

runt. Non dicam jam quo consilio & qua mente, nec quam recte id fecerint. Mitto etiam dicere de antiquitate eorum, de institutione ad hoc primum facta ut schismata de Ecclesia tollerentur. Non addam, in ipsa Reformatione apud Anglos fuisse servatos. Sed illud constat, necessarios vel inde videri oportere, & omnino vel fatentibus plerisque Presbyterianis retinendos, quod quandiu fuit Episcopatus mille pestiferæ sectæ & hæreses in Anglia non pullularunt, & inter eas vel teterrima ista cui nomen Brunistarum, & Independentium. Illi ipsi sunt qui Episcopos primo, deinde & Optimates è Senatu extorres dederunt, mox & regem è regno ac vita. Saltem nobiliorem populi partem, jus suum sedemque in Senatu retinere passi essent, si veram ac genuinam Democratiam constituere laborabant. An Democratia est quæ ex vilissima tantum plebe conflata est, exclusis Optimatibus? Hanc vero ὀχλοκρατίαν, Græci veteres dixere. Quam & vitium Δημοκρατίας ita esse statuerunt, ut Tyrannis est excessus veræ ac legitimæ Monarchiæ. Sed non ea cura quietem horum Reipublicæ turbonum sollicitavit, ut meliori regimine, quale esse populare sibi videri simularunt, mutari cuperent statum qui tunc in Anglia ab uno regebatur. Plebis nomen in quo supremam auctoritatem quasi de jure naturali residere affirmant, ambitioni suæ prætenderunt, ut hoc specioso prætextu ipsi arripere tyrannidem possent, ad quam tanto ambitu, tanto conatu jam dudum viam affectabant. Idque eventus planissime docuit. Pro uno quippe plures inde reges, sive tyranni potius, exorti sunt. Immo vel ad unum summam rerum rediisse exinde videre est. Quem enim alium dare merito possumus titulum præsidi illi Concilii supremi, quod nunc vice & loco Regis qui jam nomine nullus est, omnia pro arbitrio temperat

ac

ac gubernat? Rex ille quidem vere censendus, quamvis nomen absit, quia res adest, quæ sine titulo minus habet invidiæ, sed non minus habet autoritatis. Nonne ad eundem plane modum, & similem prorsus imaginem cum Augustus Cæsar rempublicam occupasset, sub nomine Principis *imperium tenuit, quo nomine tunc temporis Romani eum qui primus esset Senatus appellare consueverant. Ita iste præses & princeps Consilii, non regio nomine, sed regia potestate, adsumptis quasi adsessoribus & consiliariis, illis ipsis quibus autor ac dux fuit conjurationis sceleratæ sectariorum, regem non alia causa neci dedit, quam ut sella, non quidem Regia sederet, sed cum autoritate plus quam Regia ac verè Tyrannica. Ita ille inquam nequissimus latro quasi tyrannum occiderit pro præmio tyrannicidii fruitur ipsa tyrannide, cum ob regem parricidialiter obtruncatum nefarii sceleris pœnas meritas sustinere deberet. Sic pretium facinoris ejusdem sæpe alter crucem patitur, pro quo alter potitur diadema. Ne quis vero dixerit hos cum duce suo sicarios, faces ac fœcem patriæ suæ, regali tantum potentia niti, cum à nomine regio tantopere abhorrere videantur. Si ipse iste rex, quem morti insontem adjudicarunt, vel centesimam partem eorum facinorum commisisset in legibus divinis & humanis vitiandis, quæ isti scelerati commiserunt, tam merito tyranni nomine dignum eum ducerem, quam immerito in sententia capitali contra eum lata hoc elogio donatus est. Per Angliæ regni vetera statuta non licuit regi legem ullam condere citra populi assensum. Quam legem hi scelerati ac perditi latrones non teneærunt, cum omnes etiam illas quibus tanquam fundamentis regni jura stabilita videbantur, plane abrogæverint? Nulla lex est qua regem fieri reum liceat, accusari, condemnari, capitis supplicio affici. Hæc illi tyranni*

omnia sine lege fecerunt. Quanta ergo fastigio regiam potentiam ista potentia supergressa est, quæ regem ipsum, legum autorem conditoremque cunctarum quibus populus tenetur, judicio nullo, nullæ lege, nullo jure morti addixit? Si rex quemlibet ex superiore vel inferiore domo augusti illius Concilii sui Senatorem, tali supplicio non rite, ac sine juris ordine curasset afficiendum, tyranni notam non effugisset. At isti regem ipsum mactandum carnifici publico tradiderunt, nulla sibi in eum competente jurisdictione. Quantæ vero est potentiæ, quam infinitæ ac plusquam Tyrannicæ, non unam aut alteram legem abolere, sed per mille amplius annos receptam, probatam, usitatam regiminis formam repente evertere, & in alium statum transmutare? Hoccine fieri potuit, absque legum omnium, & veterum regni institutorum eversione? Quinimmo & nominatim leges omnes civiles & criminales quibus per tot annos usa est Anglia, refigendas sanxit, novasque fingendas. An hoc sine maxima reipublicæ perturbatione & omnium rerum confusione peragi potuit? Quis olim Romæ dictator sive ad tempus sive perpetuus, tantum potuit impune, quantam isti potestatem per vim & violentiam armorum usurparunt? Cæsar cum armis libertatem civium oppressisset, rempublicam æquis legibus antea temperatam in perpetuæ Monarchiæ jus ab uno dispensandæ convertit. Hoc alicui Cornelio Syllæ, hoc Iulio Cæsari licuisse, principibus suæ ætatis viris generis & virtutis merito, fortasse minus intolerandum. At idem Manios aliquos, terræ filios, vix domi nobiles, vix suis notos, licere sibi credidisse quis ferat? Nec est quod quis dicat contrarium Cæsari institutum eos tenuisse, & pro regno vel Monarchia rempublicam æquabili jure administrandam substituisse. Pro legitima quippe, proque justa regia potestate, tyrannicam

cam invexere popularis status fuco coloratam. Quod enim de populi regimine in Anglia stabiliendo jactarunt, ad populum factæ phaleræ fuere. An Democratia est in qua quadraginta homines nefarii regis sui carnificis, summam habent rerum potestatem, à quæ non licet provocare? Ne quidem Aristocratia est, in qua optimates & primores populi cum summo jure plebem regunt. At istæ sicariorum viles & impuræ animæ optimatum concessum aboleverunt, locum ei nullum in parte procurandæ reipublicæ esse voluerunt, ad plebem in speciem totum regendi jus transtulerunt, sed revera sibi vindicarunt, id est paucis è fæce plebis ortis reservarunt, immo vel uni nebuloni, fanatico, homini obscuro, turbarum omnium quæ per tot annos Angliam dilacerarunt, autori, incentori, promotori. Non æquiores fuerunt concessui plebis, quæ alteram partem habuit auctoritatis in administranda sub rege republica, plerisque eorum in carcerem & vinula conjectis quos tyrannidi suæ minime favere animadverterunt. Idque post insessam armatis urbem, post direptum ærarium publicum, post tractum è carcere ad causam capitis dicendam Regem. Priusquam hæc omnia tyrannicæ violentiæ facta edidissent, scriptum emiserant ad Senatum ex utroque concessu optimatum & plebis etiam tunc compositum, quo edicebant, pro imperio scilicet, quid suæ voluntatis esset statuere de Regis condemnatione, de Principis Walliæ ad judicium citatione, de Senatus finienda potestate, de novo Reipublicæ gubernandæ statu instituendo. Hanc eo scripto sibi placere formam gubernationis ostendebant, quæ supremum Senatum, sicut erat antiquitus, haberet, non perpetuum sed annuum, aut in singula biennia renovandum, tam ex plebeii ordinis viris, quam ex proceribus congregandum. Hic status aliquam spem ostentabat

æquabilitatis, & non falso gaudio libertatis novæ populum lætare videbatur. Democraticum saltem apparebat futurũ hoc regiminis genus. Nullum in ea declaratione quam eo tempore dederunt de quadraginta virts imponendis verbum, qui summam rerum tenerent, & cum regio imperio omnia pro libitu administrarent. Ad hoc tyrannicum institutum devenerunt, postquam urbem in suam potestatem armis redegere, postquam è Senatu alios ejecerunt, partim incarcerarunt quibus volentibus non futurã esse novam tyrannidem sciebant, postquam denique regem nefando judicio condemnatum, capite truncandum carnifici tradiderunt. Et cum hæc fecerint perditissimi nebulones, audent tamen rempubl. nominare, quæ tyrannica est gubernatio. Audent magnum sigillum insignire libertatis publicæ elogio, quam ipsi nomine tantum tenus populo reliquerunt, reapse vero vi & armis oppresserunt. Hoccine est æquam libertatem facere omnibus, & in populo dicere summam potestatem atque à Deo datam residere, cum nulla ad eum provocatio à quadraginta tyrannis detur? cum legũ ferendarum nullum jus habeat? cum magistratuum creandorum penes eum potestas non sit? Hæc nempe omnia jura sunt quæ Democratiam constituunt, quæ imperium summum populo conservant. Cum populus Romanus regni sede dejecto Tarquinio Superbo, recuperatæ libertatis vindices & custodes duos consules pro rege creasset, an tantum & tam merum penes eos stetit illud annuum imperium, ut non fasces summitterent populo pro concione, & jus provocationis adversus se ipsos darent? Populus suffragiis suis magistratus omnes majores minoresque creabat, leges omnes à Senatu latas confirmabat. Nonne ex eo Rogationes dictas constat, quod consules populũ in concione rogabant, an illam legem ferri vellet? Inde verba illa solemnia quibus ad populum in ferendis legibus uteòantur, velitis, jubeatis, Quirites. Si tale imperium

perium & talis hodie potestas populo permitteretur Anglicano ab illis quadraginta tyrannis, tum concederem eam novam quam instituerunt reipublicæ formam nomine δημοκρατίας esse signandam, ipsos rite appellandos libertatis populi vindices & custodes, ut fuere primi consules apud Romanos post reges abdicatos. Nihil hic par aut simile, sed omnia diversa & contraria. Duces exercitus rebellis, regem senatui suo ereptum in duriore carcere captivum diu detinuerunt, urbem regni sedem armis occuparunt, armatis militibus civium domos repleverunt, ærarium publicum spoliarunt, ex regni Concilio utriusq; ordinis Senatores in vincula conjecerunt, consessum judicum selectorum ex sola inferiore domo contra jura ac leges regni ad regem condemnandum propria autoritate constituerunt, manu deinde carnificis infami pegmati impositū & publico spectaculo populi sui exposito capite minuendum curarunt, quadraginta latrunculos cum summo imperio ad regnum obtinendum & jus dicendum crearunt, leges civiles omnes abrogarunt quibus per plures ætates usa fuit Anglia, & alias ad libitum subrogarunt, pœnas arbitrarias criminibus irrogarunt, ut sic major esset judicum & magis infinita potestas. Excepto cædis crimine nullum est delictum quod capite puniendum decreverint. Si non sunt hæc tyrannica, & quidem supra omnes veteres tyrannos exempla, quid sit Tyrannis neminem ego scire arbitror, nec ipse scio. Raptum vi & armis imperium armis nunc tueri contendunt, ut videantur prorsus Turcico more hodierno velle imperare, aut antiquo Romano, sed qualis in usu esse cœpit post eversam ab Augusto rempublicam & pessundatam populi libertatem. Imperii ille Romani usurpator certum legionum numerum instituit opportunis orbis ab ipso gubernandi locis constitutarum, quas opponeret externis bellorum motibus si qui ingruerent à gentibus nondum subactis. Præter

has copias, habuit & Prætorianas cohortes inte-
stinis rebellionibus retundendis in urbe collocatas,
& castris ibidem positis semper paratas, nunquam
à militia dimittendas. Ad eundem usum Turcarum
quoque imperatori sui sunt presto Ianissarii, Præto-
rianis illis Romanis militibus similes, qui nunquam
militiæ munere vacant, sed semper excubant ad
regis custodiam, quem & sæpe solio per seditionem
dejiciunt, & tumultuario judicio alium imponunt,
eodem plane more quem & olim Romani exercitus
in destituendis & constituendis suis Cæsaribus non
raro usurparunt. Placuit hoc exemplum Romanæ
Turcicæque consuetudinis edecumatis religionis non
Reformatoribus, sed decoctoribus, non tamen ex illa
parte quæ regem tollit, & regnum servat. Nam
Pagani Muhammedanique milites longe melius
quam Christiani. Rege quippe uno sublato alterum
sufficerunt, nec statum reipublicæ mutarunt. No-
vitii vero Christi sectatores, immo impuri potius Se-
ctarii, regium nomen pariter cum regno sustulerunt,
ut specie publicæ libertatis propriam tyrannidem
adumbrarent. Turcarum & Paganorum militum
tam studiosis & seriis imitatoribus in regibus suis
interficiendis, non miror & alium ex utraq; infide-
lium natione arrisisse morem, præter receptos publice
ceremoniarum ritus, quaslibet alias extrarias ad-
mittendi religiones. Hoc fecere Romani, hoc faciunt
Turcæ. Illi Græcas superstitiones, Iudaïcas & Ægy-
ptiacas cum patriis sacrorum ritibus introductas
coluerunt: hi Christianos & Iudæos tolerant, quos
tamen damnant, cum unam apud se esse fidem ve-
ram à Muhammede acceptam jactent. Anglicani
prophetæ quam magis religionem probent incertum
est, cum nullam improbent, & colluviem omnium
sectarum recipiant, & in magistratu non requi-
rant certam, cui permittunt credere quodlibet

dum

dum in ipsorum verba juret. Hanc unam videntur amplecti & colere religionem, quasi veram, quasi optimam, & quasi suam, quæ nullum agnoscit superiorem neque in Ecclesia neque in republica. Cum tales sint isti Fanatici nebulones in religione, in conversatione, in administratione reipublicæ, quis non eos patriæ publicos hostes dixerit? Hoc parum est, communes generis humani hostes judicandi sunt. Putes eos tantum regibus infensos & infestos esse quos per summum nefas necare ludum habent? Nullus est in orbe Christiano magistratus, nullæ in terris potestas, quantumlibet ordinaria, quantumlibet à Deo ordinata, ut omnes quæ sunt, inde esse constat, quam non pari odio prosequantur & persequi parati sint, quam non æque exterminatam omni ope cupiant, quia ubique apud eos eadem imperandi effrænata libido, eadem parendi imperita contumacia. Inde Independentes *vocantur. Vt disciplinæ Philosophorum ex præcipuo aliquo doctrinæ suæ dogmate nomen adsciverunt, Sceptici quia dubitant, Dogmatici quia adfirmant, Critici quia judicant, sic isti quia pro principali axiomate habent sectæ suæ nefariæ, nullis magistratibus, nullis regibus, nullis legibus subjici velle,* Independentiæ *ideo appellationem adamaverunt, ut rem ipsam quæ nomine signatur præ omnibus ambierunt. Magistratus cujuscunque generis & potestatis eodem eos loco habere quo reges vel uno argumento evinci potest. Cum regem suum ignominiose trucidarunt, non à se regem occisum præ se tulerunt, sed primarium populi Magistratum. An si in aliqua republica libera viverent, & tantum possent quantum in Anglia potuerunt, magistratui civitatis magis parcerent quam regi pepercerunt? Si bene mihi noti sunt non aliter eum tractarent quam regem suum acceperunt.*

runt. Forsitan ut aliquo colore deturbare illum possent, tunc regium nomen ipsis allubesceret quod arriperent, aut sub alia saltem appellatione imperium sibi simile adrogarent. Omnis sane mutatio illis placeret qua omnibus adprobare possent id quod sunt, & quod vocantur. Vt nunc res est, vexillum erectum ostentarunt omnibus Nationibus quæ regio dominatu gubernantur, ad reges suos non solum expellendos, sed etiam ignominioso & infami mortis genere publicè detruncandos. Nec quid velint aut quid optent dissimulare amplius sustinent, nempe, ut quod in Anglia ad effectum perduxere, ubique terrarum parem exitum sortiri videant. Omnes quippe exteros reges votis suis interficiunt, ut proprium securi percusserunt. Enimvero si precibus eorum locus esset, aut si tam improbas Deus soleret audire, nullus hodie rex uspiam Christianis populis imperitaret. Nec enim dubitant Fanatici quasi cœlum stet pro partibus suis, aut quasi eventura vaticinari noverint, nullum caput coronatum intra decennium ulla in parte terrarum amplius repertum iri, affirmare. Adeo nimirum potens & efficax exemplum id sequuturis se monstrasse opinantur, aut adeo pronos ad sequendum qua præiverunt via populos futuros sibi persuadent. Quid ergo cessant reges si tuti esse volunt, si securi, si salvi, ex toto orbe concurrere & convolare, atque in unum convenire, ut junctis copiis & viribus arma expediant ad illas regnorum rerumque publicarum pestes exterminandas. Isti sunt qui regum capita quasi pilas habent, qui de coronis quasi trocho ludunt, qui non pluris faciunt sceptra imperialia quam bacula monachorum capitata, quique viliores sordidis ac lacerisannis summorum magistratuum insulas ducunt. Ad hæc, magni Magnæ Britanniæ Regis sanguis immani scelere perduellium effusus ad

ultio-

ultionem sui vocat omnes Christiani orbis Monarchas ac Principes. Hujus manibus dignius illi parentare non poterunt, quam si in integrum restituant legitimum beati ac glorioſi martyris hæredem & ſucceſſorem, ſolioque paterno eum reddant, inferiis datis ac mactatis pro victimis ad ſepulcrum defuncti ſanctiſſimi regis belluis illis efferatiſſimis quæ in tanti regis necem conjuravunt, tam crudele auſæ nefas, auſoque potitæ. Proprii etiam periculi ratione ad hanc vindictam de impuris latronibus ſumendam provocari debent, ſi honoris ſui, ſi ſalutis aliquæ eos tangit cura, ſi cogitatio ulla ſollicitat. Enimvero ſi regia Majeſtas ad crimen & accuſationem civium rebellium veſaniæ paſſim pateret, actum eſſet de regibus. Pejor evadet ſors eorum quam ſubjectorum eſt conditio, niſi maturè obviam eatur adeo effrenatæ licentiæ quæ jam in aliis locis Europæ graſſari incipit, latiuſque ſerpere porro perget exemplo regibus nimium pernicioſo. Sine intermiſſione, immo ſine miſſione, cum his belligerandum eſt, donec inſtitutum fuerit ad ſempiternam memoriam punitionis ſontium exemplum, ſicut contrarium huic rebellionis & impunitatis jam oſtendi cæptum eſt, & ne ubique propagetur, cautio eſt cum improborum exultatione & bonorum gemitu. Vos igitur Angli Scotique, vos Hiberni, vos etiam univerſi Chriſtiani populi, inviſam hanc ſtirpem ſectamque nefandam, & genus omne futurum exercete odiis. Nullus amor cum his vobis, nec fœdera ſunto. Nam quæ pax, quæ pactio, quæ amicitia, quæ ſocietas, cum talibus regi ulli aut Principi unquam Chriſtiano poteſt eſſe, qui nullis legibus tenentur, nulla religione alligantur, nullius poteſtatis, ſive civilis, ſive Eccleſiaſticæ, autoritate moventur? Alia etiam ratione cum his in amicitiam coire & fœderæ jungere regum nullus, nulla reſpublica, nullus

Magi-

Magiſtratus jam queat aut velit, qui toties perfida dixere ſacramenta, toties fidem fregere, ſi modo fregiſſe dicendi ſunt quam nunquam habuerunt. Non claſſicum cano, non bellum ſuadeo, niſi quatenus paci graves homines, reipublicæ turbatores, ſeditionum faces, regum vel bonorum oſores, boni publici intereſſe ut non ſint amplius, dico. His poſitis quæ neceſſario viſa ſunt optimi regis defenſioni præmunienda, quem pro ſceleratiſſimo, illi de quibus loquor ſicarii, impuriſſimi trucidarunt, nec ad eum defendendum deſcendere tempus eſt, cujus cauſam cum aliorum regum cauſa conjunctam eſſe, neceſſe eſt ipſi reges intelligant. Cui autem vivo ac videnti, per iniquitatem conſeſſus ſanguinarii à quo judicatus eſt, pro ſe dicere non licuit, pro eo mortuo nunc ſic dicam ut oratorio more non mihi agendum videatur, nec adeo ita agere ſit neceſſarium. Ornari pigmentis rhetoricis tam bona & juſta cauſa non debet, doceri contenta. Nam ſimpliciter rem, ut geſta eſt, narrare regem defendere eſt. In qua defenſione hoc ordine procedemus, ut primum de facto ipſo prout meretur ejus indignitas & atrocitas, quale ſit, dicamus. Deinde de jure pertractemus. Tum demum illud argumentum perſequemur, an juſta cuiquam ſubditorum cauſa eſſe poſſit contra regem ſuum arma ferendi, eum in jus vocandi, accuſandi, condemnandi, & ſupplicio ultimo afficiendi. Idque negabitur. Poſtea oſtendam Regem Magnæ Britanniæ ſupremam in ſuos ſubditos poteſtatem habere, quæ nulli alii poteſtati obnoxia ſit niſi divinæ, ac proinde ea quæ dicta fuere de quovis alio rege à ſubditorum accuſatione, judicatione & condemnatione vindicando, ea regi Angliæ optimo jure competere. Poſtremo, ubi conſtiterit accuſari nullo jure potuiſſe, quæretur an ita vixerit & regna-

gnaverit, ut cum accusari jure non potuerit, condemnari merito debuerit. Hæc autem causa agetur toto orbe audiente, & quasi ad judicandum sedente, non in illo concessu infamium & sceleſtorum judicum disceptabitur, quos ab ejusdem factionis & sceleris sociis constitutos constat, non ad cognoscendum de crimine, sed ad omnimodo condemnandum innocentem, & quidem regem, & quidem suum. Horum ego injustitiam, impietatem, perfidiam, crudelitatem proclamabo Cœlo & Terræ, ipsosque auctores convictos posteris tradam, reosque peragam, talis tantique facinoris, cui simile nec præterita sæcula viderunt, nec ventura forsitan videbunt.

CA-

CAPVT I.

DE facto dicturus, tot novitatum monstris me circundari ac terreri sentio, ut quid primum exequar in eo exponendo, quid deinde, quid postremo, nesciam. Inter difficultates quæ occurrunt ad exprimendam, ut par est, tam incredibilis flagitii immanitatem, hoc unum facile dictu suppetit, quod iterum iterumque repeti debet, idemque verissimum: Nempe solem ipsum dum annuum conficit cursum iniquius & atrocius factum nunquam adspexisse alterum. Nam si per se consideretur, ab orbe condito quo primus homo simul à Deo creatus est, & rex ac dominus super omnia ab illo creata constitutus, memoria non extat facinoris iniquitate & atrocitate huic comparandi. Inde enim origo regum regiique regiminis petenda est. Hæc cum primo homine & cum sole novo cœpit, quoniam primum parentem numerosus ex eo descendens natorum, & qui ex his nati sunt, populus pro rege habuit & observavit, ut primum sui generis autorem. Ad hoc instar reges postea alios nihil pertinentes ad genus stirpemque & cognationem priorum, à gentibus electos vel sumptos liquet à quibus regerentur, & quos pro patribus colerent, qui & *Patriæ Patres* exinde nuncupati sunt. Vt patres veri, ita reges qui pro patribus sunt, non ejusdem moris & naturæ omnes esse possunt. Alii indulgentes, mites, faciles, clementes: alii asperi, severi, duri, partim etiam crudeles. Qui patrem natus occideret, etiam dyscolum & durum, pro parricida merito esset puniendus. Parricidii crimen an minus ille incurrit qui regem, id

id est patriæ parentem, interficit, quamvis morosum, iniquum, impotentem, crudelem, & tyrannum? Immo magis. Quanto & magis pro parricida foret culleo insuendus, qui bonum patrem filius necaret, & civis qui bonum regem? De facti hujus qualitate inde æstimandum est, quod rex bonus, justus, clemens, religiosus, pius, pacificus de medio sublatus est. Sed nulla hic prodigio similis facinoris novitas notari debet, inquiet aliquis. Summum hoc quidem nefas, sed fieri solet. Multa utriusque generis parricidia novit hæc ætas, veteri non ignorata. Quam multi olim reges, & quidem tales de quibus nihil queri poterant subditi, seditione vulgi, aut factione procerum, aut tumultu militum vitam ferro posuerunt. Enimverò in hoc facto spectandum non est tantum, ut ejus enormitas infanda propius meliusque appareat, quæ personæ id fecerint, aut in cujus necem id factum sit, vel quomodo. Sed hæc omnia simul, & alia insuper quæ extrinsecus circa hoc negotium contigere. Circumstantias vulgo vocant. In his igitur, in agendi modo, in personis, tam quæ facinus peregerunt quam quæ passæ sunt, prodigiosa & nunquam alias visa vel audita facinoris magnitudo consistit. Ad personas quod attinet quæ grande & incredibile hoc scelus admiserunt, constat & plures olim, nunc, & omni tempore similis peccati affines fuisse repertas, sed gentiles, infideles, Romanas, Turcicas, non Christianas. Si de ea quæratur quæ passa est, cum regia illa sit majestas, non utique & hoc novum, ut regi cruentas manus intulerint cives sacramento fidelitatis ei obstricti, verum ut non solum Christianum, sed etiam reformatam Religionem profitentem, Reformati & ipsi tali supplicio mactaverint, res est novis Annalibus inserenda, quam nulli ve-

veteres habent ex quo reformatio religionis introducta est. Si agendi modus inspiciatur, plurimi non sicca morte reges ad generum Cereris, ut cum poëta loquar, descenderunt. Aut gladius privati parricidæ aliquem luce privavit, aut miles ab aliquo procerum subornatus vitæ principis insidias fecit, aut potio veneni alium exanimavit, aut carceris mala mansio pædore & fame alium cruciatum sustulit, alium in carcere carnifex strangulavit. Sed quis unquam audivit, quis legit, regem legitimum, hæreditarium regnum possidentem, Christianum, Reformatum, accusatum à suis subjectis, causam capitis dicere coactum, condemnatum, securi percussum? Causa etiam commissæ in regia persona cædis aut summæ sceleris detrahit aut ad summam addit, quod minus aut magis sceleratum existimari queat quod actum est. Si per tumultum aliquis interemptus est militarem, si per seditionem popularem, si per factionem optimatum extinctus, non alia causa quæri solet quam quæ oculis patet, tumultus, factionis, seditionis. Furor iraque rebellium mentes præcipites egit in tale facinus. Irati milites ob gravem militiam, infensi populi ob tributorum onera, proceres vel odio, vel metu, vel studio dominandi incitati in regem conspirant. Causa furoris in his omnibus partes suas agit. Post factum eos qui fecere plerumque pœnitentia capit. Si id non sit, ipsa amentia quæ venia digna non est, miserationem saltem mereri videtur, ut qui per ebrietatem aliquid mali commisere, culpam vino solent imputare. At illi qui considerate & cum ratione peccant, quique ad immane aliquod facinus via & ordine progrediuntur, defendere semper tanquam justum id quod egerunt parati, nunquam facti pœnitentia ducuntur. Ve-

tus

tus & profunda improbitas, ſuiſque quaſi radicibus nixa perditas & profligatas mentes occupat. Hæc ſumma vitiorum ac ſcelerum immanitas, ſi modo eam ſequatur impunitas, pro innocentia eſt. Conſuetudo male faciendi ipſis in naturam vertit. Tales ſunt de quibus nunc loquimur. Fallitur enim ſi quis putat cæco animi impetu, & neſcio quo præcipiti inſanæ mentis ardore explicuiſſe illos tantum nefas. Conſilio & ratione meditatum diu ante facinus peregerunt. Ne longe hujus rei argumenta petere neceſſe habeamus, quod agunt nunc, & quod antea egerunt inſpiciamus. Regem amovere & regium dominatum amoliri cum ſe in animo habere ſemper præ ſe tulerint, hodie regnant. Non odio igitur regis, non metu, non criminibus ejus adducti de eo tollendo cogitarunt, ſed quia Reges ipſi eſſe voluerunt. Nulli parere, & omnibus imperare, jam pridem didicerant: Hæc eorum diſciplina, hæc ſecta. Multorum annorum molitionibus, machinationibus, meditationibus ad hoc deteſtandum & horrendum facinus patrandum ſeſe compararunt. Ne caſu putemus in execrationem omnium incurriſſe, hoc voluerunt. Egregiam quippe laudem gloriamque magnam quaſi ob rem bene geſtam ſibi deberi ſtatuunt, tanquam præclarè de republica meritis. Vltro etiam jactant moleſtum eſſe ac grave populis regium imperium. Quoties moleſte & odioſe regnant, impune poſſe regno exui. Ab hac doctrina inducti, etiam ſi mille rebus meliorem regem habuiſſent quam habuerunt, non ei vitam ſervaſſent. Decreverant dudum cum rege ipſo regnum funditus extirpare. Sed tempora modoſque diu ac multum captarunt, quibus ad optatum ſceleris finem pervenire poſſent. Non rebellio concitati populi ea

ſim-

ſimplex fuit, ſubita ſeditione & factione vel procerum vel militum ad regem ſuum occidendum inflammata. Torſerunt prius variis crucibus ac morte gravioribus ſuppliciis, quem tandem ignominioſo & ultimo conficerent. De carcere in carcerem eum traduxerunt, cuſtodiis ſæpe mutatis, ſæpe novatis, libertatis interdum ſpe oſtenſa, interdum & reſtitutionis per pactionem inter partes faciendam. Dum de hac tractatur, & cum jam rex omnia promiſiſſet quæ ab ipſo poſtulabantur, repente totum negotium diſturbatur. E carcere rex educitur, in Regiam adducitur, coram judicibus ſelectis ſiſtitur, cauſam dicere tanquam reus cogitur, non reſpondens condemnatur, ſecuri percutitur. Sed quo modo? Eo certe modo quo nullus unquam rex ſupplicium capitis paſſus memoratur. Vt latro, ut ſicarius, ut parricida, ut proditor, ut tyrannus ante domum ſuam, id eſt Regiam ſuam, populo ſuo ſpectante, infami pegmati inpoſitus, inter duos carnifices conſtitutus, & quidem larvatos, quaſi ad rem faceret hoc in duobus his ſervatum eſſe ut perſonati ſtarent, cum tot alii carnifices ore non tecto, palam locum ſupplicii armis circundatum cuſtodirent, quot nempe pedites & equites armati circumſtabant. Nam & ex eorum numero duo illi ſpiculatores ſumpti ſunt, qui regi caput amputarent, excubantibus & curantibus cæteris ut tuto poſſet amputari. Quid dicam, quot & quantis ille armatorum lanionum numerus vexationibus & injuriis ſpectatores è populo affecerit, ſi qui viſi ſunt triſtiores cum cruentæ illius tragœdiæ crudeliſſimus & ultimus actus perageretur? Qui oculos clauſit, qui averſos tenuit ne tam horrendo ſpectaculo eos inquinaret, non impune hoc illi fuit.

Qui

Qui miratus est, qui stupuit, qui expalluit ad ictum nefariæ illius securis, ictum ipse pugni vel calcis, vel fustis reportavit. Qui mœstitiam denique vultu, aut gestu aliquo, vel voce testatus est male multatus recessit. Verbera inflicta sunt ingemiscentibus & flentibus. Et quasi scelus esset admittere, tantum scelus non siccis oculis intueri, non tulit hoc impia sceleratorum militum protervitas. Mirata est antiquitas simulque detestata, in sævissimo quodam tyranno hanc novam crudelissimæ tyrannidis diritatem, qui in propinquis & parentibus eorum quos cruciatos occiderat lacrymas & ploratus, tanquam crimina, vindicabat. Quid dicendum de istis? An est ullum genus sævitiæ & tyrannidis quod non exercuerint in persona regis sui, cum ne illo quidem genere abstinuerint, quod veteribus è gentilibus ipsis visum est novum inusitatum, ac dirum? Cives qui regem suum sub manibus carnificis elevatam securim tenentis jam jam cervicibus ejus infligendam adgeniculatum videbant, Tyranni isti flere vetuerunt? tristes esse noluerunt? Et quærat jam aliquis quo animo tetræ istæ belluæ ac molossis suis ferociores, tale parricidium commiserint, qui talibus oculis spectarunt? Si Caligulas, si Nerones, si Domitianos crudelitate & superbia rex ille superasset, non tamen ita tractandus fuit à Christianis subjectis, ipse Christianus. Certè ex quo Christus meliore doctrina imbuit suos, & mitiores sanctioresque mores mentibus eorum induit, nemo regum ad hoc usque tempus ab his qui tam piæ professioni sacramentum dederunt, ita crudeliter & immaniter, & cum tot ac tam atrocibus contumeliis obtruncatus memoratur. Longè absuissent veteres suum, id est Christianum, tam

indignis modis accipere, qui malos, impios imperatores, infideles, idololatras, religionis cui nomen dederant perſequutores, flamma, ferro, & omnibus ſuppliciis in ſe graſſantes, pro ſuis tamen habuerunt, foverunt, coluerunt. Meminerant hoc ſibi mandatum ab auctore omnis pietatis, ſanctitatis ac miſericordiæ, exemplo proprio eam in ſe diſciplinam, quam ſuis diſcipulis tradidit, etiam ſanxiſſe geſtiente. Veniſſe, quippe in hunc mundum eum ſciebant ſub principe uſurpatore, & per hoc tyranno, ſub alio eundem pati voluiſſe qui non uſurpatione tantum tyrannus eſſet, ſed etiam vita & imperandi modo. Si crudelitas gentium propria fuit & infidelitas, cur non contrarias virtutes Chriſtianis ut proprias aſſignabimus, ſi quidem hoc nomine digni videri volent? An ego pro Chriſtianis & fidelibus habebo, quibus non ſolum gentes infideles, ſed etiam belluas ipſas humaniores eſſe re ipſa compertum eſt? Illæ reges peſſimos & quos hoſtes publicos pronuntiaverant ob infinita & enormia flagitia, ſuſtuliſſe de medio contentæ, ultra mortem in eos non ſævierunt. Iſtæ ut famem ſatient, vel ut ſe vindicent, hominem obvium occidunt, nec ultra pergit eorum ſævitia. Cur iſti perditi & profligati Alaſtores, tanto apparatu & choragio crudelitatis & diritatis, totque contumeliarum & injuriarum generibus in rege ſuo tollendo uſi ſunt, quem non alio fini tollere deſtinabant quam ut ne amplius ullus apud ſe rex eſſet? Non ſub alio criminis titulo, quam quia rex erat? Si rex illis non placebat, ſi regius diſplicebat dominatus, nonne poterant ſimplici regis cæde defungi? An neceſſarium fuit ut mille mortes ante ultimam pateretur? Vt poſt ultimam, etiam contumeliis pateret ejus cadaver? Vtque in ipſo mortis genere eam infandam

dam ignominiam subiret quæ ne tyrannis quidem ullis unquam imposita legitur; sed solis sicariis & latronibus semper irrogari solita est, ut publice puniantur, & turbis circum fusis spectaculum sui ludibriumque præberent? Remissa sæpe fuit sub bonis principibus talis ignominia etjam perduellionis reis in aliqua dignitate antea constitutis. Cujus hoc fuit feritatis, ut subjecti viles regi quondam suo, etiam tunc legitimo, non hanc veniam indulserint ut in secreto mori permitterent? Si Regi parcere nolebant, sua saltem causa id fecissent. Non tanta passim apud omnes invidia nunc flagrarent, nec in tantam omnium detestationem incidissent. Cur non & tam tetri & execrandi spectaculi gratiam fecerunt tot hominibus è plebe regis sui amorem adhuc spirantibus, & sine horrore sub carnifice animam cum sanguine effundentem videre non sustinentibus? Demus id, quod tamen non potest concedi, sceleribus suis meruisse regem ut sic tractaretur à subjectis. An Christianos & Reformatos subditos hæc immanitas decuit in regem suum, quæ ne in barbaris quidem unquam & feris nationibus inventa est? Cur pugione, aut veneno, aut laqueo, intra privatos aulæ parietes hoc negotium non confecerunt? Ita multos olim Tyrannos à suis necatos Annales memorant. Turcæ sic suos hodie imperatores mactant. An veriti sunt homines pii nefando homicidio polluere manus suas, & conscientiæ suæ hunc cauterem inurere, si regem secreto strangulassent, vel alio quovis modo sustulissent? An cita mors & gladio properata ab interfectoribus nocentiores parricidas fecisset, quam per judiciales moras tracta, quam theatrali spectaculo traducta, regemque tanquam gravissimi criminis reum exhibitura?

Illa omnino ut minus ignominiosa regi fuisset ita ipsis parricidis minus invidiosa. Si viro forti cujuscunque sit conditionis morte ipsa genus mortis plerumque gravius videtur, quanto magis regi? Infamia quippe ad mortem addita duplex supplicium est patienti, & in majoris cessura crudelitatis titulum necis autoribus. Sed video quid moverit viros justos & sanctos, ac violentiæ omnis inimicos. Cum rege quem pro bono publico trucidandum judicabant jure agere maluerunt quam vim adhibere in eo vita exturbando. An vero ulla vis violentior & injustior quam quæ justitiæ nomine & colore prætexitur? Quid si latrones viatorem exceptum insidiis gladio occidere statim nollent, sed ex suo numero lectis judicibus cum eo lege agerent, & pro crimine objicerent, quod avaritia laboraret, quod non satis pecuniæ domo sua egrediens secum sumpsisset, quod ipsos declinare atque evitare conatus esset, quod non bona fide nec statim quo loco pecuniam suam abstrusam in vestimentis reposuerat, indicasset? Quis non ad ludibrium & contumeliam institutum tale judicium latronum existimaret? An alia potest recipi interpretatio illius nefandi judicii, quo sicarii & scelerati per ludum jocumque regem suum solio vitaque depulerunt! Animo fixum immotumque illis sederat regem necare. Ita, nimirum latrones de viatoris vita auferenda apud se statuunt. Sciebant carnifices regis, non eum responsurum esse si coram judicibus delegatis causam dicere cogeretur. Sciunt utique & viarum insessores mercatorem deprehensum per ludibrium à se quasi, lege interrogatum, repositurum. Videt quippe hic de sua vita jam illos statuisse, hoc vero agere ut jocantes insuper & contumeliam adjungant

gant sceleri suo. Vidit & rex necem suam decretam esse parricidis, quidquid pro se allegaturus esset. Hoc vero unum illis curæ esse, ut non simplici fato occumbat, sed ut infami & ignominioso interitu nocentis more pœnas luat. Ita se pro innocentibus esse habendos illi existimarunt, si specie legis & judicii insontem animam è corpore regio expellerent. Mitto contumelias quæ supplicium præcesserunt. Sint illæ pro corona spinea, pro sputo, pro verberibus, pro cæteris ludibriis quibus in crucem iturus per militum insolentiam obnoxius fuit rex regum. Quid de illis dicemus qui cadaveri Regis illuserunt? Christi corpus quamvis quasi pro merita noxia servili crucis supplicio affecti, & inter duos latrones cruciarios positi, statim redditum petentibus fuit ad sepulturam. Quotidie videmus noxios qui loci paulo sunt honestioris, anima per carnificem extorta: continuo tradi propinquis sepulcro majorum reponendos. Regis exanime corpus diu jacuit omnibus expositum ad videndum. Sed quo modo? An gratis ac sine mercede visere cupientibus licuit? Immo pretium statutum sine quo non liceret ad inspiciendum accedere. Primo quatuor solidis taxata spectandi licentia, postremo vel uno dato admissi sunt qui oculos satiarent, qui sanguine ejus, vel sanie potius, imbuta sudaria domum referrent. Vtrum ad ludibrium an ad memoriam rei? ludibriosam utique, nisi hoc fecerint ut in martyribus suis olim factitavit antiquitas, quorum sanguinem servabat ut miraculis serviret. Ecquis vero hoc nomine sæculis colendo cultoque dignior, in ista temporum præsertim extremitate, quam rex pius & religiosus, ab impiis & perfidis civibus, contra jus ac fas, crudeliter

& ignominiosè mactatus? Quapropter eos vel stupore planè oppressos fuisse oportet, vel amentia obcœcatos, qui in hoc nefario facto perpetrando, non execrandos se populo Magnæ Britanniæ, non detestabiles, non Deum sibi, non omnes homines, & esse & futuros, inimicos præviderint, regem autem ipsum quem sic immaniter trucidarunt, gloria apud posteros fruiturum sempiterna, & pro Martyre in famam Sæculorum ituro. Nam sive τὰ ὑποστατικὰ facti, sive τὰ περιστατικὰ, *substantiam* & *circumstantias*, inspiciamus, Deum in eo offensum videbimus, religionem violatam, Rempublicam læsam, Ecclesiam turbatam, jura omnia legesque subversas. Primum, imaginem ipsius Dei in Rege destruxerunt. Deinde, quia ab eo potestates omnes, & quia per eum reges regnant, Dei voluntati hoc modo se opposuerunt, qui à summo numine sibi datum regem abjecerunt. Religio Christiana quæ præcipit potestatibus summis obediendum esse, & regem honorandum, eumque etiam si molestus sit ac dyscolus dominus, ferendum, contemptui ab his habita est & temerata, cum contra ejus præscriptum tam impie venerunt. Præterea sublato religionis protectore qui puritatem ejus in regno suo custodiendam curabat, colluviem omnium sectarum introduxerunt, quibus & licentiam & impunitatem dant libere sacrilegos suos cœtus tenendi, & ad magistratum etiam aspirandi. Quantum per eos detrimentum passa sit Respublica, tot annorum bella quibus concutitur ac vexatur, & præter mala quæ jam inde infinita experta est, illæ etiam sine dubio, quas futuras, jam jamque impendentes ominari licet calamitates, indicant. Postremo non poterant gravius Rempublicam lædere, quam legitimum ejus dominum ac principem

cipem tam nefarie ac parricidialiter tollendo. Ecclesia vero in quantum discrimen per eos adducta sit, apparet ex multitudine hæreseon quibus distrahitur, ex turbis quas inde perpetitur, & ex eo quod improbantes, immo & abominantes eorum facinus pastores cum summa injustitia persequuntur. Leges omnes ab illis subversas fuisse, & eas quidem quibus tanquam fundamentis nitebatur tam Respublica quam Ecclesia, quis nescit, nisi qui ignorat nihil eos hactenus feciſſe vel arma contra regem capiendo, vel eum incarcerando, vel accusando, vel judicando & condemnando, quod aliquam juris formam præferat, multo minus quod legi civili, ecclesiasticæ, divinæ consentaneum sit? Leges ipsas regni pedibus illos penitus conculcasse eo facto apparet, quod cum fuerit supra mille abhinc annos retro hæreditarium, rege occiso nullam habuerunt rationem legitimi ejus successoris & hæredis. Nam quid illi obesse potuit crimen patris, si crimen illud fuit? Cur eum regno paterno & avito fraudarunt? Quid in illos commisit quo hanc pœnam visus sit commeruisse, ut eodem quo pater fulmine concideret qui pari crimine cadere non poterat? Patrimonio & omnibus fortunis excideret, non tantum solio? An quia favit patri? An quia eum vivere etiam voluit? Hoc enim scilicet scelus fuit sceleratorum hominum judicio & interpretatione, quod nisi feciſſet, inexpiabile in se facinus admisisse bonis omnibus visus esset? Sed esto, filius qui omnia fecit ne pater infami supplicio afficeretur, eodem cum patre reatu & ruina debuit involvi. Quid iste minimus natu filius qui apud hos barbaros & Molossicæ feritatis homines educatus & servatus est usque ad mortem patris, an & hunc crimen patris luere

innocentem oportuit? Concedamus hoc & illis. Ex malo fortasse seminio natum sibi imperare noluerint. Quid Regina Bohemiæ peccavit? Qua in re & quo facto sibi ipsa impedimento fuit ne ad successionem coronæ suo loco veniret, exclusis illis quos factionis fanaticæ improbitas censuit non admittendos? Nulla unquam tam barbara gens & tam fera extitit, nulli adeo perditi unquam ulla in gente reperti sunt, quibus vel in mentem inciderit tam injustum & immane facinus audere. Ianissarii qui Turcæ sunt, solo nomine fideles, reipsa infideles, ubi imperatorem suum strangularunt, vel alio quo violento fato occumbere coëgerunt, filium protinus, si filium habet, solio imponunt, si non sit, aliquem ex ejusdem cognatione, ex Ottomanorum scilicet stirpe, regnaturum substituunt. Romani exercitus quibus tralatitium fuit tumultuario judicio principes solio imponere, & deponere, quia tunc non fuit imperium hæreditarium, alium statim quærebant quem in locum dejecti reponerent. Mutandi status cogitationem nullam unquam induerunt. Quod cum isti Cacodæmones facere aggressi sunt, quis illis hoc juris dedit? Quo titulo hanc potestatem sumpsere? Sanguinis civium quam talis mutatio allatura est, & jam attulit effusionis, quis reus erit præter illos? Atqui hoc maximum criminum fuit quod regi impegerunt. Omnis mutatio in Republica tametsi in melius fiat, tamen hoc ipso mala est, quod sine multis magnisque reipublicæ cladibus ulla in ea conversio fieri non potest. Sed nec possunt dicere quis melior sit civitatis status, cum de eo ab antiquis disputatum sit & nunc disputetur, nec dum satis constet quorum verior habeatur sententia. Illud sane compertum

tum est optimum eum statum regendæ reipublicæ videri quem longus usus probavit. Cognita quippe & usitata mala expertis sæpe minora esse constat quam nova & in comperta, quibusq; nondum assuevimus. Si mutanda est forma gubernationis à longo tempore receptæ, saltem cum bono modo moreque fiat, omnium nempe quorum interest accedente consensu, & una voce id approbantium, citraque necem ac damnum præcipue eorum ad quos ab antiquo regiminis cura pertinuit. Si optimates regant, necessario consentire debent in mutationem status quæ à populo expetitur, sive regius placeat, sive popularis. Exemplo sit quod sequendum in ea re videtur, factum Regis Lacedæmonii qui diminutionem suæ potestatis Ephororum creatione assensu suo comprobavit, minorem eam hoc pacto futuram se pati dictitans, dum haberet diuturniorem. Quid simile à nequissimis parricidis de quibus agimus, factitatum? Tria Regna Britanniæ Magnæ sub unius imperio fuere. Duo in totum abhorruerunt à regis abdicatione ac trucidatione nefaria. Tertium ne quidem totum in illud facinus detestandum consensit. Quinimmo ne pars quidem ejus nisi minima. Ne illa quidem quæ majori jure id potuit, cujusque adeo consensus, ut ad hanc rem omnino necessarius, requiri & exigi debuit. Duæ in eo regno legitimæ fuere potestates, major altera, altera minor. Regia illa, ista Senatus, sive, ut nunc vocatur, Parlamenti. Rex supra Senatum, non Senatus supra Regem. Secundum Regem tamen maximam Parlamenti fuisse liquet autoritatem. An Rex accusari vel judicari tanquam reus potuit, si Senatus autor non esset? Senatus iste in duas Domos divisus fuit, in superiorem quæ optimatum erat, & inferiorem quam

ex plebe deputati componunt. Istæ duæ Domus cum efficiant supremum illum regni Britannici consessum utraque consentire debuit, tam in destitutionem & condemnationem regis, quam in mutationem status. Præcipua de duabus ac prima, quæ constat ex proceribus, assensum suum tantum abest ut commodarit huic facinori, ut horrorem tam atrocis sceleris non dissimulaverit. Inferior quando assentiri cœpit aut quomodo? Postquam major pars nimirum recte sentientium inde vi proturbata est, aliis in vincula conjectis, aliis ingressu Senatus prohibitis. Quos in eo remanere permiserunt, vel fautores factionis in Regem extitere, vel etiam præcipui hujus autores. Isti sunt qui regem judicarunt, qui condemnarunt inauditum, qui securi percusserunt, qui regimen regni antiquum ab uno temperari solitum in alium qui à pluribus tyrannis teneatur mutare præsumpserunt, contra jus, contra fas, contra leges Regni, contra sacramenti sui fidem, contra solemnem conventionis pactionem quæ inter duo regna inita fuerat, in qua & expresse cautum fuit de Regis Majestate comiter ab omnibus conservanda, deque persona ejus protegenda. Quis hoc fœdus violavit? Quis fidem Senatui datam fregit? Quis fidelitatem regi promissam non præstitit? Isti ipsi qui contra Senatum arma sua converterunt. Qui cum stipendiarii essent Senatus, leges illi dederunt. Qui regem quem in potestate Senatus habebat, ut in sua esset, arte & dolo effecerunt. Qui alteram & præcipuam Senatus domum extinxerunt. Qui alteram debilitarunt saniore & meliore sui parte mutilatam. Qui regem ad causæ dictionem adegerunt. Qui causa indicta condemnarunt. Qui & morte infami affecerunt. Qui status mutationem sine assensu populi, solo du-

ducum & militum arbitratu, id est suo, decreverunt. Quid tyrannis est, si hæc non est, & quidem omnium tyrannidum quæ unquam fuere, aut post erunt, teterrima ac diriſſima? Eam verò Regis necem quis negaverit ad infamiam sæculi pertinere, nec sæculi tantum sed & nationis, nec nationis modo sed & religionis? Sæculum certè noſtrum hanc notam ex eo sibi inuſtam nunquam eluet, quod homines tulerit, quibus crudelitate & immanitate pares nulla retro sæcula tulerunt. Natio ipsa Anglicana quæ talia monſtra produxit, maculam hanc sibi eo nomine imprimendam nunquam deleverit. De religione quid dicam? Parum esſet de infamia inde in sæculum & nationem redundatura nisi plagam pœne mortiferam & insanabilem eo facto acciperet religio Reformata. Sed bene est quod se noſtros dicere non possunt, quamvis de nobis exierint. Quis pro Reformatis hos velit habere, qui vita & religione adeo deformes sunt, adeo nefandi, adeo scelerati, immo etiam adeo prophani; Hodie inter Christianos Reformati hoc esse deberent, quod olim inter paganos Christiani. Pagani quo tempore cummaxime principibus suis superſtitionis licet ejusdem cultoribus, manus impias & violentas inferebant, Christiani pro iis preces ad Deum fundebant, pro salute eorum, pro vita, pro mora finis, hoc est, ne dissolveretur imperium. An pro bonis & benignis imperatoribus hoc faciebant? Immo pro talibus qui publici hostes appellari à Senatu suo, id est pagano, merebantur, qui à subjectis suis facta conspiratione quotidie attentabantur, qui Christianam perſequebantur religionem, qui omnibus suppliciis in eam sæviebant, ferro, flamma, fame, laqueo, tormentis, exilio, relegatione, omnium mune-

rum & honorum privatione, ac bonorum spoliatione. Isti vero Anglicani *Independentes*, qui Reformationis ipsius facere se profitentur reformationem, quique curva in religione se corrigere postulant, ipsis Paganis hac in re longe deteriores & sceleſtiores inveniuntur. Siquidem isti bonos principes in oculis ferebant, fovebant, colebant, adorabant. At quinam illi erant quos ferre non poterant, quos depellere gubernaculis reipublicæ gestiebant? Non solum reipublicæ hostes, sed generis humani pestes, aliquos Neropes, Caligulas, Vitellios, Domitianos, Heliogabalos. Talibus, non regibus sed tyrannis, justa arma inferri posse, sine scelere eos interfici posse persuasum habebant. Christiani contra qui tunc temporis vixere, sub eorum imperio nati, in alia omnino sententia erant. Nam cum durius ab iisdem quam pagani tractarentur, cum quotidie ad leonem, ad gladium, ad metallum religionis causa damnarentur, paganis nihil tale metuentibus, non tamen eundem animum, nec æque infensum imperatoribus suis atque illi gerebant, sed mitem, placidum, benignum, patientem, mori per mille cruciatus præoptantem, quam mortem inferre persecutoribus suis, quam pacem publicam turbare, quam vel impiis votis & non exaudiendis precibus necem illorum & perniciem à Deo poscere. At vero isti qui reformatæ religionis reformatores videri volunt, longissimo intervallo ipsis paganis immitiores & infensiores regibus sese ostendunt, tantum abest ut ad Christianorum veterum pietatem & patientiam accedant. Illi nec malos principes oderant. Hi vel bonos occidunt. Pagani solis tyrannis ac decreto Senatus publicis hostibus pronuntiatis sese opponebant, eorumque imperium abnuebant:

bant: Hi pro tyrannis mactant quos ipsi nulla ratione, nullo jure, nulla autoritate tales esse judicarunt. Christiani antiqui paganis imperatoribus libenter & æquo animo parebant: Hi nec Christianos principes pati possunt, cum tamen inter Christianos pro Reformatis, id est, pro purissimis & sanctissimis Christianis, se haberi postulent. Immo cum & se nomine *Catharorum* ideo noscitari velint. Inimicos odio habere Christus vetuit, his bene velle suos voluit. Isti quid facerent extraneis regibus & inimicis, qui suum tam libenter tam cupide accusarunt, damnarunt, necarunt, nihil tale meritum, bene de se quinimmo modis omnibus meritum? Xystus in sententiis dicit, *fidelem hominem, electum esse hominem; electum autem hominem, hominem Dei esse; hominem Dei esse, qui Deo dignus est; Deo dignum esse qui Deo dignum agit.* An Deo dignum agunt, qui infideles ipsos, paganos, idololatras, nullam veri Dei notitiam habentes, superant feritate, crudelitate, immanitate, nequitia, perfidia, impietate, & omnis generis improbitate, cum tamen populum se Dei electum dicant, & fidelium delibatum florem? Quid nunc respondebimus Iesuitis? Quo ore, qua fronte, nos Reformati ipsis imputabimus quod habeant doctrinam regibus infensam, in regum necem armatam, & populos ad rebellionem incitantem? Qua sunt malitia & improbitate præditi, & qua calumniandi cupiditate ardent, non sibi extorqueri sinent, quin hæc doctrina propria sit Reformatorum, quam & tam belle in usum norint convertere, quia pro Reformatis, & Catharis, & Sanctis se jactant qui tam infandum scelus nuper commiserunt. Tros Rutulusve fuat nullo habebunt discrimine. Omnes qui se Reformatos dicunt, pro Independentibus habebunt, & αιαρ-

χάος vitio laborantibus. Hæc nux pinea pro pomo illis erit si in Reformatos jacienda sit. Faterer quoque, si hæc esset omnium Reformatorum opinio, nos etiam in nostra Reformatione Iesuitas habere, immo plusquam Iesuitas, & ipsis Iesuitis longe pejores. Hoc illi saltem docent non alium regem esse amovendum nisi qui tyrannus judicatus fuerit. Tyrannus autem an habeatur qui pro tali abjiciendus est, ad judicium sapientum & doctorum referre se profitentur. Isti vero qui? An sapientia clari, doctrina celebres, virtute nobiles, nobilitate illustres? Immo fanatici, indocti, obscuri, improbi, fæx plebis, armis tantum noti, & ad vim faciendam apti. Hi sunt qui de rege judicarunt, qui justum injuste damnarunt, qui pium impie trucidarunt. Iesuitæ regem solum tyrannice imperantem amoliri studeant, regnum relinquunt. Isti omnibus Iesuitis sceleratiores & violentiores, omnes omnino reges cum regnis suis exterminandos pronuntiant. Regem quantumlibet bonum, pium, justum, inutilem esse, odiosum, molestum & importunum reipublicæ, scriptis suis prædicant, & reipsa sicut docent agunt, dicta factis probant. Vt suum ipsi nefario scelere à se peremptum, sic perire debuisse pro bono publico palam contestantur, idem etiam de aliis omnibus Europæ regibus fieri debere proclamant. Eodem loco & numero omnes habent cum Turciæ tyranno. Galliæ, Hispaniæ, Moschoviæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, & aliarum ditionum Reges Tyrannos esse, jure expelli throno & vita posse, immo oportere, ab his qui salvas velint eorum regnorum respublicas. Qui sic bellicum canunt, excitandis & incendendis populorum adversus principes suos legitimos seditionibus, quid mereri videntur? Nonne ut omnium simul

Euro-

Europæ principum consentientium & in unum convenientium armis opprimantur & extinguantur, pœnasque luant talis impietatis, cui nulla possunt digna supplicia pro meritis irrogari? Nam quot scelera in uno scelere commiserunt? Vt magnum discrimen quod vitæ impendet vitari sæpe non potest aut vinci sine multis minoribus periculis, ita magnum scelus quale ab his monstris admissum est, non potuit sine infinitis aliis flagitiis perpetrari. Cum uno parricidio junxerunt juris divini, naturalis, juris gentium, omnium legum publicarum privatarumque eversionem, reipublicæ perturbationem, libertatis populi oppressionem, Senatus abolitionem, nobilitatis exterminationem, innocentium damnationem, peculatum & ærarii publici direptionem, sollemnis conventionis infractionem, perfidiam, jurisjurandi violationem, statuum omnium confusionem, immo subversionem. Nam regalem statum regis cæde & stirpis regiæ à successionis jure ac spe remotione sustulerunt. Optimatum dominationem everterunt, regni proceres ex Senatu ejiciendo, cujus digniorem potiorem prioremque partem constituebant. Popularis vero status genus penitus aboleverunt quadraginta tyrannorum Concilium erigendo cum summa potestate ad rempublicam administrandam, novum autem & inauditum sæculis prioribus statum instituendo qui *Militaris* debet appellari. Hanc enim στρατοκρατίαν priscis incognitam vero nomine oportet nuncupari, quæ forma hodie in Anglia regiminis per hos inspiratos fanaticos introducta est, non δημοκρατία, non ὀχλοκρατία, quamvis penes plebem absolutam potestatem residere verbo tantum tenus videantur statuisse. Scelerati igitur cum tot rebus deprehendantur, totque criminibus nocentes, doctrina

ctrina peſtifera, facto nefario, exemplo pernicioſo, quod illos fatum manet niſi ut omnes gentes omnes ætates, improbos ac deteſtabiles eos deputent, iiſque imputent quidquid turbarum ac tumultuum quocunque tempore in ſuis rebus publicis ſuſcitabitur. Et merito ſane. Excuſatius quippe in poſterum peccabunt quicumque hujus facti præjudicium ſequentur. Nam ſi qui ſunt tale quid ſequuturi, eis crimen iſtorum excuſatio futura eſt, qua factum ſuum defendent. Quid excuſationem dico? Ea eſt harum peſtium doctrina, ut etiam audeant affirmare ſe ſolos ſapere & recte ſentire, ſe ſolos eſſe puros & ſanctos, ſe Deo volentia facere, præceptiſque ejus conſentanea, dum regum coronas pedibus conculcant, ſceptra confringunt, thronos deſtruunt, paludamenta conſcindunt. Peccare docentem hiſtoriam non ſolum in hujus ævi monumentis poſteritas cum ſua leget pernicie, ſed etiam exitiale hoc dogma imbibet, niſi obviam prompte eatur. Nam vel propter hanc impiam doctrinam, non ſolum ex omnibus regnis ubicunque invenientur, exturbandi ſunt, ſed omnia etiam regna conſpirare debent, ut ex eo regno quod intoleranda tyrannide oppreſſum nunc occupant, ejiciantur. Enimvero de multis pravè factis hoc dici poteſt, quædam vitioſa eſſe ac minus emendata, quæ tamen non ſunt ſcelerata. Hoc vero ſceleratiſſimum eſſe, non unius, aut alterius, aut plurium opinione, ſed omnium omnino, quis neget? Magnum vero eſt argumentum & indubitatum, rem ita ſe habere ut creditur, cum omnes unanimiter idem de ea ſentiunt, cum una voce quod ſentiunt pronuntiant. Vbi diſſidentes ſunt ſententiæ, tum ſcias nihil certi poſſe in alterutram partem definiri tam-

tametsi plures in alteram discedant. Nam sæpe etiam ex turba idem asserentium, pessimi judicii conjectura capitur. Vbi vero nulla est dissensio, sed omnes unum idemque de re aliqua opinantur, audaciter veritas illa adstruenda est ut non dubia, quæ consensu unanimi universorum recipitur. Hic enim aut nusquam locum habet quod vulgo jactatur, *Vocem populi, vocem esse Dei.* Heic vero plus est. Nam omnium principum, regum, gentium, vocem esse hanc unam dici potest. An aliquis est cui videri aliter queat, nisi ex factione sit fanaticorum, quam hoc planè detestandum esse & execrandum facinus, sive parricidium verius, quod in Regia persona admissum est? Præcipue cum gentium omnium hæc una vox sit, & in singulis gentibus omnium hominum, omnis conditionis, sexus, generis, ætatis, quæ modo rerum quæ aguntur vel mediocriter intelligens esse videatur. Nonnulla sequius facta, si defendi non possunt, excusare tamen licet. Quædam si jure defendi non possunt, saltem ratione aliqua, vel aliquo colore, obvelantur. Hoc vero velim scire quo jure vel qua ratione defendant, quo colore excusent? Nam crimina omnia quæ in regem post necem ejus collegerunt infames impiæ causæ patroni, ejusmodi esse ostendemus, ut appareat eos regem non propter ulla vera aut probata occidisse, sed ea conquisivisse quibus quasi jure condemnari posse videretur. Immo id singulariter quæsivisse ut regem propter regnum tollerent, non regnum propter regem. Hunc enim revera sustulerunt, regnum vero ipsi sub alio nomine usurpatum nunc tenent. Expositis his tot partibus tanti sceleris, ipsisque omnibus sceleratis, ad jus ipsum explicandum descendemus, ut sciamus de

tam

tam nefario ac parricidali facto, an juris vel umbra dari possit, qua insani ejus autores illud excusare saltem queant.

CAPVT II.

DE facto quale sit, vidimus. De jure nunc videamus, an ullum sit, vel humanum vel divinum, quo id fieri licuerit, & quo tale factum defendi possit. Id ut melius liqueat, facti quæstionem in quinque partes dividemus. Nempe ut quæramus quis, per quos, qua autoritate, quo crimine, quo judicio damnatus sit. Sic intelligemus, rectene an secus is de quo agitur accusatus, damnatus, capite truncatus fuerit. Primum igitur de primo. Quis condemnatus sit, apparet. Rex est. Qui regem dicit, eum intelligere velle palam est cujus suprema est in regno potestas, nullique alii nisi Deo obnoxia, cuique adeo soli actuum suorum rationem reddere cogitur, præterea nemini. Cui quod libet licet. Qui legibus solutus est. Qui leges dat, non accipit. Et proinde qui omnes judicat, à nemine judicatur. Hæc sunt regiæ potestatis jura & δικαιώματα, quæ semper & apud omnes gentes quibus regius dominatus placuit, rata fuere & fixa, & pro lege à qua recedere non liceret, observata. Cum igitur hæc omnibus gentibus de regum suorum plena & summa potestate opinio sederit, à jure gentium, vel potius naturali, eam originem habere statuendum est. Sic Oriens totus olim judicavit, sic Occidens. In Septentrionis & Meridiei regionibus quæcunque regibus paruerunt subditorum populorum non alia mens, non alius mos fuit. Assyrii, Medi, Persæ, Romani, Iudæi, Græci, Pagani, Christiani ita senserunt. In Ecclesiaste habemus

bemus cap. VIII. hæc verba Regis ſapientia clari, quam à Deo infuſam acceperat: *Ergo os regis obſerva, & præcepta juramenti Dei. Ne feſtines recedere à facie ejus, neque permaneas ab opere malo, quia omne quod voluerit faciet, & ſermo illius poteſtate plenus eſt, nec dicere ei quiſquam poteſt, quare ita facis.* Cum Iſraëlitæ regem à Deo per Samuelem Prophetam petiere, eodem jure ſe ab eo gubernari & judicari velle dixerunt, quo omnes aliæ tunc nationes, quæ hoc regimine uterentur. *Conſtitue*, inquiebant, *ſupra nos regem ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes.* Ad eundem itaque modum moremque regem quem petebant, ſupra ſe regnare voluerunt, quo modo & cæteræ gentes Orientis à regibus ſuis eo tempore gubernabantur. Regnabant autem illi plane, non obnoxie, id eſt ſummo jure, & poteſtate non circumſcripta. Virgilius:

— Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum & Medus Hydaſpes
Obſervant. —

Cum urgerent talem ſibi dari Regem, Propheta, ne ſibi non prædictum illi poſtea dicerent, & ne ignorantiam juris regum & moris in regnando prætenderent, monuit illos verbis Dei, viderent quid facerent, juſque ſic illos regium, & ratio quæ eſſet imperandi edocuit, in iis quæ ſequuntur Samuelis I. cap. VIII. quæ clauſulam iſtam in fine habent, *Voſque eritis ei ſervi.* Cum eos, inquam, monuiſſet de filiis & filiabus ſuis rapiendis ad miniſteria regis quo eos deterreret à rege poſtulando, item de agris, vineis, olivetis à ſe auferendis, de ſegetum & vinearum reditus & gregum addecimatione ab illo facienda, de bonis ſuis tradendis famulis & eunuchis regiis, poſt hæc tamen perſiſtunt in ſua petitione, & regem volunt,

lunt, dicentes, *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit nos rex noster.* Ergo iis conditionibus & eo jure regem habere non recusarunt, quo cæteræ gentes tunc haberent. Non deprecantur nec abominantur injustum regem, iniquum, violentum, raptorem, & quales esse solerent in aliis gentibus, etiam qui pessimi forent. Hoc tamen jus esse regis & in illis rapinis, injuriis, violentiis, contumeliis sæpius constitere Propheta ipsis insinuaverat. Non de facto nudo, ut quibusdam placet, jus illud accipiendum, nisi factum & jus idem esse contendant, sed de eo jure quod fieri soleret à regibus impune, & cum aliquo dominatus regii proprio. Qui enim pro arbitrio suo quod vult facit, nec lege ulla tenetur, ne faciat, nec pœnam timet si fecerit, id *sui juris* esse ut faciat, merito potest dicere. Hinc Latini *suo jure* ab aliquo id, fieri dicunt, cujus potestatem is habet faciendi nulla pœnæ formidine proposita. Nam, ut ait Sallustius, *Impune quidvis facere, id est regem esse.* Rex cui quod libet licet, si quod libet etiam faciat quia licet, suo jure utitur. Quod in privatis quoque obtinet, cum *de jure suo* nihil remittunt, sed id rigide & nimis exacte persequuntur. Quo casu verum est quod vulgo dicitur, *Summum jus, summam esse injuriam.* Id in regibus maxime locum habet, qui cum summo suo jure utuntur, ea faciunt in quibus Samuel dicit jus regis esse positum. Aliquando reges summi juris, id est sui, rigorem relaxant, cum legibus quas sanciunt se teneri quoque ipsos æquum putant, cumque eas primi observant, ut sic libentius & promptius à populo serventur. Sane jus & justitia plurimum differunt. Aliquod jus etiam minus æquum est & injuriæ propius, justitia vero semper id quod æquum est ac rectum

ctum respicit. Inde est quod de Servio dixit Cicero in quadam Philippica, *Justitiæ eum magis fuisse quam juris consultum*, & rationem addit, *Quia malebat controversias tollere, quam formulas juris componere, aut litium actiones instituere.* Et quod ea quæ à legibus & ab jure civili proficiscebantur, *semper ad utilitatem æquitatemque referebat.* Ita principes boni cum justitia imperant, qua omne quod recte atque ordine fit continetur, minus vero boni jure licentiæ quæ ipsis concessa est uti consueverunt. Hæc licentia dat *posse si velis. Quod in servitute miserum esse*, ait idem Cicero in octava Philippica, *etiamsi dominus non molestius sit.* Hoc enim interest bonos inter & malos reges, quod boni, quod possunt nolunt, mali vero volunt ut possunt. Ne privati quidem omnia quæcunque possunt & licita sunt velle debent, si ad normam honestatis mores suos vitamque exigant. Nam quicquid licet, non statim honestum est, & multa melius est non feciſſe quamvis factu facilia, atque etiam licita. Nihil turpius mendacio, mentiri tamen licet. Circumvenire alterum in contractu faciendo licet, id tamen honesto viro non convenit. Nihil ingrati animi vitio potest reperiri detestabilius. Atqui impune cuilibet ingrato esse licet, & vilis hodie annona talium. Perjurium abominandum est. Hujus pœnam certam apud Deum repositam esse veteres statuerunt. Ergo impunitum apud homines manet, & quodammodo licitum. Non omnia quæ licent etiam expedire Paulus quoque dixit. Ita ergo & regibus pro ampliſſima & infinita qua præditum est jus regium potestate, cum possint si velint, magis tamen expedit illo suo summo jure non uti, & licentia quam habent non abuti.

Sed

Sed posse illis datum est si velint, & quidem impune, quia quod libet illis licet. Sic jus regium apud Samuelem exponendum est, non de facto nudo. Nec illis tamen accedo qui censent de jure Majestatis intelligi debere, quod proprium sit ac legitimum omnium regnantium. Ius illud fuit licentiæ qua reges uti non decet, non oportet, cum tamen id possint impune usurpare. Nec eorum etiam sententia ulla ex parte mihi probanda est qui existimant non regem tunc Iudæis à Deo constitutum esse sed tyrannum, ac pro pœna illis datum, ut ab irato numine & offenso. Hæc omnia facile refutari possunt, & mentem Scripturæ sacræ non videntur satis assequuti qui ita sentiunt. Israëlitæ pertæsi regiminis quod sub filiis Samuelis, qui Iudices eorum erant, diu experti fuerant, quia non recte administrabant judicia, regem expetiverunt, non vero tyranuum. Nec fuit causa cur Deus regem petentibus tyrannum daret, & præcipue per Prophetam Deo dilectum preces suas ipsi Deo allegantibus, & cum non sine causa judicum tunc gubernantium administratio molesta ipsis esset & importuna, vixque ferenda. Postremo qui primus ad petitionem eorum tunc datus illis est non fuit tyrannus nec pro tyranno illis datus, sed rex non de pessimis unus. Quinimmo de eo dicitur capite proxime sequenti apud Samuelem quod bonus & electus sit, quinimo *nec fuisse in filiis Israëlis quemquam meliorem illo.* David qui illi successit etiam optimus rex fuit, Salomon ejus filius sapientissimus omnium regum. In successione regum Iudæ multi bonitate præcellentes extitere ac Deo chari. Denique de rege Israëlitis constituendo jam antea prædixerat Moses Deuteronomii XVII. legesque ei ac præcepta bene imperandi per anticipationem dederat.

rat. *Cum ingreſſus*, inquit, *fueris terram quam Dominus Deus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris, conſtituam ſuper me regem ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Per ſpiritum Prophetiæ Moſes de eo rege jam præviderat, quem Iſraëlitæ à Deo ſibi conſtitui petituri erant ſub Samuele, & per illum. Quæ verba Moſis ſatis clare ſignificant, nec pro pœna impoſitum Iſraëlitis à Deo irato regem, nec primum qui datus eſt tyrannum fuiſſe, ſed legitimum, quamvis ſimilem dari ſibi illum depoſcant eorum regum quos vicini populi habebant. Quibus conditionibus regem aliquando accepturi eſſent, & quo more ille qui electus foret regnaturus eſſet, præſcripſit jam tum ibi Moſes longo tempore antequam ad hoc deveniſſent, & priuſquam terram ſibi à Deo promiſſam ingreſſi eſſent. Primum præcepit, ut eum de numero fratrum ſuorum eligerent. Idque à Saule primo rege ſervatum conſtat uſque ad Herodem magnum qui alienigena fuit. Denique ne exercitu peditum equitumque collecto eos in Ægyptum reduceret. Quod & factum. Poſtremo leges dat illi regi quandoque ab ipſis eligendo, ſecundum quas imperare deberet. Illæ quidem diverſæ ſunt ab illo jure regis quod Samuel eis propoſuit. In Deuteronomio mandat Moſes ne rex eorum futurus plurimas uxores habeat, ne auri & argenti immenſam vim poſſideat, ut Deum timeat, legem meditetur noctes ac dies eamque ſervet & ſervandam omnibus curet, ne ſuperbe ſe efferat ſupra fratres ſuos, ne deflectat ad dextram vel ſiniſtram. Cum de eodem rege intelligenda ſunt quæ hic habentur de rege Iudæis aliquando conſtituendo, & de eo quem conſtitui ſibi petie-

petierunt cap. VIII. Samuelis, eoque plane legitimo futuro, non tyranno, nec usurpatore, nec invasore, quomodo hæc conciliabuntur? Israëlitæ non unum regem aut unicum à Deo petierunt, sed pro judicum regimine quod hactenus obtinuerat apud ipsos, ut regius dominatus in posterum institueretur in Iudæa, postularunt. Vt eos avertat à tali cogitatione & petitione, Propheta proponit eis incommoda quæ ipsis imminerent ex regia dominatione. *Ius Regum* ibi vocat, ut diximus, licentiam quæ concessa esset, quasi legitima, regio more imperantibus. In longa serie regum qui apud eos essent dominaturi multos fore qui illo jure regio & illa licentia quo libet faciendi uterentur, quamquam & bonos aliquos essent aliquando habituri qui secundum præcepta divina regnarent & legem custodirent. Certum omnino est excessum, sive παρέκβασιν à justa & clemente dominandi ratione, ibi designari à Samuele, in asperiorem & duriorem, sed quæ tamen licita esset ac concessa, & proinde legitima. Ideo *jus Regum* appellat. Græci δικαίωμα verterunt. Quo nomine in hoc sensu intelligitur justa causa vel ratio aliquid agendi aut dicendi, quæ versatur in licitis, quam Græci βέλτιον ὑφορμὼ interpretantur. Hebræi hoc loco משפט appellant, eaque voce τὸ καθῆκον intellexerunt. Nam hanc vocem Hebraicam Græca, ὡς καθήκει, Septuaginta interdum verterunt. Nempe id quod ad officium alicujus pertinet. Quamvis autem τὸ καθῆκον, quod decet & oportet fieri, distet ab eo quod licet, id est ὃ ἔξεστι, sæpe tamen, minimo inter utrumque discriminis limite, alterum pro altero sumitur, quia quod licitum est cum aliquo juris colore, id etiam fieri solet. In hanc sententiam recte omni-

omnino de R. Ioſe in Gemara Sanhedrin ſcriptum eſt, ita illum ſenſiſſe. *Quidquid dicitur in capite de rege, eum regum jus habere.* Quod caput de rege, de octavo primi Samuelis accipi debet, non de XVII. Deuteronomii, ut viri docti ibi exiſtimant. De eodem capite Samuelis R. Iudas dicebat, pertinere illud tantum ad terrorem populo injiciendum. Vtraque ſententia poteſt ſtare. Aliud eſt quippe jus quo rex debet facere quod ſe decet, aliud quo poteſt facere quod vult. In priore juſta & clemens dominatio verſatur, in poſteriore jus merum & ſummum ſitum eſt faciendi quod libet, idque ſæpe injuſtitiæ & injuriæ proximum deprehenditur. Ideo cum Samuel Iſraelitas vellet deterrere à rege deligendo, & ſtatu qui obtinuerat mutando, quid juris rex haberet ipſis oſtendit, ſi quando poteſtate ſua is abuti in animum induceret. Ita *jus vitæ & necis* dicebatur quod habuere olim parentes in filios, domini in ſervos, juſque nihilominus dicebatur etiamſi injuſte ab his & ab illis interdum exerceretur. Illa autem ut licita, ita legitima videtur agendi ratio cui impunitas adjuncta eſt. Quod vero impunitum agenti cedit, de eo ut pœnam ille non formidat, ita nec accuſationem, nec judicium, nec condemnationem. Horum itaque trium ſemper immunis habita eſt regia dominatio, cui poſſe datum eſt quod velit, & cui licet quod libet, cum impunitate nimirum, & citra pœnæ aut judicii metum, quodcumque fecerit. Ideo Samuel eodem loco dicit, adverſus talia facientem regem quem elegerint, & jure ſuo utentem, imploraturos quandoque Dei auxilium, ceſſante omni alia ope humana ad quam recurrere poſſint, judiciorum nempe & legum, quibus experiri poſſint cum rege ſuo ſu-

pra leges utpote posito, & supra se. Ita enim cum regem peterent dixere, *Rex erit supra nos, & nos erimus quoque sicut omnes gentes.* Nec aliter sane existimari potest quam supra leges esse eum qui nec accusari jure potest, nec judicari, cum ex legibus quæstiones & actiones, accusationes ac judicia publica constituta sint. Præter illa quæ in primo Regum de Samuele & regis apud Israëlitas primi constitutione leguntur, Iudæi quoque in Talmude confirmant regem suum non judicari, nec cuiquam in eum licere testimonium dicere, Ex quibus planum est, nec accusari potuisse. Sic enim in Codice Sanhedrin. cap. II. *Rex neque judicat, neque judicatur. Non dicit testimonium, nec in ipsum dicitur.* Contra de Pontifice ibidem habetur. *Sacerdotem magnum judicare & judicari, testimonium in alios dicere & in ipsum dici.* Sed quod de rege ibi scriptum est, *non judicare*, id oportet obtinuisse in iis regibus qui post captivitatem regnarunt. Nam aliter fuisse in primis illis qui à Saule usque ad ultimum Ioachimum qui Babylonem captivus cum populo abductus est, prorsus videtur. Certe cum Israëlitæ regem sibi constitui à Deo petierunt in locum Iudicum à quibus ante judicia exercebantur, resque publica curabatur, judicasse itidem eos oportet, ut judices faciebant. Diserte quippe populus Regum I. cap. VIII. regem rogat sibi dari à quo judicetur: *Da nobis regem ut judicet nos.* Et paulo post: *Rex enim erit supra nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit nos rex noster.* Dictum est de Davide Samuelis II. cap. VIII. *Et regnavit David super omnem Israël. Faciebat quoque David judicium & justitiam omni populo suo.* Certum quidem est Maimoniden hanc ponere inter reges Israëlis & reges Iudæ ex Davidis

dis posteris differentiam, quod reges familiæ Davidis judicarent,& judicarentur,testimonium adversus eos dicerent alii, ipsique in alios dicerent, Reges autem Israëlis judicandi potestatem non habuisse, nec etiam judicari potuisse. Quæ in primis regibus omnino locum videntur non habuisse, quibus plena & absoluta potestas supra populum & supra leges fuit, cum in judicando, tum in aliis rebus regio jure administrandis, ut ex primo Samuelis constat. Ibi enim plane habetur scriptum: *Et vos eritis ei servi.* Item Paralipomenon cap. XXI. Ioab Davidi dicit, *Nonne Domine mi rex omnes servi tui sunt? quare hoc quærit Dominus meus quod in peccatum reputetur Israëli?* Præterea regem sibi imponi rogaverunt ad instar eorum regum quos cæteræ gentes in vicinia haberent, quos omnes constat summa præditos fuisse in regno administrando potestate. Post migrationem è Babylone, per Pontifices qui duces, & principes populi erant, gubernati sunt, usque ad Aristobulum Ionathæ filium, qui Rex pariter & Pontifex fuit, primusque apud Iudæos diadematis sumpsit insigne, πρὸ ἀρχὴν, ut ait Iosephus, εἰς βασιλείαν μεταδείναι δόξας. Sub illo & sequentibus regibus usque ad Herodem Magnum, quo regnante natus est Christus, plurimum potuit Synedrium, nec sine ejus consilio & consensu quicquam regi, majoris quod esset momenti, agere licuit. Et de his plane regibus verum est quod dixit Iosephus lib. IV. Antiquitatum, ubi jura regis commemorat, sicut habentur Deuteronomii XVII. Περαιτέρω ὃ μηδὲν δίχα τῆς ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης. *Nihil præter Pontificis & seniorum sententiam faciat.* Quod de regibus quipaulo ante Iosephi tempora imperarunt, fortasse dici debet, ab Aristobuli regno, non

de primis illis qui ante captivitatem fuere. Sed nec verba illa quæ ex Ioſepho citavimus, in illo Deuteronomii loco leguntur, quo regibus Iſraëlis Moſes leges dat ſecundum quas eos regnare oporteret. Nihil inquam ibi extat, quo doceatur nihil agere eos debere ſine conſenſu & conſilio Pontificis & Synedrii. Ioſephus itaque ad ſuæ ætatis reges fortaſſe an reſpiciebat cum illa ſcriberet. Qui tamen & Synedrio majorem habuere poteſtatem. Nam & ipſos Pontifices maximos pro libitu creabant & dejiciebant. Ex tota autem priorum regum hiſtoria ſatis compertum eſt pleraque eos egiſſe non conſultis Synedrii ſenioribus nec Pontifice, cum & multa contra legem Dei ſtatuerint & fecerint, præcipue circa idolorum cultum. Ob quem tamen, cum crimen illud eſſet omnium graviſſimum, nec accuſatos unquam, nec judicatos à Synedrio conſtat. Illud vero quod ait Maimonides de regibus ex familia Davidis qui judicabant & judicabantur, ne de illis etiam id intelligendum qui poſt Ariſtobulum regnarunt, multo minus de illis quos diximus, quorum primus fuit Saul, ultimus Ioachimus. In Gemaræ tractatu de Synedrio cap. 11. hæc Talmudis traditio, quod *rex nec judicat nec judicatur*, non pertinere dicitur niſi ad reges Iſraëlis. *Nam*, inquiunt, *qui ex familia Davidis ſunt judicant & judicantur*. Qui ſunt illi reges Iſraëlis? Nempe qui in terra Iſraëlis, hoc eſt in Iudæa regnarunt, non primi illi quos diximus à Saule uſque ad Ioachimum imperaſſe, ſed hi qui poſt Ariſtobulum uſque ad Herodem imperium nomine regio tenuerunt. Quod ex illo capite Gemaræ clarum eſt. Nam ibi narratur qua ex cauſa factum ſit hoc decretum de rege, quod *nec judicaret nec judicaretur*. Servus Iannæi regis, is eſt qui Alexander

der cognominabatur, homicidii reus erat. Cum judicium de ea cæde habere vellent Seniores, Iannæo regi significarunt, servum ejus hominem occidisse. Mittit illum rex ad eos ut de eo homicidio cognoscerent. Cum mandarent denuo ut se sisteret ipsum, testimoniumque acciperet, nam de domino legem dicere, *Veniat possessor bovis, & consistat juxta bovem*, venit ille & assedit in consilio. Tum Simeon filius Scharahi ad illum respiciens, dixit debere illum surgere in pedes cum testimonium in eum diceretur, scriptum quippe esse, *stabunt duo isti viri quorum lis est*. Ibi rex Iannæus respondit, non ex jussu tuo id faciam, sed si id statuerint collegæ tui. Atque hi cum defixis in terram oculis quasi cogitabundi manerent, reperti sunt paulo post solo afflicti & exanimati à Gabriele. Inde ajunt factum esse decretum, ut rex nec judicaret nec judicaretur. Sed hæ nugæ sunt & fabulæ Rabbinicæ. Iannæus iste successit Aristobulo qui primus diadema sumpsit & regem se fecit, cum prædecessores ejus omnes principes & duces populi tantum essent, iidemque Pontifices, regio vero nomine abstinerent ac jure. Iudicabant quippe & judicabantur, & maxima tum potestas & administrandi ratio pénes Synedrium erat. Aristobulus primus hunc statum in regium commutavit, sumpto regni insigni. Vt vero omnia sunt initia, non satis ea perfecta nec absoluta, nondum ille jus regium habuit cum regis tamen insigne gestaret. Successor ejus ulterius progressus est. Nam vocatus in jus à Senioribus consessus parere noluit. Ab eo firmatum id jus, & sequentibus traditum. Sed quia supremam non habebant potestatem, jus quoque non reddebant, hoc ex regali jure retinentes tantum, ut non possent

ſent judicari. Nec exemplum ullius in his poſterioribus Iudæ & Iſraëlis regibus afferri poteſt qui judicium capitis ſubierit, aut in Jus vocatus ſit ex ulla criminis cauſa. Nam quod de Herode aſſerunt Hildebrandinæ & Enthuſiaſticæ doctrinæ autores, nihil eos juvat, quia rex non erat, ſed præfectus tantum Galilææ cum ad Synedrium citatus eſt vivente adhuc patre rege, ut ex Ioſepho clarum eſt. Et parum prudenter urget hanc hiſtoriam Sichardus ut probet Synedrium etiam judicaſſe de regibus. Quod falſiſſimum eſt, nec probari poteſt. Reges è poſteris Davidis judicium in ſe accipiebant, & in alios exercebant. Quinam illi fuere? Nempe Duces captivitatis qui Babylone agebant, Ἀϊχμαλοτάρχαι Græcè dicti. Hi ad Davidem genus ſuum per mares referebant. De his habetur in Gemara Talmudica cap. 1. de Synedrio, traditionem qua fertur, *non receſſurum ſceptrum à Iuda*, ad eos pertinere, nam eos eſſe Achmalotarchas Babylonicos qui ſceptrum Iſraëlis tenebant. Sed cur hi judicabantur, cum id proprium eſſet regii juris, *non judicari?* Non erant veri reges, ſed vice tantum regia regnabant. Subjiciebantur enim regibus Perſidis à quibus poteſtatem ſuam accipiebant. Ex his liquet eos qui reges eſſent re & nomine, non potuiſſe judicari, impune ergo ipſis fuiſſe quidquid feciſſent. Non deſunt tamen ex Rabbinis qui longe aliter hanc differentiam regum Iſraëlis & regum familiæ Davidis explicent. Nam reges Iſraëlis de Samaritanis exponunt, quos volunt tranſgreſſores legis in regno ſuo fuiſſe, & nimis ſuperbe imperaſſe, nec eo ſe unquam demiſiſſe ut legi vellent obedire. Reges autem à Davide oriundos, quia legem noverant, non exiſtimaſſe ſibi indecoram

iſtam

istam legi parendi necessitatem, ideo & judicasse & judicium Synedrii excepisse. Aliquot de ea re Rabbinorum testimonia Sichardus allegavit. Sed non possum à me impetrare ut hoc esse credam, aut ut mihi persuadeam primos Iudæ reges à Davide usque ad Ioachimum, à Synedrio unquam fuisse judicatos. Nullum exemplum producunt, nec producere vero possunt. Vt ostendant reges debere etiam judicari, & eos qui essent ex domo Davidis etiam judicatos fuisse, adferunt ex Ieremia Propheta hæc verba cap. XXI. vers. 11. *Domui Davidis hæc dicit Dominus, judicate mane judicium, & eruite vi oppressum de manu calamitatis.* Atqui, inquiunt magistri in Gemara, *nisi in jus vocari possent, quomodo judicarent?* Quod est ridiculum. Quasi judicare non possent de aliis reges, nisi de ipsis alii judicent. Cæterùm vel locus ille ipse Ieremiæ clare testatur non judicatos fuisse nisi à Deo reges illos domus Davidis. Nam sequitur continuo apud prophetam comminatio Dei in illos nisi judicium exerceant, ac de manu calumniatorum innocentem liberent. Si Deus sibi sumit ut de his judicet, hoc judicium hominibus ademit. Nihilo magis ad rem facit quod sequitur ex Scriptura testimonium ad hanc rem probandam, *pervestigamini & pervestigate*, id est, inquiunt autore R. Lakises, *Corrige te ipsum, deinde alios corrige.* An inde sequitur regem debere capitis judicium subire? Hoc pertinet ad internum conscientiæ judicium qua se quisque probare tenetur, & in se descendere. Si non habent validiora argumenta quibus doceant reges domus Davidis, ut judicant ita debere judicari, nihil agunt. Præterea differentia quam ponunt inter reges Israëlis & reges domus Davidis nihili est, si vera est historia illa de Iannæo

quam supra retulimus ex Gemara, cujus occasione volunt natum esse morem, sive statutum, ut rex nec judicet nec judicetur, eamque traditionem pertinere ad reges tantum Israëlis. Nam Iannæus ille, ut & successores ejus usque ad Herodem & sequentes, reges etiam fuere Iudæ, non Samariæ tantum, sicut distinguebantur Samaritani reges olim à Iudæ regibus. Postremo quod afferunt de domus Davidis regibus judicandis & judicantibus, non aliud genus castigationis spectabat quam verberationem, eamque in certis tantum casibus usurpari in reges solitam, si multiplicaret uxores currus equosque, & si amplificaret pecuniam. Ea autem vapulatio, sicut eam describunt Rabbini, pœnitentiæ potius genus & quidem voluntariæ fuisse videtur quam pœna ob crimen inflicta. Nam ipse deligebat à quibus verbera exciperet, & modum verberandi statuebat. Non ignominiosa denique fuit hæc castigatio apud Iudæos. Nam eos qui hanc passi erant infamia non sequebatur, nec dignitatis gradu illi excidebant, ipsique etiam Pontifices summi huic flagellationi erant obnoxii. Non illi denique possunt ostendere ex ullis historiæ sacræ monumentis, quemquam priorum regum Israëlis, aut ex successoribus Davidis, hac pœna fuisse affectum. Ne quidem ex suis traditionibus tale quidquam depromptum possint dare. Præterea credibile non est regibus violationem & transgressionem legis ac præceptorum Decalogi quæ describere ipsi & memoriæ mandare tenebantur, sine ulla castigatione & pœna cessisse, & verberibus multatos fuisse propter uxorum numerum nimis grandem, & propter currus multiplicatos, aurique & argenti talenta amplificata. Talmudica sane Misna absolute ac simpliciter pronun-

nuntiat regem non judicari. Eadem ubi percenſet perſonas de quorum capite & cauſa cognoſcebat Synedrium magnum, nullam facit regis mentionem. Vnde certum eſt regem non vocari in jus ſolitum ad tribunal ſeptuaginta Seniorum, non coram his accuſatum, nec ab his judicatum. *Tribus*, inquiunt, *Pſeudoprophetes, Sacerdos magnus, nonniſi à* LXXI. *judicum conceſſu judicatur*. At Gemaræ autores dum diſtinguunt inter reges Iſraëlis & reges familiæ Davidis, aut nugantur, aut ea differentia explicanda eſt ſicut expoſuimus. Sed de his adhuc infra erit dicendum. Vt ad rem ex diverticulo revertamur, nihil omnino tam proprium regiæ majeſtati videtur quam τὸ ἀνυπεύθυνον, à nemine pendere, nemini eſſe obnoxium, à nemine judicari poſſe. Qui nulli alteri mortalium de ſe & pro ſuis actibus reſpondere tenetur, reſtat ut Deum ſolum agnoſcere debeat judicem. De quo ſemper convenit inter omnes ferme populos qui unquam regium dominatum accepere & pertulerunt. Omnium quippe ſæculorum ac gentium una vox fuit, & una hæc ſententia, regem non eſſe videri, nec dici debere, à quo ratio eorum quæ ageret exigi poſſet, aut qui propter male facta pœnam perſolvere deberet. Illuſtris eſt apud Ioſephum locus lib. XV. Antiquitatum cap. IV. de Herode, qui cum poſtularetur apud Antonium à quo precarium obtinuerat regnum, cædis in Ariſtobulo commiſſæ, uxoris ſuæ Mariamnes fratre, Antonius reſpondit, non eſſe juſtum aut æquum à rege reposci rationem eorum quæ tanquam rex egiſſet. Nam ſi id fieret, regem eum non eſſe videri oportere, eos autem qui hunc illi honorem & poteſtatem conceſſiſſent, poteſtatis quoque uſum à nullo dependentis videri permiſiſſe. Si rex ejuſmodi,

qui regnum alterius beneficio teneret, vel judicio ejus cujus hæc fuit gratia, nulli obnoxiam potestatem exercere debuit, quid de illis dicendum qui ab alio non habent quod regnant, sed soli Deo acceptum referunt? Inde est quod solium in quo rex sedet *solium Dei* in Sacra Scriptura dicitur, ut Paralipomenon lib. 1. cap. XXIX. *Sedítque Salomon super solium domini in regem pro David patre suo, & cunctis placuit, & paruit illi omnis Israël.* A Deo reges creari dicit Clemens in Constitutionibus Τὸν βασιλέα, inquit, φοβηθήσῃ, εἰδὼς ὅτι ἡ κυρία ὄξὺν ἡ χειροτονία. *Regem timebis, sciens hanc domini esse electionem.* Apud Essenos hæc etiam doctrina, teste Porphyrio, obtinuit, quod sine Dei numine nemini imperium habere contingat, ἐ δίχα θεῦ ἀδειμάντῳ τίνι τὸ ἀρχὴν. Inde vetus poeta à Iove reges esse dixit, ἐκ Διὸς βασιλῆες, Homerus unum regem in populo oportere esse ait, quem constituerit Iuppiter:

— Εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

An aliud Christianæ doctrinæ auctores primi prædicarunt, cum Euangelium gentibus adnuntiarent? Paulus in Epistola ad Romanos XIII. *Non esse potestatem nisi à Deo* scribit, *& quæ sunt, à Deo esse ordinatas.* Is est, ut habetur apud Danielem, ὁ καθιςῶν βασιλεῖς καὶ μεθιςῶν, *qui constituit reges & transfert regna.* Si à Deo reges constituuntur, si per eum regnant, ut ipse Deus dicit, non alius eos judicare debet præter ipsum qui dedit. Quam veritatem non minus Græci agnovere quam Iudæi & Christiani. Decantatissimum illud est Lyrici Romani:

Regum tremendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis.

M. Aurelius sapienter ac scite dixit, Magistratus

tus de privatis, principes de magistratibus, Deum de principibus judicare. Xiphilinus, πᾶσι γὰρ τοῦτο τῆς αὐτοκρατείας ὁ θεὸς μόνῳ κρίνειν δύναται. Plena sunt testimoniorum id disertis verbis confirmantium omnia Græcorum & Latinorum monumenta, nec minus Iudæorum, quamvis isti in plerisque regiæ potestati minus æqui fuerint. David Psalmo XVII. canit, *à facie tua judicium meum egrediatur.* Ex quo probat Bar-Nachmoni, ut jam viris doctis notatum est, *quod nulla creatura judicat regem nisi Deus.* Quod non de interiori tantum judicio quo Deus corda probat intelligendum est, sed de externo quo pœnas imponit. Hinc idem rex & propheta cum exomologesin & pœnitentiam ageret pro homicidio in persona Uriæ commisso ut uxorem ab eo abduceret, in hæc verba, à Deo veniam petens, erupit Psalmo LI. vers. VI. *Tibi soli peccavi.* Soli Deo delinquit qui judicem eum habiturus est solum delicti sui, quique nulli alii vindicanda nec ab ullo homine castigari metuentia committit. Quod & tunc accidit. Plus vice simplici peccaverat rex ille, adulterium cum homicidio conjunctum admittendo. Non pro duplici crimine in jus vocatur, nec coram Synedrio causam capitis dicere cogitur; sed Prophetam mittit ad eum Deus qui ei peccatum exprobret & pudore illum confundat, sed & pœnam simul denuntiet sequuturam à Deo ipso infligendam. Adversus Reges male agentes cum nullum sit populo positum in jure, nec in legibus, nec in judiciis præsidium, ad Deum solum confugere debet, ut se vindicet & liberet tyrannica regis injustè dominantis oppressione, non ipse vindictam de eo sumere, cum id facere nequeat quin Deum gravissime offendat, cujus potestatem hoc modo sibi adrogat & jus attentat. Quod & Samuel ca-

pite illo de jure regum clariſſime docuit. Eum Prophetæ locum ad ſui defenſionem perperam à Rege Angliæ allegatum tradit Advocatus ex illo latrocinio Sicariorum qui regem innocentem & pium, ſuæ ambitioni & tyrannidi victimam mactare non horruerunt. Advocatus inquam ille, qui in conſeſſu ſanguinario Alaſtorum negotium habuit perorandi contra regem tanquam omnium flagitiorum reum, ut nefarios ſibique ſimiles judices ad condemnationem ejus inflammaret, ſatis per ſe ad hoc incenſos & excitatos, in libello quo criminationes plures congeſſit ex quibus rex morti adjudicandus fuit, ſi reſpondere dignatus eſſet ad crimina ſibi objecta, ſcribit prohibitum eum fuiſſe ab ea Samuelis allegatione. Primum, inquit, quia ibi deſcribitur tyrannus; deinde quia non ibi ſignificatur quid bono regi ſit faciendum, ſed quid malus facere ſoleat. Tertio quia Saulis & Davidis electio in regem extraordinaria fuit, hoc autem tempore omnis autoritas à populo in regem derivatur. Poſtremo quia Saul tunc datus eſt populo in pœnam, quoniam regem petierant ad inſtar eorum quos cæteræ nationes habebant, illos autem omnes fuiſſe tyrannos. Vt ad ultimum primo reſpondeam, ridiculum plane eſt quod dicit, & ſtupore illo dignum quo ejuſmodi fanatici demerſi obbrutuerunt. Nam Deus pejus eos perdere videtur voluiſſe quam ipſi perditi ſunt. Ita enim ratiocinatur. Quia Iudæi tunc ſe puniri voluerunt Deus eos punivit. Tyrannum petierunt, Tyrannum eis dedit Deus, fecitque haud ſecus ac ſi pater ſtolido filio anguem pro anguilla ad eſum poſcenti, ſerpentem quem vellet daret. Regem, inquit, petierunt ſimilem regibus gentium cæterarum. Atqui illi Tyranni

ni omnes. An ergo hoc neſciverunt tunc temporis Iudæi? Ignorarunt nempe an Ægypti reges tyranni forent? Vicini illi certe Iudæorum. Et in Deuteronomio dicitur de hoc populo: *Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes.* In illo ſane circuitu fuere & Ægyptii. Hebræi diu apud eos vixerunt ſub duro imperio, quaſi captivi. Quo jure & more inde loci reges in ſuos ſubditos regnarent, non potuit eos magis latere, quam de aliis nationibus quæ in vicinia eorum habitarunt, regeſque habuerunt. Si hoc igitur non ipſis incognitum fuit quale regale eſſet tunc regimen apud gentes notas & finitimas, an veriſimile eſt, eodem more quo illæ gubernabantur, regi concupiſſe cum tyrannice ſcirent eas regi? An de fumo in flammam ire præſcipites maluerunt, id eſt ſævitiam peſſimorum tyrannorum experiri potius, quam judices malos pati quibus jam aſſueverant? Si de re ſibi ignota contendebant ut reges haberent, cur Deus tanquam bonus pater ignorantiæ eorum non ſubvenit, atque errantibus non dedit veniam? Nam quis panem petentibus natis lapidem dat benevolus ac benignus parens? Immo panem credentibus qui lapis eſſet, nunquam daret. Sed reponet ſanguinarius Patronus, hoc etiam Deum facere deſtinaſſe cum per prophetam ſuum eos commonefecit erroris ſui, quaſi parum gnaros quo jure reges erga ſubditos uti ſolerent, ſed illos Deo velut invito regem accipere voluiſſe. Si ita eſt, ergo jam tum autoritas in populo erat maxima, non hodie atque heri penes illum cœpit eſſe, ut pertendit cruentus Advocatus. Liberrima ergo tunc poteſtate populus erat præditus. Quod oſtenderunt eo tempore Iſraëlitæ cum Iudices

à quibus gubernabantur libere repudiarunt, & regem optarunt. Non tamen existimandum est Deum ita eorum voluntati obsequutum fuisse, ut rem malam volentibus annuerit, nec eos tam prave judicasse, aut in tam stolidam voluntatem lapsos esse, ut quod malum sibi esset futurum quærerent, præsertim cum opinione Labi non possent, & scire in promptu ipsis esset qualis ratio foret regii regiminis apud vicinas gentes. Non hoc autem novum est ut rem optabilem & concupiscendam pater invitus, licet bonus, filio concedat, per vim quodam modo eam extorquenti. Hoc autem vel Scriptura ipsa teste licet confirmare, Deum Israëlitis regem non tanquam tyrannum aut pœnam petentibus tunc attribuisse, sed ut rem salutarem & bonam. Sic autem capite 1 x. ejusdem Samuelis primi de Saule inaugurando & inungendo Deus Prophetæ suo præcipit: *Hac ipsa hora quæ nunc est cras mittam virum ad te de terra Benjamin & unges eum ducem super populum meum Israël & salvabit populum meum de manu Philistinorum, quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.* Respexit Deus populum suum, ad preces eorum dat illis regem qui eos eripiat de manu hostium suorum. Nunquid hæc argumenta sunt Dei irati, & contra voluntatem suam dantis in pœnam Israëlitis malum regem ac tyrannum? Præterea falsum est quod ponit pro confesso ex grege fanaticorum Advocatus, omnes reges qui tunc temporis regnarunt, tyrannos fuisse. Aristoteles in 111. de Republica omnes reges Orientis, κατὰ νόμον fuisse scribit, & legitimos agnoscit, utpote qui hæreditaria omnes tenerent regna. Vel de Ægypti regibus hoc constat ex fide dignis autoribus, eo more modoque tum imperium exer-

exercuisse, ut legibus in maximis minimisque rebus obstricti essent. Leges quippe illis positæ erant quibus prandere, cænare deberent, non minus severæ quam quas ægroto medicus servandas præscribit. Etiam leges certas concumbendi cum uxore observare habuerunt necesse. Si ad hoc instar regem dari sibi petierunt Israëlitæ, num tyrannum videntur habere voluisse? Nihil minus. Quinimmo & leges multo antè præscripserat Moses regi quem ex Dei mandato constituere sibi debuerunt, simul ac terram promissam ingressi fuissent. Secundum illas regnaturus Israëlitarum rex non potuit videri tyrannus, ut nec Ægyptiorum. Omnibus quoque aliarum gentium regibus, etiam antiquissimis, leges datas fuisse liquet quas observarent si boni esse, & bene vellent regnare, non tamen ut iis tenerentur judiciorum metu & pœnæ capitis, ut infra dicam. Tradunt Judæorum magistri, tria injuncta fuisse Israëlitis quæ facere eos oporteret postquam introducti essent in terram sanctam, *regem sibi constituere*, *exscindere Amalechitas*, *templum exstruere*. Quodnam ex his primum facere debuerint, disputant. Plures statuunt creationem regis primum locum habere debuisse, idque adstruunt ex verbis Exod. XVII. vers. XVI. *Quia manus solii Domini & bellum Domini erit contra Amalec*. Nam *solium Regum* in Scriptura *solium Dei* appellari, sicut jam supra notatum est. Plurimi eorum scribunt recte & ordine Seniores illius temporis regem postulasse, sed in eo peccasse vulgus hominum quod ad instar regum quos haberent cæteræ nationes, sibi dari eum petierint. Quæ minuta est disputatio & absurda, ut ex his quæ jam diximus, liquere potest. Disertè enim confutatur his verbis Moysis sole clarioribus, sicut in Deuteronomio

mio XVII. habentur, & mandatum continent de rege creando: *Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus dabit tibi, & possederis eam, habitaveris que in illa, & dixeris, constituam super me regem sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus Deus elegerit, ex numero fratrum tuorum.* Enimvero cum regem flagitarent, non potuerunt nec debuerunt alio jure, vel alia conditione aut titulo eum poscere quam qualis apud alias nationes vulgo haberi soleret regius status. Si qui verò sint ex Magistris, ut certe sunt, qui negant alium suis majoribus regem agnoscendum fuisse præter Deum, & qui affirmant ita eum datum esse à Deo Israëlitis, nempe in pœnam, ut fabula fingit Iovem ranis dedisse hydrum in perniciem eis dominaturum, horum sententiæ tota reclamat Scriptura sacra. Vnde enim Deus promisit Abrahamo in benedictionem, egressuros ex ejus semine reges, si hanc regendi formam damnabat ut tyrannicam? *Ponam*, inquit, *te in gentibus, & egredientur ex te reges.* Cur idem Deus pro magno beneficio Tribui Iudæ pollicitus est, *non recessurum sceptrum à Iuda*, si regia dominatio tanquam res exitialis & pernicioſa, ut isti judicant, habenda est? Quid quod salutis humanæ autor de regio Davidis genere originem ducere debuit? An hoc leve videtur ad commendationem regum ac regalis imperii? Numquid de regia gubernatione, ut de maximo reipublicæ malo sentiendum est, cum & ipse Messias rex in Scriptura vocetur? Vnus autem est rex & gubernator omnium rerum, quas & ipse creavit & condidit, Deus. An qui ejus imaginem in terris reddit ad populos ab ipso sibi commissos regendos, tam diversum quid ab exemplari erit, ut rei longe omnium rerum optimæ sit

pessi-

pessima imago? *Rex regum* appellatur Paulo, βασιλεὺς βασιλευόντων in Epist. ad Timotheum 1. cap. VI. Si reges omnes tyranni sunt, ut perduellionum Anglicanorum dicit Advocatus, Deus ipse rex fuerit tyrannorum dicendus, & quidem tyrannus ipse maximus, quoniam primus sit & supremus tyrannorum. Atqui rex est justorum & justitiæ, non iniquorum, nec cum injuria & peste subditorum dominantium. An non ipse denique Moses rex fuit? Quid enim de nomine laboramus ubi res apparet? Nonne ille potestate plane summa & regia populum Israëlis ab Ægypto eduxit ut in terram sanctam duceret? Quæcunque gessit in populo regendo, in his eum se pro rege gessisse omnino constat. Sed ne nomen quidem defuit, nam diserte Scriptura regem fuisse dicit Deuteronomii XXVI. vers. v. Postremo quid manifestius & expressius potest dici illo Dei mandato, quo per Mosem præcepit Israëlitis, ut statim atque ingressi essent terram sanctam, regem sibi constituerent? Deuteronom. XVII. vers. XV. *Ponendo pones super te regem.* Cum Deus igitur tanto ante determinaverit regium regimen inter Israëlitas instituendum, cum etiam tanquam optimum illum populi regendi statum à se judicari tot & tam claris indiciis ac testimoniis ostenderit, quomodo cum his conciliabantur ea quæ primo Samuelis habentur, de propheta repugnante populi voluntati qui regem cupiebat, de eodem incommoda ipsis & mala proponente quæ sub rege & à rege essent eventura, de Deo etiam ipso sic agente cum propheta suo quasi nollet regem Israëlitis dari? Cogitandum in his est, Samuelem esse, cujus filii tunc temporis judicabant populum Israëliticum summi magistratus jure. Eos esse quos populus repudiabat ob corrupta pretio & vendita

mer-

mercede judicia, regem eorum loco sibi constitui postulans. Cum igitur Samuel propheta id agi videret ut filii ejus rejicerentur à gubernaculis reipublicæ, atque ut rex pro his ad regendum Israëlem substitueretur ex populi voto, de hac eorum voluntate Deum ita consuluit, ut appareret nolle hanc injuriam sibi filiisque suis à populo fieri. Deus etiam ut gratificaretur prophetæ suo, responsum suum ad ejus consultationem ita dispensavit, ut innueret sibi non valde placere id quod populus desideraret, dicendo, *non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Nihilosecius tamen Samueli mandavit expresse ut annueret eorum votis. *Audi vocem*, inquit, *populi in omnibus quæ loquentur tibi.* Et paulo post: *Nunc ergo vocem eorum audi*, id est, da illis regem sicut flagitant. Sed addit, *Contestare tamen eos, & prædicito eis jus regis qui regnaturus est super eos.* Quam clausulam videtur addidisse in gratiam Samuelis, ne crederetur nimis præfracte abjicere illum & filios ejus ab administratione reipublicæ, & populi libidini obsecundare. Quasi diceret, Vide tamen num possis populum deterrere ab hoc proposito, prædicendo illi quam dura conditione sub regia potestate vivere eum oporteat. Sed cum populus nihilominus perstaret in proposito, Deus de Saule ipsis in regem constituendo providit, non ut de tyranno aliquo illis imponendo, sed de duce tali qui eos de hostibus suis vindicaret. Nam & se respexisse dicit populum suum, & clamorem ejus ad aures suas dicit pervenisse. Quomodo hæc iterum conciliabimus? Cum bonum & salutarem dare illis regem destinaret, cur per Samuelem iisdem proponi curavit mali regis & tyrannice imperantis exemplum? Non de rege uno vel primo hæc illis prædixit

Sa-

Samuel, nec de omnibus, quasi vel unum talem habituri essent, vel omnes ad illud instar regnaturos, cujus jura ibi describit. Sane sciendum est cum regem petiere Israëlitæ, statum regalem apud se institui petiisse pro judiciali & Sufetico qui hactenus apud eos obtinuerat. Status ille non in uno & altero rege consistere debuit, sed in longa serie invicem sibi succedentium, regno de patre in filium semper transituro. Nam apud Iudæos, ut omnia olim officia fuere hæreditaria, ita etiam regnum post Davidem, ita & Sufetum sive Iudicum gubernatio, antequam reges eorum loco constituti forent. Vt igitur in longa dominantium successione, qua jus regium hæreditate devolvitur in natos & nepotes, non semper filius similis est patri, nec bonus rex succedit bono, sed sæpe bono malus, & vicissim malo bonus. Samuel quo Israëlitas abduceret ab ista cupidine regis habendi, significavit eis non quid boni reges bene imperando facerent, sed quid mali facere solerent, cum jus impune faciendi quod vellent ex regia potestate nacti essent. Et hæc ratio fuit optima deducendi eos à consilio quod jam ceperant regii status sumendi pro Sufetico, cum prædixit illis in longa successione regum qui regnaturi super eos forent, futuros multos qui jure suo summo & potestate infinita uterentur quod liberet faciendi, quique tyrannica potius vi quam regio animo imperarent. Hæc mens omnino Dei videtur fuisse cum prophetæ præcepit ut contestaretur Israëlis populum & prædiceret ei quod jus esset regium. Non enim defuturos aliquos in multis regibus invicem sibi succedentibus qui subditos suos ita tractarent ut ibi exponitur. Sic in privatorum familiis alternis patres mali bonive reperiuntur. Sunt quippe qui-

quidam patres in eadem familia qui jus patriæ potestatis tyrannice in liberos exercent, duri, severi, asperi. Sunt contra qui clementer, remisse & cum indulgentia eo jure utuntur. Idem est & in regibus ubi regnum hæreditate defertur. Nam & qui durus est pater in liberos, si idem regnet, etiam populum non melius sæpe rex tractare solet, quam pater naturalis eos qui ex ipso geniti sunt. Hoc etiam argumento, regi licere quod libet, & ita Samuelem intellexisse cum quale esset jus regum Israëlitas advertere voluit, potest sic facile demonstrari. Filii ejus nomine *Iudicum* rexere Israëlitas. A Mose usque ad illud tempus, sub *Iudicum*, sive *Sufetum*, imperio populus fuit. Isti Sufetes etiam duces erant qui principatum in populo tenebant, summi magistratus instar, non tamen eum regia appellatione & potestate. In hoc munere & officio Mosi succedere, & non plures quam singuli, & quoad viverent. Primus Iesu Nave Mosis successor fuit, deinde cæteri usque ad filios Samuelis qui ambo quasi duo consules populum regebant, cum omnes qui ante ipsos eum magistratum gessere, singuli fuissent. Exercitus ducebant, in hostem ibant, jus reddebant, omnia pro imperio agebant, & parum aberant à regio. Reges etiam in Scriptura dicti. Hoc tamen præcipuè discrimine Iudicum administratio distabat à Regum regimine, quod isti potestate præditi erant soluta legibus, & nulli pro delictis Tribunali obnoxia. Cætera pares fuere. A judicando *Iudices* dicti sunt. Hoc etiam munus fuit proprie regum. Nam & Israëlitæ cum regem sibi poscerent, petierunt eum ad hoc dari ut jus diceret. *Duces* utrique nominantur in Scriptura. Vtrique ἄρχοντες appellati apud autores Græcos tam Sacros quam profanos, Ἄρχειν vero interpretes Latini *Dominari* verterunt. Dominationi

tioni autem respondet servitus. Quod verbum de utrisque in Scriptura usurpatur. Iudicabantur tamen isti Hebræorum judices. Pars erant quippe Synedrii magni, sed illi suberant. Vt in Optimatum statu qui primatum inter eos tenet, sive principatum, si quid in rempublicam committat, ab reliquis potest ac debet judicari. Tales stante Republica Romana Consules in Senatu fuere, & Sufetes, id est judices, in Senatu Carthaginis. Nam nomen *Sufes*, ex Hebraïco *Sophet*, & iidem *Sufetes* Pœnorum qui *Sophetim* Hebræorum. Festus *Sufetem* Consulem esse notat lingua Pœnorum, & ex Calidio hæc verba citat, *Senatus*, inquit, *censuit referentibus Sufetibus*. Ita Consulum Romæ erat ad Senatum referre, Senatus vero de iis quæ ad eum referebantur censere. Sed Consules Romani & Sufetes Pœni, annui magistratus erant. Sufes Hebræorum per totum vitæ tempus imperium habebat, quo propius ad regiam dignitatem & potestatem accedebat tum quia unus fuit, tum quia quoad viveret principatum obtinuit. Non reges fuisse re, ne quidem nomine, liquet ex lib. Iudicum cap. VIII. ubi Israëlitæ perhibentur Gedeonem qui judex erat, regem facere voluisse. *Dixeruntque viri omnes Israël ad Gedeon, Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filii tui quia liberasti nos de manu Madian.* Quibus respondisse Gedeon dicitur, *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus sed dominabitur dominus.* In his judicibus filius etiam succedebat patri. Vnus judiciarium hoc regnum tenebat. Vnde Abimelec filius prædicti Gedeonis ex concubina, cum hunc principatum sibi adsereret post mortem patris, exclusis Gedeonis filiis quos ex legitimis uxoribus habuerat, ita ad Sichemitas ex quibus oriunda mater erat, dixit. *Quid vo-*

vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Ieroboal, an ut dominetur vobis unus vir? Vides illum dicere *dominari*, id est ἄρχειν, quasi regiæ dominationi proxima esset potestas illa judicum. Sed & ille ipse Abimelec tyrannidem arripuit, & regis appellationem sumpsit. Nam & in Chronico Alexandrino scriptum est, quod tyrannide, id est vi, regem se constituerit. Οὗτος ἐστὶν Ἀβιμέλεχ ὃς φονεύσας ἑβδομήκοντα ἀδελφοὺς αὐτοῦ, καὶ τυραννίδι ἑαυτὸν βασιλέα καθίστησας, καὶ τῷ λαῷ κατ' ἀλλήλων πόλεμον ἀνάπτησας. *Hic est Abimelech, qui septuaginta fratres suos occidit, & se regem tyrannice fecit, & populum ad bellum intestinum concitavit.* In Scriptura tamen regem eum constituisse Sichemitæ dicuntur, cum universis familiis urbis Melo. Ibidem etiam scriptum est regnasse eum super Israëlem tribus annis. Fortassean ut pœnas parricidii effugeret, & ne causam diceret in Synedrio ob septuaginta fratres nefarie interfectos, Tyrannidem arripuit, ac se regem fecit. Pro eo tamen crimine, quia ab hominibus puniri non potuit cum rex esset, Deo procurante supplicium meritum incurrit à muliere interfectus, quæ fragmentum molaris lapidis cerebro ejus incussit, dum turrim urbis obsessæ propius subit, quam incendere moliebatur. Et sic *reddidit*, ut ait Scriptura, *Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.* Quæ historia potentissime adstruit Deum solum malefactorum quæ à regibus committuntur, judicem esse & vindicem, nec ad hominum tribunal punjendos pro delictis suis jure trahi eos posse. Ne judices quidem ipsos, sive Sufetes Hebræorum, legimus in Scriptura apud Synedrium capitis fuisse postulatos, nec ullius criminis reos factos. Ipsi quinetiam Samuelis filii

cum

cum à populo abjudiciorum exercitione depulsi essent ob judicia pretio corrupta aut gratia, eo tamen nomine nec judicati leguntur, nec condemnati, sed simpliciter destituti, & pro his reges constituti. Hæc dicta sint ad lymphaticum ex grege lanionum Advocatum pro eo quod objecit datum esse regem Israëlitis à Deo supplicii loco, quia regem petierunt similem regibus aliarum gentium: & quod idem scripsit reges primarum quatuor monarchiarum tyrannos extitisse, donec populorum animos sibi conciliassent. Quæ digna sunt homine cerrito, & mentis bonæ statu dejecto. Nec saniorem redolet mentem quod idem carnificum Patronus tertio loco ponit, Saulis & Davidis electionem extraordinariam fuisse. Vellem se clarius aperuisset. Sed hic mos est Enthusiastarum qualis ille est cum suis similibus, & pari corybantiasmo correptis, ut satis putent dicere rem ita esse, cujus probatio pendet à Spiritu nequitiæ quo divexantur. Quid inquam extraordinarium in Saulis & Davidis ad regnum vocatione? An quod reges facti sunt? Atqui ordinarium tunc fuit & consuetum pluribus gentibus hoc regimen. Ideo petunt sibi à Deo constitui regem, ut cæteræ gentes haberent. An hoc novum illi visum est, quod de Aristocratico Iudicum statu in Monarchicum rem sibi publicam transformatam optarunt? Nihil hac, pervulgatius mutatione. Nisi existiment magis novum videri oportere quod de Aristocratico in Monarchicum transit, quam quod de regali in Democraticum migrare jubetur. Quod non puto dicturos, ni si more suo insaniant. Longe sane magis extraordinarium quod nuper fecere in mutando statu reipublicæ Anglicanæ, quam quod tunc ab Israëlitis factum. Isti saltem sine sanguine & cædibus à Deo, per pro-

prophetam ejus, regem sibi concedi orarunt, cum Iudices suos male judicia exercentes ferre amplius non possent. Non eos accusarunt, non damnarunt, non neci dederunt, sed in eorum locum regem à quo judicarentur substitui popo-scerunt. At fanatici Angliæ qui se pro Catharis & Sanctis haberi postulant, quas tragœdias excita-runt? Quas strages dederunt? Quantum sangui-nis fuderunt? Quot familias fortunis spoliarunt? Quot nobilium capita demessuerunt? Quam ne-farie denique regem suum infami supplicio truci-darunt? Hæc omnia & plura alia scelera nume-ro carentia commiserunt, non ut regalem statum populari commutarent, sed ut pro uno rege legi-timo ac juste pieque imperante, quadraginta ty-rannos populi cervicibus imponerent. Hoc igi-tur, hoc est, si vis scire, fanaticorum & lympha-torum furiose advocate, quod extraordinarium vocari debet quia novum, invisitatum & inaudi-tum. Sed modus fortasse quo Saul & David ad imperium regale adsciti sunt, videtur illi extra-ordinarius. Nempe quod per prophetam Dei ab Deo petierunt sibi regem constitui. Sane si tem-pora nostra spectemus, modus hic regis eligendi plane novus. Sed si morem illius sæculi, & il-lius præcipue populi respiciamus, res fuit ordi-naria & consueta. Nihil enim tum Israëlitæ quid-quam, quod alicujus esset momenti, auspicari solebant, quin Dei voluntatem per prophetas, qui ejus erant interpretes, scisciterantur. Nec tantum in rebus gravioribus consulebant Dei prophetas, sed etiam oraculum divinum quod in pectorali summi Pontificis intextum & insertum per duodecim gemmas fuit, quod Vrim & Thummim dicebant. Ad Deum omnia refere-bant, eumque autorem omnium quæ fierent, fa-

cie-

ciebant. Hodie quidem non minus cuncta ejus voluntate, aut permissione, fieri statuendum est, sed tacita & obscura, non explicata nec expressa. Post mortem posteriorum Prophetarum Aggæi, Zachariæ & Malachiæ recessisse Spiritum Sanctum ab Israële tradunt Magistri Iudæorum. Ab eo tempore cessavit ratio consulendi Dei per prophetas, sacerdotes & somnia, qui tres divinæ consultationis modi memorantur in libro Iudicum. Cum per secundas causas agit Deus vel jubens, vel permittens, tacite vel expresse, nihilominus ipsi causæ secundæ, id est homini tribuitur id quod agitur. Deus Saulem primum regem dedit Israëlitis, quem morem regis constituendi extraordinarium fuisse vult latronum & parricidarum Causidicus. Et tamen Moses in Deuteronomio, de eo rege loquitur, tanquam ab ipso populo constituendo. In cæteris regibus Israëlis quamvis successione aut alio modo ad regnum pervenirent, idque etiam fieret interdum expresso Dei mandato, nihilo tamen secius à populo constituti dicuntur in Chronicis & in libris Regum. Ita in Chronicorum 1. cap. XI. Israëlitæ constituisse perhibentur Ieroboamum super se regem, cum tamen eodem capite Deus per Semejam nuntiari Roboamo jubeat regi Iudæ, id gestum esse sua voluntate. Si quis impius alterum æque impium occidisset, *manus Dei* dicebatur, & *judicium Dei*, cum tamen impune illi qui fecisset hoc non esset. Nam ut vetus apud Israëlitas proverbium fuit, *Impietas ab impiis egredietur*, ita David noluit Saulem interficere quamvis à Deo projectũ sciret ac derelictum, sed alicui improbo & scelerato hoc Dei judicium exequendum reliquit, nec manus ipse polluere voluit sanguine Vncti Dei. Si stylus hic fuisset alicujus ex illis Angliæ Alastoribus, Saulem protinus

transfodiſſet, & egregiam laudem eo ſe facto meritum ultro jactaſſet. Cur hoc? Quia Spiritu illo nequam exagitantur omnes qui Saulem vexabat, non illo bono qui reſidebat in Davide, quo repletus inimicum ſuum bis ſub ſua poteſtate poſitum noluit occidere, quia rex eſſet, & Vnctus Dei. Quomodo autem Iſraëlitæ Deum per prophetas conſulebant, præcipuè cum de ſtatu publico componendo ageretur, cum de conſtituendo judice, vel rege creando; ita & gentes variis modis in rebus ſimilibus conſulere Deos ſuos ſoliti erant. Aut ad aſtrologos, aut ad oracula mittebant, aut ad aruſpices, vel ad augures. Alii, ſorti committebant regum ſuorum electionem. Hinnitus equi ex compacto & regem quondam fecit. Omnes hi modi nunc nobis extraordinarii, & inſoliti atque inuſitati, olim ordinarii fuere. Sed eſto, extraordinaria fuerit Saulis & Davidis electio. Quid tum poſtea? Quid inde concluſum volet habere lutum illud Advocati Regio ſanguine inquinatum? An ſolis regibus, qui ita ordinati fuerint, parci debere, alios omnes impune interfici licere? Sic David trucidari non debuit, ſed Salomon debuit? Cur ergo occiſus non eſt, nec capitis à populo damnatus? An melior rex ille Carolo primo fuit, cui vir ſanguinis & carnificum patronus, ac parricidii defenſor, decies millenas cervices optavit, ut omnes poſſent uno ictu obtruncari? Certe Salomon regnum ſuum à cæde fratris natu majoris auſpicatus eſt qui patre connivente regnare cœperat. Non juſtiore titulo Ioabum intra ipſum Dei tabernaculum, manibus apprehenſum cornu altaris tenentem, interfici juſſit. Populum graviſſimis tributis & vectigalibus preſſit, quibus cum ſe relevari peteret à Roboamo

ejus

ejus filio & succeſſore, atque ille abnueret, hanc cauſam defectionis ſuæ & abdicationis Roboami prætexuere decem tribus. Deinde in fine vitæ & regni deſeruit cultum veri Dei, ut Deos gentium adoraret, & idolis ſacra faceret. Si his criminibus implicatus fuiſſet rex Angliæ & inter reges Protomartyr, quot mortes mereri, quot ſupplicia viſus eſſet? Non tamen populus talis regis punitionem à Deo petivit, nec ipſe eam invaſit. Ne Deus quidem Salomonem viventem punivit, ſed ſcelerum ejus vindictam in filium diſtulit. His adde, quod omnia regnorum primordia quacunque ex cauſa veniant, ſive ex voluntaria populi electione, ſive ex invaſione & uſurpatione, extraordinaria plane ſunt, quia priore ſtatu immutato novoque inducto, ordinem uſitatum & receptum in regimine interrumpunt. Extraordinaria, inquit parricidarum patronus, Dividis ad regnum vocatio fuit. Ergo quid? Quia hodie autoritas omnis à populo derivatur? Cur hodie tantum? Quando incepit eſſe populi? An eo tempore quo Saul creatus eſt rex, nulla populi auctoritas fuit? At fuiſſe teſtatur Scriptura. Numquid ſine autoritate judices ſuos eoſdemque belli duces abjecerunt, ut reges haberent? Quis illis autor fuit, ut regem à Deo peterent? Cur dixit Moſes, regem eos ſtatim atque ingreſſi eſſent terram ſanctam, conſtituere ſibi oportere? Cur de aliis regibus in Chronico ſacro paſſim ſcribitur eos à populo fuiſſe conſtitutos, ſi nullam autoritatem populus habuit tum ſibi conſtituendi regem? Conſtituebant ſane eo modo qui tunc maxime inter illos uſitatus & receptus fuit, conſulta prius Dei voluntate, an id ei placeret quod eſſent acturi. Sed quis ille populus in quo nunc ſcelerum Advocatus poteſtatem creandi regis reſi-

dere? An turba est cerdonum, opificum, lanionum, coctorum cervisiæ? Non ista fæx, istud cænum populi erat, cui apud Israëlitas potestas dabatur constituendi regis. Seniores populi hoc jus soli habuere, experientia longi ævi ac sapientia probati, & in Synedrium magnum, penes quem summa autoritas fuit, propter merita cooptati. His & prophetis Dei jus competebat regis eligendi. Primo & secundo loco quod urget truculentus Advocatus de Samuelis capite octavo, quo jura regis recensentur, ibi tyrannum à propheta describi, & significari non quid bonus rex faceret, sed quid malus facere posset, si totum hoc illi concederemus, quid inde concludendo hiscere posset? Tanto melius olla hujus improbi Coqui nimis fervens parva trua confutabitur. Sane tyranni jus & licentiam ibi prosequitur propheta, minaturque etiam talem quandoque regem oriturum Israëlitis qui aspere & tyrannice eos tractet. Numquid ibi adjungitur debere qui talis esset & eo modo imperaret, in jus vocari & neci dari? Hoc si propheta dixisset, pro cruento carnificinæ defensore id in primis faceret, & rem factam inde haberet, causamque bene peroratam. Sed quid adjicit ille? Tunc cum omnia illa dura & sæva sub tyranno paterentur, invocaturos esse opem Dei, sed frustra. Non enim Deum eis aures præbiturum. Quid aliud hæc significant & clare clamant, quam regem etiam pro tyranno se gerentem, regem tamen esse permansurum, nec cuiquam nisi Deo actionum suarum rationem redditurum? Sic igitur hoc caput concludam ex jure quod Scripturæ divinæ autoritate regibus asseritur, non omnia quidem regi esse facienda quæ facere potest, præcipuè si inhonesta sint, si pernicioſa, si ea per leges ab ipso positas

facere

facere non liceat, sed omnino tamen id ei licere quod potest, citra legum aut judiciorum metum, & cum impunitate maxima, ut qui solum habeat judicem suorum delictorum ac vindicem Deum.

CAPVT III.

IVs Regum quale esset superiore capite ex lege divina fœderis antiqui docuimus. Ex ea & illud probavimus, non justos solum reges sed etiam tyrannos, ut impune quod volunt possunt, ita non posse impune à populo quem premunt, abjici vel interfici, quia Deus tribunali suo vindictam de his reservavit. Nunc est discutiendum an alia lex novi fœderis fuerit. An contrariam regulam Christus instituerit. An diversa de regibus præcepta discipulis servanda tradiderit. Ipse cum nasci posset sub florentissima, potentissima, & omnium quæ unquam extitere & quæ fortasse posthac erunt, maxima republica, eaque libera, sub tyranno naturam sumere humanam præoptavit. Nam quamvis Augustus tyrannicè non regnaverit, tyrannus tamen in invadendo regno & populi libertate opprimenda fuit. At idem Christus sub eo principe, qui tyrannus etiam administratione esset, condemnari & supplicium mortis subire sustinuit. Hoc quoque parum esset, nisi & ultro talibus tyrannis suos parere jussisset, ut ipse paruit. Agnovit non semel, nec uno modo; potestatem tunc imperantium, quasi legitimam, cum tamen ex usurpatione nata foret primum, nec justius deinde exerceretur quam erat usurpata. Ad discipulos suos de primatu inter se contendentes, quo eorum ambitionem

retunderet dixit, *Reges gentium dominantur iis, vos autem non sic.* Apud Lucam cap. XXII. verſ. XXV. Οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν. Vbi verbum κυριεύειν *dominum eſſe* ſignificat, cui ex adverſo reſpondet τὸ δουλεύειν, *ſervire.* Agnovit, ut res eſt, Chriſtus eos qui reges illo in tempore gentibus dominarentur, non fuiſſe earum ſervos, ſed dominos. Longe contraria eſt huic doctrinæ Chriſti Fanaticorum Angliæ Moloſſorum opinio, qui autore Advocato ſuo, nefandi parricidii quod commiſerunt, defenſore nequiſſimo, docent populum dominum eſſe regis, regem verò creaturam populi. Hunc figuli inſtar habere, regem verò vaſis à figulo tornati. Et addit homo nequam, *proditionis eſſe crimen, aliter credere.* Alio igitur oportet hos homines Euangelio uti quam quod à Chriſto traditum eſt, vel alium habere Chriſtum doctorem, quam qui nobis ab Apoſtolis annuntiatus fuit. Hic certè tentatus à Phariſæis, & rogatus, an liceret Cæſari cenſum dare, reſpondit, *Quæ Cæſaris ſunt, reddenda eſſe Cæſari, quæ Dei Deo.* Idem nec recuſavit ſolvere didrachmum quod exigebant Romani à Iudæis tributi nomine, ſubacta Iudæa & in provinciæ formam redacta, Matthæi XVII. Qui tributum illud exigebant, ſive cenſum, interrogarunt Petrum an magiſter ejus ſolveret didrachma? Is reſpondit ſoluturum, & cum intraſſet domum, Ieſus eum prævenit dixitque, quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum? Vtrum à filiis an ab alienis? Et cum ille dixiſſet, ab alienis. Ergo, inquit Ieſus, liberi ſunt & immunes filii. Sed addidit ſtatim, Ne eos offendamus, age, vade ad mare, & quæ ſequuntur. Sic pro ſe, & pro Petro ſtaterem ſolvit, id eſt duo didrachma. Quis autem ille Cæſar cui didrachmum ſolvit,

& cui

& cui censum solvendum esse præcepit? Bonus aliquis & legitimus princeps, an vero sævus tyrannus tam administratione quam usurpatione? Tiberius tum imperabat qui artibus matris imperium nihil ad se pertinens fraude & scelere fœminæ occupaverat, legitimo Augusti hærede excluso. Is successerat tyranno, tyrannus & ipse plus vice simplici. Nam ut tyrannus regnum invaserat, atque ut tyrannus regnabat. Hujus tamen edictis, cum tam libere & libenter se subjecerit Christus, nonne hoc facto significavit per eam doctrinam quam instituebat, & quam prædicandam ubique terrarum discipulis suis mandabat, nullam se mutationem induci velle formæ regiminis quod tunc obtinebat? An non Apostoli eam ipsam quam à magistro acceperant doctrinam successoribus porro suis tradiderunt, & populis insinuarunt? Ecce Petrus Apostolicæ coronæ princeps, in ea Catholica Epistola quam Iudæis ubique terrarum in Diasphora consistentibus scripsit, præcepit eis, ut subjecti essent omni humanæ ordinationi, πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει. Quod verbum veteres patres de magistratibus explicant, sive de præsidibus qui à regibus constituti sunt, vel etiam de ipsis regibus. Sed melius est, ut per πᾶσαν ἀνθρωπίνην κτίσιν omnem omnino ἀρχὴν, sive principatum ac magistratum, generalius intellexerit, ut in Epistola Pauli ad Romanos cap. XIII. vetustissima quædam exemplaria legunt, πάσαις ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσεσθε, & in latina antiqua versione, *Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote.* Ita etiam legit Irenæus & Ambrosius in Commentariis. Pro quo dixit Petrus, πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *omni humanæ ordinationi*, id est omni potestati quæ in homines constituta est. Eam deinde explicat nomina-

minatim tam de Rege, quam de præsidibus qui ab eo ad regendas provincias regni mittebantur. Εἴτε βασιλεῖ, inquit, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν. *Proinde subditi estote omni humanæ ordinationi, propter Dominum, sive regi tanquam supereminenti, sive præsidibus, ut qui per eum mittuntur ad vindictam quidem nocentium, & ad laudem recte agentium.* De quo rege ibi loquatur Petrus colligendum est ex loco in quo scripta fuit ejus Epistola. Datam fuisse Babylone, quod in fine scriptum est, indicat. Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι ἐκλεκτὴ συνεκλεκτή. *Salutat vos Ecclesia quæ est Babylone collecta.* Ergò in urbe Babylone, & quidem propriè sumpta, non allegorice, ut de de Roma dictum vulgo perperam interpretantur, constat eam à Petro conscriptam & datam. De rege etiam Parthorum, eum regem intelligi debere cui subjici vult omnes illius regionis provinciarum Christianos. Cæterum cum directa sit Iudæis ad Christum conversis qui provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ habitabant, non minus de Romanorum Imperatore quæ à Petro dicta sunt, accipi oportet. Quis ille tum fuit quo imperante eam Epistolam scripsit? Nero si fortè aliquis, non de vulgaris notæ tyrannis unus, sed omnium sævissimus qui unquam fuerit, adeo ut nomen ejus in tyranni crudelissimi significationem omnium sæculorum adprobatione & consensu transierit. Sive ergo Parthorum rex sit, sive Romanus Cæsar, sive uterque, sive quicunque alius, vel tyranni appellatione notandus, huic obedientiam & subjectionem deberi Petrus affirmat. Nec minus Paulus in Epistola ad Romanos cap. XIII. Vbi etiam rationem reddit, cur potestati omni superc-

peremimenti parendum sit & serviendum, *Quia nulla potestas sit nisi à Deo, & quæ sunt potestates à Deo esse omnes ordinatas.* Ex quo etiam concludit, quisquis adversatur potestati, Dei ordinationi adversari, eos autem qui divinæ constitutioni resistunt, ipsos sibi condemnationem arcessere. Postremo, ut occurrat illis qui possent dicere, ea de causa eum præcepisse potestatibus obediendum præstari oportere, quia non impune cessurum foret aliter facienti, subjungit, non solum propter iram, id est propter metum irati regis, id faciendum esse, sed etiam propter conscientiam: διὸ ἀναγκη ὑποτάσσεσθαι οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed propter conscientiam.* Quasi conscientiæ nostræ nobis ratio, & ejus erga Deum puritatis & integritatis aliter constare non possit, quam subditos nos fatendo & præbendo regiæ potestati, aliisque sub rege & à rege constitutis potestatibus. Nempe quia Dei hæc voluntas est, cui resistere nemo cum bona conscientia queat. Idem dixit Petrus cum idem præceptum de subjectione & obedientia regibus præstanda inculcaret, loco jam citato ex Epistola ejus Catholica, ὑποτάγητε διὰ τὸν κύριον. *Subditi estote propter Dominum.* Quare propter Dominum? An non quia Dominus ita vult? Ita certe paulo post exponit, ὅτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ. *Quoniam ita est voluntas Dei.* Postremo subjungit, quasi liberos hoc agere nos debere, id est regibus parere & subjacere, & non veluti improbitatis velamen & prætextum habentes, libertatem, sed sicut servos Dei. ὡς ἐλεύθεροι καὶ μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς ἐλευθερίαν, ἀλλ' ὡς δοῦλοι θεοῦ. Quis servus Dei, nisi qui voluntatem ejus exequitur? Quæ autem voluntas alia Dei quam ut regibus subditi simus?

Qui prætextu libertatis iis subjici nolunt, ut Deo se inobedientes præbent, nec Dei veri servi sunt, ita nec verè liberi, quandoquidem falsæ libertatis speciem pro velamento obtendunt suæ malitiæ. Quid aliud faciunt illa extremæ barbariæ Molossica monstra quæ hodie regnum Angliæ intoleranda tyrannide conculcant? An dici aliter potest quam eos omnia scelerum & parricidiorum hactenus inaudita prodigia velamento fucatæ libertatis adumbrare? Quid enim sunt minus ipsi quam liberi, quos tot vitiorum & flagitiorum vinculis obstrictos esse constat? Quid minus autem quam libertatem populo reliquerunt, cui jugum imposuere longe gravius ac durius quam unquam sub ullo regum, quos unquam habuere, passi sunt? Idem Petrus regem honorandum esse in eadem epistola pronuntiat, τὸν Θεὸν φοβεῖσθε, τὸν βασιλέα τιμᾶτε, *Deum timete, regem honorate.* Ita parentes honorari mandat Apostolus Paulus. Hoc & unum est ex Decalogi præceptis, quo patrem & matrem honorare jubemur. Regem quippe parentis locum apud subditos tenere, semper & ab omnibus creditum est. Quem qui occidit, plusquam homicidam, plusquam parricidam censendum esse, vel ipsi gentilium autores testantur. Tantus autem honor ab Israëlitis suis regibus habitus est, ut nefas crediderint & piaculum, solio ejus sedere, equum inscendere, sceptrum tenere, ut est in tractatu Sánhedrin cap. 1. Pontifex quoque maximus honorem illi habere & reverentiam debebat, etiam ipsi prophetæ, eique assurgere & coram illo incurvari. Adeo vero honos ipsi debitus ab eo inseparabilis fuit, ut ne ipse quidem honori suo posset renuntiare, quamvis ut de jure suo ita & de honore quilibet possit remittere, & volenti non fiat injuria. Non

ita

ita tamen de rege sic se res habuit. Nam et is quodammodo in crimem læsæ Majestatis incidere potest si quid pati velit indecorum, & parum conveniens majestati suæ. Ita & Romanis more fuit & opinione receptum, *Magistratum qui potestatem suam in administrando non defenderet, imminuti magistratus, veluti majestatis læsæ, reum esse.* Ut est apud Asconium in Verrinas. Rex igitur reus potest esse propriæ majestatis læsæ, cum jus suum imminui patitur, aut honori à quoquam derogari, cum non possit illi renuntiare, nec prudens sciens minus honorari velle quam debet. Multa alia sunt quibus regum suorum majestatem amplificare, comiter conservare ac decorare solebant antiqui Iudæi, tam in vestimentis, & ornamentis quam in aliis rebus externis, quibus privatorum habitus à regali discernitur. Hoc etiam ejus honori dabant, ut magistrum suum à rege mori jussum discipuli, nec publicè, nec privatim plangerent, quamvis scirent & crederent non jure occisum. De magnæ existimationis magistris cum mortui essent, plangendo eos clamare consueverant, *Vbi pius, ubi mansuetus, discipulus Esdræ, discipulus Hillelis?* judam Ben-Babam pari lesso prosequi, & eodem ornare elogio destinaverant, nisi temporis calamitate prohibiti fuissent, quia nempe regis jussu interfectus fuerat, Regis autem mandato occisi non planguntur, ut refertur in Gemara. Paulus tributa & vectigalia regi ait esse pendenda, in Epistola ad Romanos, ubi præscribit, non *propter metum*, sed *propter conscientiam regi* esse serviendum. Et continuo subjicit: *Ideo enim & tributa solvitis, si quidem ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes.* Et paulo post: *Reddendum omnibus esse quod debetur*, præcipit, *cui tributum, tributum:*

cui vectigal vectigal. Non dicit, justa tantum & levia tributa, vel vectigalia esse solvenda, sed quæcunque imposuerit is qui jus habet ea imponendi. Magistrum suum discipulus est sequutus. Nam dixit ille, *quæ Cæsaris essent, Cæsari reddenda.* Præter tributa & vectigalia decimas etiam regi suo pendebant Iudæi, frugum, arborum & jumentorum. Quod jus verbis illis Samuelis adstrui putarunt, *Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit.* Ex quibus colligitur, Magistros Iudæorum pro certo tenuisse, capite illo octavo primi Samuelis jus regum declarari, cum ejus autoritate confirmaverint jus illud decimarum Regi præstandarum, quæ ex lege divina personis tantum sacris deberi viderentur. Habebat etiam potestatem Rex Iudæorum tributum imponendi populo cum necessitas belli id exigeret, vel etiam rei propriæ, ut iidem magistri Hebræorum consentiunt. Ministrum Dei esse regem, cum loco supra citato Apostolus affirmet, paulo ante eodem capite dixit, regem Dei ministrum esse; θεὸς γὰρ διάκονός ἐστι σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν, ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς φοβοῦ. Ideo *gladium* eum *gestare* subjungit, *Dei enim esse ministrum, vindicem in iram ei qui malum agit.* Sunt & Dei ministri & servi, quoties populos Deus castigare vult, quos ideo dura aliquando premunt servitute, ex permissu Dei, ut vindictam nempe de eorum peccatis sumat. Sic Nabuchodonosorem Deus *Servum suum* appellat apud Ieremiam cap. XXVII. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosoris regis Babylonis, servi mei.* Quod & alibi repetit. Eodem etiam capite dicit per prophetam Deus, gentem & regnum quod non servierit Nabuchodonosori, gladio & fame & peste se in eam vindicaturum. *Subjicite,* inquit, *colla vestra*

ſtra ſub jugo regis Babylonis, & ſervite ei, & populo ejus, & vivetis. Vt ergo reges ſervi ſunt & miniſtri Dei, ita ſubjecti regis, ſervi ſunt ejus ac miniſtri. Si credimus novis Euangeliſtis, novitiiſque Sanctis, doctrinæ parricidalis & Anti-Chriſtianæ autoribus, rex miniſter eſt populi, & ſervus. Non bella ſua, ſed populi gerit. Populi creatura eſt, ut vas fictile figuli. Si in Monarchico ſtatu res ita ſe habere deberet, ut rex eſſet populi ſervus, cum ſit contrariorum par ratio, inde ſequeretur in Democratia quæ populi principatum agnoſcit, populum vice verſa ſervire debere. Sed cui ſerviet? Cerviſiæ coctoribus, cerdonibus, ærariis fabris, & aliis ejuſmodi furfuraceis tyrannis, qui Chriſti legi illudunt, & Apoſtolos ejus perverſa æmulatione imitantur. Nam illi mortuos ſuſcitabant, iſti quod facilius eſt, de vivis mortuos faciunt. Cum reges necant, miniſtros Dei non credunt à ſe trucidari; ſed miniſtros populi, quales illi ſi fortè fuerunt, quibus ad publica miniſteria uſæ Reſpublicæ Græcorum feruntur, quos δημοσίους δούλους appellabant, id eſt, *ſervos publicos*. Fanatica eſt hariolorum Angliæ interpretatio de præcepto Pauli, jubentis omnes ſubjectos eſſe poteſtatibus, & non eſſe reſiſtendum poteſtati à Deo ordinatæ monentis. Hanc enim poteſtatem de populo intelligunt. Quid fieri non poſſe putes? Quis ille populus quem nomine poteſtatis intelligi volunt? Vtrum totus, an pars ejus? Si totus quinam illi erunt qui populo parere debebunt, ut legitimæ poteſtati, & à Deo conſtitutæ? Si pars, de qua parte id explicabunt? Ergo pars populi ſubjecta erit, pars imperabit. Quomodo imperantem à ſubjecta diſcernent? Si de magiſtratu populi accipient eam poteſtatem cui reſiſti vetat Paulus, hoc quidem rectum erit, ſed aliud eſt populus,

aliud magistratus. Nec dubium est, quin potestatis nomine, cui obsequium ex verbis Pauli debetur, etiam magistratus ille comprehendi debeat qui à populo creatus est, in ea republica in qua populus plus potest. Sed si talis potestas ab Apostolo etiam commendatur populo, ut ei honorem habeat & obedientiam, non minus ex eo sequitur, regibus & à rege constitutis magistratibus ac præsidibus idem ex præcepto Apostolico deberi. Ipse populus, ubi magistratum creavit, subjectus quoque ei esse debet, haud secus ac milites Duci quem sibi imperaturum delegerunt. Nam populus, cum per se rempublicam regere non possit, constituit per quos ipse regi possit. Et illæ ipsæ sunt potestates de quibus loquitur Paulus, quibus æque honos exhibendus est, sive à populo dominante, sive à rege institutæ sunt. At ridiculum est Fanaticorum commentum potestates de populo accipientium. Quis ille populus? An Martinus sutor, Gulielmus pellio, Iohannes sartor? Paulus in Epistola ad Titum cap. III. vers. 1. *Admone illos, principibus & potestatibus subditos esse, & dicto obedire.* Qui sunt illi quos admoneri à Tito vult, ut principibus & potestatibus subditi sint & obediant? Nonne de populo sunt illi ipsi quos auditores & discipulos habuit Titus? Qui sunt illi principes, quibus dicto audientes eos esse præcipit? An populus? Ita censet Enthusiastarum natio, quæ id somniavit cum propheticis raptaretur deliriis. Cum Reges Apostolus nominat, an etiam de populo eos intelligemus? Pro regibus certe orandum esse idem Apostolus Paulus scripsit 1. ad Timotheum cap. II. *Pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & justitia.* Viderint an se pro Christianis haberi jure prætendant

dant, qui reges ſuos trucidant, ut ipſi regnent cum omni impietate & injuſtitia? populus autem vitam agat ſollicitam, turbis ſeditionibus & bellis inteſtinis ſemper exercitam & inquietam, nunquam ſecuram? Sed pro quibus regibus precandum eſſe Paulus admonet? An bonis tantum? Atqui tunc cum hæc ſcriberet, imperabant vel peſſimi. Ergo pro regibus, qualeſcunque ſint, preces faciendæ ſunt. Omnes honorandi, etiam mali. Omnibus ſubditi eſſe debemus, etiam tyrannice regnantibus. Hæc doctrina eſt duorum præcipuorum Apoſtolorum Chriſti, quorum alter Apoſtolatum Gentium ab illo concreditum habuit, alter Iudæorum. Adeo ut in horum duorum potiſſimum præceptis totam de regibus obſervandis & honorandis, quamlibet aſperi ſint, difficiles, moroſi ac duri, Euangelicam regulam conteſtatam & conſignatam eſſe credere nos oporteat, à qua qui tantulum deflectent, aliud eos Euangelium habere & alium ſequi Chriſtum videri neceſſe ſit. Non enim Paulus clementes, bonos, & juſtos tantum reges & magiſtratus à Deo eſſe ordinatos nobis inſinuavit, ſed etiam iniquos & injuſtos. Cum enim dixiſſet non eſſe poteſtatem niſi à Deo, ſtatim intulit, *Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* Quæ clariora haud paulo ſunt in Græcis, αἱ δὲ οὖσαι, ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσί. Id eſt: *Quæ autem nunc exiſtunt à Deo conſtitutæ ſunt.* Hoc enim diſerte volunt illæ duæ voculæ, αἱ δὲ οὖσαι. Alioquin ſuperflua repetitione idem dixiſſet quod ante, cum ſcripſit, *Non eſſe poteſtatem niſi à Deo.* Nihil enim differunt, *omnes quæ ſunt poteſtates à Deo eſſe ordinatas*, & *nullam eſſe niſi à Deo.* Cum igitur prius generatim dixiſſet omnem animam poteſtatibus eminentibus debere eſſe ſubjectam, & rationem hujus præcepti hanc reddidiſſet gene-

generalem, quia non est potestas nisi à Deo, haud obscure subjecta continuo clausula innuere voluit, etiam quæ tunc dominarentur, esse à Deo ordinatas. Nempe Romanum Imperatorem, qui tunc regnabat. Quod ad Romanos scribens non debuit prætermittere, ne si in genere tantum dixisset, non esse potestatem nisi à Deo, illi ad quos scribebat persuadere sibi potuissent de bonis tantum regibus id esse intelligendum, non de Neronibus qui tunc imperium tenebant. Ideo adjecit, etiam quæ tunc erant ac regnabant, à Deo esse ordinatas. Enimvero cum illi duo Apostolorum Coryphæi iis temporibus fuerint quibus Nero imperium Romanum obtinebat, alter etiam Babylone vixerit sub imperio Parthorum regis, non est verisimile, quæ de regum honore, observantia & obsequio à subditis præstando præscripserunt, ad alios reges pertinere voluisse quam qui tunc temporis dominabantur. Non enim probabile est, Paulum & Petrum de his qui jam decesserant, aut de his qui nondum nati erant, vel saltem qui nondum regnum adepti fuerant, intellexisse, cum pro his orandum dixere, iis honorem habendum, & obsequium quod subditi regibus debent, iis exhibendum. Quod esset omnino ridiculum. Hæc sanè videtur esse causa cur Petrus & Paulus in præscribenda subditis erga reges obedientia & ὑποταγῇ non de malis regibus hoc etiam præceptum diserte dederint, sed reges tantum nominarint. Cum enim qui tunc regebant imperium, mali essent, non opus habuerunt discrimen inter bonos & malos ponere. Ex eo quippe intelligebatur etiam malis deberi ex eorum sententia obsequium, quia non alii eo tempore nisi mali regnarent. At de servorum ὑποταγῇ expresse Petrus dixit, non solum eam dandam esse domi-

dominis clementibus & juſtis, ſed etiam pravis & iniquis. *Servi*, inquit, *ſubditi eſtote dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Ita enim in Græcis etiam ſcribendum, δυσκόλοις, non σκολιοῖς. Et hoc fieri debere, ſubjungit, διὰ συνείδησιν τοῦ θεοῦ, *propter Dei conſcientiam.* Nempe quia conſcius ſibi ſit Deum ita velle. Paulus ſimiliter regibus obſequendum & ſerviendum eſſe dixit, non *propter iræ metum*, ſed διὰ τὴν συνείδησιν. Quod Petrus, διὰ τὸν κύριον, *propter Dominum.* Quæ omnes expreſſiones eodem recidunt. Voce ὑποταγῆς tam de ſervis erga dominos, quam de ſubditis erga dominantes reges Scriptura utitur. Nam & ſubditi etiam vocantur ſervi in Scriptura, & verbum κυριεύειν de regibus eadem uſurpat. Sed fortaſſean Chriſtus ita ſuos Apoſtolos, Apoſtoli porro Chriſti ita ſuos diſcipulos docuere, verum hæc diſciplina non duraverit ultra eorum ætatem. Chriſtiani qui poſtea ſequuti ſunt, rem iſtam penſitatius & accuratius, cum examinaſſent, falſam eſſe hanc doctrinam compererunt. Reges quippe non eſſe pluris faciendos quam miniſtros populi, & ſervos publicos. Non enim à Deo eſſe eorum poteſtatem, ſed à populo. *Unctos* proinde non *Domini*, ut paſſim eos appellat Scriptura Sacra, ſed populi eſſe nominandos. Diſpiciendum eſt igitur an ſequentis ævi Chriſtiani iiſdem veſtigiis inſtiterint, eamdem orbitam triverint, qua Apoſtoli Chriſto duce iverunt. Antiquiſſimus Pater Irenæus, martyr ſanctiſſimus, qui ſub ſecunda ab Apoſtolis ſucceſſione floruit, non aliam quam Apoſtoli docuere, regulam tenuit circa obedientiam & ſubjectionem regibus debitam. Is lib. v. adverſus hæreſes cap. XXIV. ubi docet, non à Diabolo ſed à Deo con-

constitutas esse terrenas potestates, hoc idem aliquot testimoniis ex Scriptura veteris pariter ac novi fœderis allatis probat. Morem autem Apostolorum sequens aperte de sæculi sui potestatibus loquitur, id est de regibus qui tunc regnabant. *Non enim*, inquit, *Diabolus determinavit hujus sæculi regna, sed Deus.* Deinde citat ex Salomone: *Regis cor in manu Dei. Et per Salomonem ait verbum, per me reges regnant, & potestates tenent justitiam. Per me principes exaltantur, & tyranni terræ.* Deinde locum adducit Pauli quem jam supra attulimus, *Omnibus potestatibus sublimioribus subjecti estote.* Et ostendit, non de Angelicis potestatibus, nec de invisibilibus id dictum esse ab Apostolo, sicut nonnullis placuit, *sed de his quæ sunt secundum homines potestates*, περὶ τῶν κατ' ἀνθρώπους ἐξουσιῶν, id est, *quæ inter homines versantur*, aut hominibus dominantur. *Quoniam*, inquit, *abscisus à Deo homo in tantum efferavit*, ἐθηριώθη, *ut etiam consanguineum hostem sibi putaret, & in omni inquietudine, & homicidio & avaritia sine timore versaretur, imposuit illi Deus humanum timorem. Non enim cognoscebant timorem Domini, ut potestati hominum subjecti & lege eorum adstricti aliquid assequantur justitiæ, & moderentur ad invicem, in manifesto propositum gladium cernentes, sicut Apostolus ait, Non enim sine causa gladium portat.* Subjungit postea: *Et propter hoc & ipsi Magistratus instrumentum justitiæ leges habentes, quæcunque juste & legitime fecerunt, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt.* In ultimo nempe judicio. *Quæcunque autem ad eversionem justi inique & impie contra legem & more tyrannico exercuerint, in his & peribunt justo judicio Dei ad omnes æqualiter perveniente & in nullo deficiente.* Vbi notandum est, judicem ab eo constitui Deum eorum quæ contra

leges

leges à magistratibus summis & regibus commissa fuerint. Postremo scribit: *Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur, apti his qui in illo tempore ab illis reguntur.* Quorum verborum hic est sensus, Reges à Deo constitui prout sunt illi populi à quibus regi debent. Nam quibusdam populis justos & clementes reges magis convenire, quibusdam duriores & asperiores, nonnullis etiam plane superbos & crudeles & tyrannicos. Cum tales à Deo pro populorum natura & moribus constituantur, malos tamen justum Dei judicium non evadere, quamvis in pœnam populo dati ab ipso Deo sint. Quod his verbis idem sanctus Martyr explicat: *Quidam enim illorum ad correctionem & utilitatem subjectorum dantur & conservationem justitiæ. Quidam autem ad timorem & pœnam & increpationem. Quidam autem ad illusionem & contumeliam & superbiam, quamobrem & digni sunt Dei justi judicio sicut prædiximus, in omnibus æqualiter superveniente.* Tria regum genera facere hic eum palam est. Quosdam enim clementes, benignos & pios esse, & bono publico studentes; quales fuere inter Romanos Titus, Antoninus cognomento Pius, & Marcus philosophus. Quosdam severos & delicta rigide punientes; quales multos constat fuisse in Republica Romana, sed præcipuè Severum, Alexandrum Mammææ, & Pertinacem. Alios autem superbos, crudeles, & planè tyrannos, ad ludibrium, & contumeliam populi imperantes, non ad utilitatem ut primi, neque ad correctionem ac castigationem ut secundi. Hoc genus est de quo ait Apostolus; Θεὸς γὰρ διάκονός ἐστι σοι εἰς ἀγαθόν· ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ. Et paulo post: ἔκδικός ἐστιν εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. *Vindex in iram ei qui malum agit.* De primis illi sunt quorum αἰσίμνητον fuisse imperium

rium veteres ſcriptores tradunt, quale fuit Antonini Pii, ſub quo adeo nullum percuſſum fuiſſe Senatorem autor vitæ ejus ſcribit, *ut etiam parricida confeſſus in inſula deſerta poneretur quia naturæ legibus vivere ei non liceret.* Tales ſunt quos *patriæ patres* vere nominarunt antiqui, & *populi patres*, ut fuit apud Gallos Ludovicus duodecimus. Primi ergo trium illorum generum regum optimi cenſentur, medii boni, tertii peſſimi. Primi amandi, ſecundi timendi, tertii odio digni. Sunt iſti qui de populo ſuo dicunt, *oderint dum metuant.* In totidem facies licet dividere naturas & proprietates patrum, quorum alii ſunt indulgentes, alii ſeveri, alii ſævi. Ad duos regnandi modos quidam reducunt omnem in regibus dominandi rationem, ut alia ſit paternæ bonitatis, alia tyrannicæ crudelitatis. Photius de libro Appiani qui inſcribitur Ῥωμαϊκῶν βασιλικὴ, deque primo Romanorum rege Romulo ſcripſit, ἄρξας ὁ πατρικῶς μᾶλλον ἢ τυραννικῶς, ὅμως ἐσφάγη. *Hic cum paterno potius animo quam tyrannico regnaverit, nihilominus jugulatus eſt.* Quod idem fas eſt dicere de Carolo primo Magnæ Brittanniæ rege. Vtriuſque porro generis ac moris reges, æque bonos ac malos, à Deo conſtitui Irenæus clare teſtatur. Nec tamen malis ſemper impune eſſe quod male agant, ſed Deo judicium & vindictam reſervari, quam proinde ſubditis de regum ſuorum, ſive tyrannorum, malefactis ſumere ſit nefas. Non hæc propria ſanctiſſimi Eccleſiæ patris & Martyris fuit ſententia, ſed omnium qui per ea tempora Eccleſiæ Chriſti præfuerunt, aut in ea Chriſtiane ac pie converſati ſunt. Iuſtinus in Apologia pro Chriſtianis, ſecundum præcepta Chriſti dicit eos tributa & vectigalia Romanis imperatoribus ſolitos ſolvere, & ſic quæ Cæſaris ſunt Cæſari reddere,

re, quæ Dei Deo, dum Deum ipsum adorant solum & colunt, regibus autem & principibus hilares ac libentes serviunt ac ministrant. Θεὸν, inquit, θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ προς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες, καὶ εὐχόμενοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας ὑμᾶς διατηρεῖν. *Vnde & Deum solum adoramus, vobis autem ad cætera omnia libenter & hilari animo inservimus, reges vos ac principes generis humani esse fatentes, etiam orantes ut cum regia potestate moderatum animum & temperantem geratis.* Hæc loquitur ad eos principes qui cætera boni, sed idololatriæ dediti, patiebantur Christianos ad supplicium quotidie rapi innocentes, sed solo hoc nomine odiosos. Nam de nomine accusabantur tantum, non de ullo crimine. μίσει ὀνόματος τῶν καλῶν ἔργων. Quanto nos hodie pejores Christiani prioribus illis, quos miramur potius quam imitamur? Nam quis hoc tempore ferret principem diversæ religionis, quamvis ab eadem Christi appellatione se jactantis? Pontificii sane Reformatum regem sibi dominari non paterentur, nec Reformati Pontificium. Atqui vel hæreticos principes tulerunt etiam sub medio imperio Christiani, ut Arrianos, Constantios nempe & Valentes. Sed quanto illud magis horrendum, quod nec Reformati pati potuerunt Reformatum? Quod talem tales nefario scelere interemerunt? Sed cum hac differentia quod impii pium? Athenagoras alter Christianus philosophus in Defensione sua pro Christianis quam Marco Antonino & filio ejus Commodo inscripsit, ab alto illos, id est divinitus, regnum accepisse dicit, quia regis anima secundum prophetæ dictum in manu Dei est. Atque ut omnia sub eorum potestate sunt posita, ita Deo & filio ejus Chri-

Christo omnia esse subjecta. Ὡς γὰρ ὑμῖν Πατὴρ καὶ ὑῷ πάντα κεχείρωται ἀνωθεν τῶν βασιλείαν εἰληφότι, βασιλέως γὰρ ψυχὴ ἐγκειται θεῷ, φησι τὸ προφητικὸν πνεῦμα, ἕπως ἑνὶ τῷ θεῷ καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ ὑῷ νοερῷ ἀμιγεῖς πάντα ὑποτέτακται. *Vt enim vobis patri natoque omnia subsunt, de cælo imperium consequutis. Nam anima regis in manu Dei est, secundum spiritum propheticum, ita uni Deo & verbo ejus filio menti inseparabili omnia subjecta sunt.* Nec dici potest hominem philosophum & Christianum adulatorie hæc de principe gentili scripsisse cum aliter sentiret, sed ita omnino sensit scripsitque quomodo omnes tunc Christiani loqui & opinari de regibus didicerant, juxta regulam à Christo & Apostolis traditam. In fine illius Defensionis notanda & hæc verba sunt quibus Apologiam suam clausit, *Ecqui enim consequi digniores sunt quæ petimus, quam nos adeo vobis devoti & addicti? Nos enim pro imperio vestro preces ad Deum fundimus, & ut filius, quod est justissimum, patri in regno olim succedat, utque vestrum imperium magis magisque amplificetur. Denique ut omnia vobis ex animi vestri sententia eveniant oramus, quod & nobis salutare fuerit, ut quietam tranquillamque vitam degentes interim ad quælibet imperata prompte inserviamus.* Paulo inferius descendamus, & Tertullianum qui sub Severo aliquot post annis vixit advocemus. Quod ille? An aliam de regibus, quam Irenæus, quam Iustinus, quam Athenagoras colendis & observandis sententiam scriptis suis publicavit? An aliter quam illi Christianus fuit? In Apologetico suo, illius esse Imperatores ipsos, cujus & cœlum est, dicit. *Inde est*, inquit, *Imperator, unde & homo antequam imperator. Inde potestas illi unde & Spiritus.* Ovum ovo similius non est, quam hæc verba illis Irenæi

ger-

germana sunt, & sensu saltem si non voce eadem: *Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus & jussu reges constituuntur.* Eodem loco ita idem sanctus & pius ac gravis scriptor ait, nulla imperatoribus adulandi suspicione violandus: *Nos enim pro salute imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum.* Pro quibus imperatoribus? An bonis tantum? Immo ut ipse declarat pro omnibus, sive boni essent, sive mali nimirum. *Illuc suspicientes Christiani*, nempe ad cœlum, *manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia non erubescimus, denique sine monitore quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.* Ecce omnes Christiani tunc temporis pro omnibus imperantibus precantur. An hoc facerent qui reges suos ipsi occidunt? Ne votis quidem illius ævi Christiani in hoc scelus erumpebant, sed vitam illis prolixam optabant. Precabantur suis imperatoribus imperium quietum, domum tutam, populum obedientem. Quam longe hæc dissident ab improborum sectariorum disciplina & factis, turbas ubique miscentium, pacemque & quietem imperii sub quo vivunt nefarie concutientium? Exercitus fortes imperatori suo gentili & idololatræ genuini, Christi discipuli precabantur, Senatum fidelem, populum probum. Exercitus hic fortes sunt, sed in necem ac perniciem regis sui, Senatus est infidelis, populus improbus. Sed respondebit hic aliquis infelix sectarius, adulatos tunc fuisse imperatoribus suis Christianos, & vota mentitos quæ dixerant ad vim evadendam. Occurrit huic objectioni Tertullianus

nus in ſequentibus, atque ut oſtendat ſe ex animi ſententia tales preces pro imperatoribus ad Deum feciſſe, his argumentis id probat: *Qui ergo putaveris*, inquit, *nihil nos de ſalute Cæſarum curare, inſpice Dei voces, litteras noſtras quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt, ſcitote ex illis præceptum eſſe nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſequutoribus noſtris bona precari. Qui magis inimici & perſequutores Chriſtianorum quam de quorum majeſtate convenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifeſte, Orate*, inquit, *pro regibus, & pro principibus, & poteſtatibus, ut omnia tranquilla ſint.* Duplici ratione adductos ſe pro imperatoribus Deum dicit oraſſe, primum quod divino præcepto juberentur orare Deum pro inimicis, & bona iis precari, nullos autem tunc potentiores & crudeliores inimicos ſe habuiſſe quam ipſos Cæſares, Chriſtianorum acerrimos perſequutores. Deinde quod etiam nominatim divina Scriptura juberet, *pro regibus orare, & principibus, ut omnia tranquilla eſſent.* Viderint an his duobus præceptis ſatisfecerint qui regem ſuum Chriſtiani Chriſtianum, non inimicum, non perſequutorem, regno & vita ſpoliarunt, ſobolem ejus ſucceſſionis legitimæ jure privarunt, & ut hoc efficerent reipublicæ tranquillitatem perturbarunt, cædibus, rapinis, vexationibus in omnes ordines graſſati ſunt, novamque formam ſtatus per vim & contra leges induxerunt, tyrannidemque plurium pro uno rege invexerunt. Iurabant & Chriſtiani tempore Tertulliani per ſalutem Imperatorum. Idem in eodem Apologetico: *Sed & juramus, ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis.* Paulo poſt ait Deum gentibus

bus imperatores præfeciſſe: *Nos judicium Dei ſuſcipimus in imperatoribus qui gentibus illos præfecit. Id in eis ſcimus eſſe quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus.* Non ergo à populo ſuam accepere poteſtatem reges, ſed à Deo ipſo, qui id quod habent in illis eſſe voluit, & quales voluit gentibus impoſuit regnaturos. Hæc fuit religio & pietas tunc temporis Chriſtianorum in Imperatorem, *quem neceſſe eſt*, ut ait ibidem Tertullianus, *ſuſcipiamus ut eum quem Dominus noſter elegit. Et merito dixerim, noſter eſt magis Cæſar, ut à noſtro Deo conſtitutus.* Quam adverſis frontibus pugnat hæc veterum doctrina Chriſtiana cum iſta fanaticorum, vere Anti-Chriſtiana, quæ ſancit, populum eſſe figulum regis, regem autem vas eſſe à populo fictum, ut figilo ſuo? Qui tam facile rota quaſi figulari reges confingunt, non mirum eſt ſi tam nullo negotio eoſdem confringant. Soli Deo regem idem ibidem ſubjicit. Non ergo populo ſubjiciendus ille qui ſolo Deo inferior eſt, ut idem ait Tertullianus: *Sed etiam quod temperans majeſtatem Cæſaris infra Deum, magis illum commendo Deo cui ſoli ſubjicio. Subjicio autem cui non adæquo.* Et paulo poſt, *Satis habeat appellari Imperator. Grande & hoc nomen eſt quod à Deo traditur.* Capite ſequenti *patrem* eſſe *patriæ* Imperatorem dicit, atque ita tunc vulgo vocabantur Cæſares. *Dominus enim meus unus eſt, Deus omnipotens, æternus, idem qui ipſius qui pater patriæ eſt, quomodo dominus eſt. Sed gratius eſt nomen pietatis quam poteſtatis. Etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur.* In eodem Apologetico cap. xxxv. *Parricidas*, appellat, qui conjurationis ad Domitianum occidendum ſocii & conſcii fuerant. At qualem imperatorem, quam malum, Deus bone, & quantum tyrannum! *Sed*

& qui nunc ſceleſtarum partium ſocii aut plauſores quotidie revelantur poſt vindemiam parricidarum racematio ſuperſtes, quam recentiſſimis & ramoſiſſimis laureis poſtes præſtruebant? Si parricidæ Chriſtianæ Eccleſiæ patri & doctori vocantur, qui peſſimum principem ac de crudelitate Neroni parem, unde & Nero cognominatus eſt, occiderunt, quo nomine erunt dicendi qui Chriſtianum Regem & pium infami ſupplicio mactandum & capite obtruncandum carnifici tradiderunt? Quot vero parricidia commiſiſſe cenſendus ille nefarii latrocinii patronus qui decem millia cervicum regi optavit, ut totidem ei demeti poſſent? Toties parricidii reus peragi debuit, quot cervices demi regi ſuo voluit ac vovit. Circa eadem ferme tempora quibus Tertullianus floruit incipiebat cognoſci Origenes. Is in libris contra Celſum eam ipſam, quam omnes Eccleſiæ patres hactenus defenderant doctrinam, propugnavit de regibus honorandis & eorum majeſtate comiter conſervanda. Sic enim lib. VIII. ſcribit ex Daniele, Deum eſſe verum, non Iovem poëtarum Saturni filium, ὃ βασιλεῖς καθιζῶντα καὶ μεθιζῶντα, καὶ τὸν χρόνον καιρὸν ἐγείροντα ὅδε τῆς. *Qui reges conſtituit ac mutat, reſtituitque, & eum qui ſit bonus in tempore ſuo in terris excitat*, Paulo poſt addit, καὶ τὸ αὐτὸ γὲ ποιεῖ πεισάν μοι ἄπαυλις τὸ μὴ Ὁμηρικὸν καταλύοντες δόγμα, τὸ θεῖον περὶ βασιλείας τηροῦντες, καὶ τὸ τὸν βασιλέα τιμᾶν φυλάττοντες. *Faciant idem quod ego omnes, doctrinam quidem Homericam rejicientes, ſed divinum præceptum de regis majeſtate ſervantes, & illud obſervantes ut regem honorent.* Idem eodem loco ſcribit, non eſſe ſecundum Homerum & poëtas cæteros Saturni filium Iovem, qui regna diſtribuit, & reges conſtituit in ſingulis provinciis, ſed Deum univerſi recto-

rectorem, qui novit quem cui regioni præficere debeat, ἀλλ' ὁ διοικῶν τὰ σύμπαντα θεὸς, οἶδεν ὅ τι ποτὲ ποιεῖ χρὴ ἐπὶ τόπον τὸ τῆς βασιλέων καταστάσεως. Athanasius in sermone de cruce & passione Domini, regem ideo dicit ad testimonium dicendum vocari non posse quia superior actoribus sit ac judicibus: *Nam si reges terræ ad humana tribunalia in testes vocare nefarium est, utpote majores & actoribus & judicibus, cur increatum ad creata accersimus?* Hoc est quod Iudæi in Talmude tractatu Sanhedrin testantur; *Regem non dicere testimonium, nec in eum dici.* Ergo qui citari ad testimonium dicendum non potest, nec in eum testimonium fas est dicere, ac proinde nec accusari nec judicari posse constat, quandoquidem accusatio non procedat, nec condemnatio sine testium denuntiatione, aut testimonii dictione. Paulatim progrediendo jam pæne ad ea tempora pervenimus quibus celeberrimi & sanctissimi Ecclesiæ Doctores & Patres vixere. Testimonium eorum audiamus super hac doctrina, quam tot jam autoribus Ecclesiasticis confirmavimus. Quæramus igitur ex Ambrosio, Augustino & Hieronymo, an propriam sibi semitam fecerint, derelicta illa via lata & regali quam munivit Christus, quam post eum Apostoli desabulaverunt, quamque omnes deinceps Ecclesiæ Antistites Græci, Latini & Africani calcaverunt. Primus procedat Ambrosius. Is in Apologia Davidis cap. x. cui titulus est, Quod David quamvis rex esset & solutus legibus humanis voluerit tamen se subditum esse Deo, cui soli peccaverat, ita ad illa verba Psalmi L. *Tibi soli peccavi*, commentatus est, *Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii po-*

teſtate. *Homini ergo non peccavit cui non tenebatur obnoxius, ſed quamvis tutus imperio, devotione tamen ac fide erat Deo ſubditus.* Idem Ambroſius commentario in Epiſtolam ad Romanos, ad iſtum verſiculum: *Nam & idcirco tributa penditis,* hæc verba poſuit: *Ideo dicit tributa præſtari, vel quæ dicuntur fiſcalia, ut ſubjectionem præſtent per quam ſciant non ſe eſſe liberos, ſed ſub poteſtate degere quæ ex Deo eſt. Principi enim ſuo qui vicem Dei agit, ſicut Deo, ſubjiciuntur, ſicut dicit Daniel Propheta. Dei eſt, inquit, regnum, & cui vult dabit illud. Vnde & Dominus, Reddite, ait, quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Huic ergo ſubjiciendi ſunt, ſicut Deo, cujus ſubjectionis probatio hæc eſt, quia illi pendunt tributa.* Idem commentariorum in Lucam, lib. IV. ad illa, Mitte hominem. *Magnum quidem eſt,* inquit, *& ſpiritale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis conſtitutionem regis terreni putet eſſe ſolvendam. Si enim cenſum filius Dei ſolvit, quis ſic tantus eſt qui non putet eſſe ſolvendum? Et ille cenſum ſolvit qui nihil poſſidebat, tu autem qui ſæculi ſequeris lucrum, cur ſæculi obſequium non recognoſcas? Cur te ſupra ſæculum quadam animi arrogantia feras, quum ſæculo ſis miſera cupiditate ſubjectus?* Quid ille ſanctus pater diceret, ſi nunc viveret, & ſi videret quæ fiunt ab Independentibus? Hi certe non ſolum ſupra ſæculum ſe ponunt, ſed Dei tribunal invadunt cujus eſt ſolius Reges plectere, eoſque de ſolio ob peccata ſua dejicere. Certe ipſe ille Ambroſius adeo animoſus & fortis etiam contra Imperatorem in tuendo jure Eccleſiæ & denegandis Cæſari Baſilicis, nihilominus eadem illum poſſe fatetur quæ Samuel Iſraëlitis denuntiat paſſuros eos eſſe ſub rege quem à Deo petebant.

Sic

Sic enim in Epistola XXXII. *Quid igitur? Non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum. Nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciam de agris invidiam. Tollat eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego.* Idem Epist. XXXIII. *Responde si à me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, jus ejusmodi meum, me non refragaturum. Si patrimonium petitur, invadite; si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum.* Non sic loquuntur, nec sic facere aut pari parati sunt plurimi ex hodiernis Theologis. Sed fortasse Ambrosius qui olim politicus fuit, minus ad gustum nostris antistitibus videbitur, quasi retineret aliquid ex pristina conversatione cum illa scriberet. Testimonium igitur denuntiabimus Augustino. An ejus autoritatem in hac re parvi facient quam in aliis tanti æstimant? Regem legibus esse solutum clare testatur Epist. XVIII. in causa partis Donatistarum, qui petebant se audiri coram præfectis Imperatoris cum Valentino Episcopo ex parte Catholicorum. Dicit ibi Augustinus. vel saltem Clerici Hipponenses, non posse hos illis talem judicem concedere qui deberet judicare secundum leges jam contra eos constitutas. *Quanto ergo*, inquit, *melius ipse Imperator qui non est eisdem legibus subditus, & qui habet in potestate alias leges ferre cum ei collatio vestra fuerit recitata, de tota ipsa causa poterit judicare?* Idem enarratione in Psalmos comparat regis potestatem Dei potestati & Christi. Vt enim Deus qui legis autor est contra illam non facit cum

pœnam legis alicui remittit, quod non posset facere qui Dei minister est tantum. Sic regem qui legem tulit contra legem suam, potest privilegium cui velit dare, & indulgentiam pœnæ quæ lege ipsius sancita est concedere, quod non liceret ei judici qui vice regis judicaret, quia secundum leges regis judicare debet. *Non ergo Deus*, inquit, *contra legem suam, quia nec imperator contra leges suas facit, quando confessis dat indulgentiam. Moyses minister legis, Christus promulgator legis. Moyses lapidat ut judex, Christus indulget ut rex.* Idem in lib. IV. de Civitate Dei cap. XXXVI. dicit, *Deum illum felicitatis autorem quia solus est verus Deus, ipsum dare regna terrena bonis & malis, neque hoc temere, & quasi fortuito, quia Deus est non fortuna, sed pro rerum ordine ac temporum, occulto nobis, notissimo sibi.* His plane verbis vult tam bonos quam malos reges à Deo constitui. Et paulo post, *Et ideo regna mundi hujus Deus bonis & malis communiter præstat, ne boni ea tanquam munera Dei magna concupiscant.* Idem lib. V. cap. XIX. Cum Neronis crudelitatem & luxuriam multis exaggerasset, subjungit, *Etiam talibus dominandi potestatem non dari nisi Dei providentia, quando res humanas judicat talibus dominis digniores.* Quam sententiam tuetur autoritate vocis divinæ, loquente Dei sapientia, *Per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram.* Deinde adjicit, *sed ne tyranni, non pessimi atque improbi reges, sed veteri nomine fortes dicti existimentur, Unde ait Virgilius, Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni; apertissime alio loco de Deo dictum est, qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi.* Ex qua doctrina colligere licet, & libere etiam vereque dici potest propter perversitatem populi Anglicani Deum per-

permisisse ut bonus rex iis auferretur, & in locum ejus ad tempus succederent aliquot tyranni & hypocritæ quibus Deus dedit potestatem castigandi peccata populi. Idem eodem libro cap. XXI. statuit *dandi regni* atque imperii potestatem nisi Deo vero tribui non debere, *qui dat felicitatem in regno cælorum nonnisi solis piis, regnum vero terrenum & piis & impiis sicut ei placet, cui nihil injuste placet.* Adjungit ibidem, *illum unum verum Deum, qui nec judicio nec adjutorio deserit genus humanum, quoniam voluit & quantum voluit, Romanis regnum dedisse quod dedit Assyriis & Persis.* Et paulo post: *Ipse etiam regnum dedit sine cultu eorum per quorum cultum se isti regnasse crediderunt. Sic etiam hominibus, qui Mario, ipse Cajo Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis vel patri vel filio suavissimis imperatoribus, & ipse crudelissimo Domitiano: Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano,* scilicet regnum dedit. Quid de Hieronymo dicemus? An aliud ille docuit? In Epistola ad Damasum, Ismaëlem filium Nathaniæ *parricidam* appellat quia Sodoliam interfecerat quem rex Babylonis Nabuchodonosor præfecerat terræ Iudeæ, id est, reliquiis Israëlitarum, cum cæteros abducendos in Babyloniam captivos curasset. *Ab Ozia quippe sub quo orsus est prophetare Esaias, usque ad Sedechiam qui extremus regnavit & qui cæcus in Babylonem ductus est, fuisse reges undecim, & duodecimum Godoliam quem constituerat rex Babylonis super terram, quem interfecit Ismael filius Nathaniæ inter medias epulas, reliquiarum patriæ parricida.* Si is qui constitutum à tyranno victore reliquiarum populi regem, qui remanebat in patria servus, interfecerat, *parricida patriæ* Hieronymo ap-

pellatur, quo nomine cenſuiſſet idem nuncupandos eos qui regem ſuum, longa ſerie ſucceſſionis ab atavis & atavorum atavis hæreditarium in Anglia regnum obtinentem, nefario ſcelere, infando judicio, ignominioſo mortis genere trucidarunt? Idem Hieronymus commentario in Eccleſiaſten ad illa verba, cap. VIII. *Ergo os regis obſerva; Videtur mihi quidem*, inquit, *præcipere juxta Apoſtolum, regibus & poteſtatibus eſſe obſequendum, maxime* LXXI. *interpretibus imperativo modo dicentibus,* σὺ μὲ βασιλέως φύλαξον. Agnoſcit nimirum, ſicut & alii omnes Eccleſiæ patres ac paſtores veteres, doctrinam eſſe Euangelicam quæ præcipit obſequium regibus eſſe præſtandum, non minus malis quam bonis, æque juſte ac tyrannice imperantibus. Ex his omnibus patrum teſtimoniis quæ produximus, Chriſti & Apoſtolorum diſciplinam Euangelicam de regum ſacro-ſancta & inviolabili majeſtate confirmantibus, tria omnino iſta conſtare certum eſt, Reges tam bonos quam malos, tam juſtos quam tyrannos, à Deo eſſe conſtitutos, à Deo ſolo eſſe judicandos, legibus quas ipſi ſanciunt ſolutos eſſe. Nos ad inferiora tempora non deſcendemus, ut Eccleſiæ doctorum ſententiam exquiramus, qui poſt Auguſtinum ad hanc uſque ætatem vixerunt. Abunde illos quos citavimus huic probationi ſufficere exiſtimo, quamvis innumeri non deſint ex recentioribus quibus hæc eadem ſederit opinio, verbo Dei & Apoſtolicæ regulæ conſentanea. De Hiſpanis Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in ſententiarum lib. III. cap. LI. *Populi peccantes judicem metuunt, & à malo ſuo legibus coërcentur. Reges autem niſi ſolo Dei timore metuque Gehennæ coërceantur, liberè in præceps ruunt, & per abruptum licentiæ*

tia in omne facinus vitiorum labuntur. De Gallis Gregorius Turonensis lib. v. cap. XVII. subditos ita loqui facit ad Chilpericum: *Si quis de nobis, ô Rex, justitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris audis; si autem audire nolueris, quis re damnabit nisi is qui se pronuntiavit esse justitiam.* De Germanis Otto Frinsingensis in Epistola ad Fredericum I. *Cum nulla inveniatur persona judicialis quæ mundi legibus non subjaceat, subjacendo coërceatur, soli reges, utpote constituti supra leges, divino examini reservati, sæculi legibus non coërcentur. Vnde est illud tam regis quam Prophetæ testimonium, tibi soli peccavi.* Ad infima etiam tempora doctrina hæc Euangelica de regum absoluta potestate nullius examini nisi Dei obnoxia, à multis non solum privatis doctoribus retenta est, sed etiam à collegiis & Synodis sancita, Sorbona hodieque eam tenet, & à Concilio Constantiensi firmata est. Sed in agro Dominico ante multa sæcula, pro bona semente lolium & avenas pravi magistri severunt, & malæ herbæ bonis mixtæ succreverunt. Vsque ad Augustinum nemo Doctorum Ecclesiasticorum variavit, aut dissidentem super ista re protulit sententiam. Constans & perpetua in Ecclesia conservata est per quingentos & amplius annos prædicatione, commentatione, tractatione, disciplina & usu, hæc doctrina. Immo eo usque pura & intemerata permansit donec extitere qui supra reges ipsos se constituerent & imperatores, Ecclesiæ nimirum Romanæ Antistites. Quamdiu enim creditum est soli Deo reges subjici, nec aliam in terris potestatem, neque sæcularem, neque Ecclesiasticam, supra eos ullam extare, tamdiu nemo dubitavit, quin reges ab

alio non dependerent nisi à Deo ipso, illi soli actuum suorum rationem reddituri, ab eo solo puniendi, regno privandi & vita à quo constitutos eos esse constaret. Et merito sane. Iudicari quippe nemo potest nisi à pari vel superiori. Cum reges autem nec parem nec superiorem in regno suo habere putarentur, ne populum quidem universum cui imperabant, & cujus erant domini; non posse certe à quoquam ea illos exui potestate quam à solo Deo accepissent, certa & fixa omnium opinio semper fuit. Vbi vero exorta est potestas quam regnum in terris possidere majus regum imperio persuasum fuit hominibus Christianis, ut quæ Christi vices gereret, tum illi potestati multorum ejus adsclarum & satellitum sententia subjici cœpta est regia & imperatoria majestas. Ex hac ipsa tamen, quamvis impura & falsa opinione, facile potest confirmari qualis olim & semper fuerit vera Ecclesiæ & Euangelica de regibus doctrina. Nam si improbus ille cumulus qui temere & perperam justæ mensuræ ex Zizaniis adjectus est, deruatur, tum pura sinceri seminis natura apparebit. Tolle illud falsum & impurum dogma, quo Papa Romanus populos solvere sacramento fidelitatis quam regi promisere, posse censetur, tum remanebit sana & sincera qualis à Christo & Apostolis ejus tradita est & diu in Ecclesia conservata doctrina, quæ populum regi suo ita obligatum & obstrictum statuit, ut nullo regis facto, quantumvis scelerato & tyrannico, ab ejus obsequio & subjectione liberari possit. Pontificii ergo dum credunt traduntque populum nisi sacramento fidelitatis à Romano Pontifice solutum rebellare contra regem suum non posse, nec ullam justam habere causam arma in eum capiendi, hoc ipso statuunt,

tuunt, debere illum prius solvi eo Sacramento, ut jure possit arma capere & insurgere contra suum regem. Non posse autem nisi per Pontificem Romanum eo fidelitatis jurejurando liberari dum ponunt, nobis etiam eo ipso facile persuadent, populis nulla ratione & nulla causa licere principes cui subjecti sunt abdicare, quia nullo modo possunt solvi, nec ab ullo, fidelitatis, quam jurarunt, sacramento. Tam enim falsum est secundum leges divinas & humanas Pontificem Romanum posse subditos sacramento fidelitatis absolvere, quam subditis licere per se id agere, ut illo sacramento liberentur, & liberati bellum regi suo inferant, eum accusent, judicent, damnent, regno exuant & vita. Maneat ergo indubitatum & certum id quod hoc capite demonstravimus ex doctrina patrum, quæ per quatuor prima Ecclesiæ sæcula mansit intemerata, quæque sola Euangelica & Christiana censeri debet, reges etiam malos & injustos à Deo constitui, & proinde Deum solum habere judicem, supra leges esse, nullam esse legem scriptam, non scriptam, naturalem neque divinam, qua rei possint fieri à subditis, neque apud subditos. Quia si hi possent judices sedere contra reges suos, rerum vices inversæ viderentur, & populus pro rege imperaret, rex vero populo subjectus haberetur. Ita nulla uspiam foret regia dominatio, nulla optimatum, sed ubique populus rex esset, resque publicas gubernaret.

CAPVT IV.

DVobus prioribus Capitibus explicavimus totum doctrinæ Iudæorum ſimul & Chriſtianorum cenſum, de obſequio, obedientia & fidelitate quæ regibus debentur, etiam malis, etiam tyrannis, quoniam à Deo æque juſtos atque injuſtos reges eſſe Scriptura utriuſque fœderis teſtatur. Nunc tractandum & diſpiciendum an utriuſque Eccleſiæ, Iudaïcæ & Chriſtianæ primitivæ, uſus reſponderit præceptis divinæ legis reges ita obſervari jubentibus, ut nulla juſta cauſa fuerit apud Deum populo contra regem arma capiendi, ei reſiſtendi, vim vitæ eorum inferendi, regno illum quocumque modo dejiciendi. Parum quippe fuerit hanc doctrinam Iudæos & Chriſtianos ex veteris & novi fœderis fontibus hauſtam habuiſſe, ſi facta eorum dictis diſcrepaverint, ſi exempla cum moribus non pariaverint, ſi denique aliter vixerint quam docuerunt. A Iudæis incipiemus, & poſtea ad Chriſtianos deſcendemus; ut ſic non aliam fuiſſe mentem oſtendamus antiquæ legis obſervatoribus, & novæ auditoribus, neque aliud vitæ in utriſque inſtitutum, quia non aliud præceperit lex vetus quam nova; neque alia mandaverit Deus Filius quam pater Deus, nec aliam traditionem circa hoc acceperit Synagoga quam Eccleſia. A prioribus prius auſpicati, Iudæorum res ſuper hoc negotio, à primo eorum rege uſque ad Herodem ſub quo Chriſtus natus eſt; perſequemur, Chriſtianorum vero recenſebimus memorias à Chriſto ipſo fundatore talis diſciplinæ, uſque ad Auguſtinum. Primum igitur quod ad Iudæos attinet, illu-

illustre dat documentum Rex ac Propheta David quid reliqui deberent observare dum ab inimico suo rege, & persequutore, vim abstinuit, non aliam ob causam, quam quia rex esset & unctus Domini. Alioquin justam videbatur habuisse causam eum occidendi, quem sciebat à Deo ipso projectum esse cum ipse rex esset jam designatus, cum Dei Spiritu repletus incederet, Saul autem à Spiritu contrario agitaretur. Atque hoc ipsum est scilicet quod eum prohibuit manus violentas regiæ personæ inferre, quamvis violentus ille & iniquus foret ac Deo exosus. Opponamus igitur Spiritum Dei, Spiritui Diaboli. Qui illum habet, ut David, regem non interficit, etiam talem qualis Saul fuit, id est tyrannum, & à Spiritu nequam exagitatum, à Deo ipso, sicut Spiritu prophetico dictante cognoverat, abjiciendum & exterminandum. Quo itaque Spiritu dicemus impulsos Anglicanos perduelles regem suum hæreditarii regni per tam longam seriem avorum ad se devoluti, possessorem legitimum interemisse? Vtrum ab illo qui Davidem movebat, an ab illo qui Saulem vexabat? Isto sane, neque quisquam aliter possit dicere, nisi eodem Spiritu animatus. Spiritus qui Davidem impellebat, manus eum à rege bis temperare jussit, cum totidem vicibus in potestate sua illum habuisset, & occasionem occidendi opportunam nactus esset. Spiritus ille, Dei fuit illius, qui in veteri Testamento *reges per se regnare* dixit, & *animam regis in sua manu positam* esse pronuntiavit, non alia proinde quam sua eripiendam, quique in novo fœdere tam *reges honorandos* speciatim præcepit, quam generatim *inimicos esse diligendos*. Hoc arripuere fanatici Angli, & ex eo perversum & pernicioſum collegere

dogma, inimicis potius parcendum esse quàm amicis. Inde concludunt se regi suo parcere non debuisse, quia amicus erat. Ergo si inimicus fuisset, illi perciderent? Monstra hominum! Quid istis phreneticis facias, qui cum ad legem naturæ subinde provocent, naturam ipsi humanam plane exuerunt, nihil retinentes hominis nisi faciem, cætera Molossis suis feraciores? Ipse ille David regem impium, & quem Deus omnino decreverat tollere, ab impio aliquo tolli maluit quam à se qui pius erat, & quem sciebat se non posse perdere, nisi simul etiam pietatem vellet amittere. Alterius scelere voluit eum violari potius quam suo. *Ab impiis*, inquiebat, *egredietur impietas.* Quasi diceret, impius aliquis Deo Saulem perdere destinanti hoc ministerium præbeat, non ego qui pietatem colo. Saule paulo post in acie interfecto cum ad Davidem accurrisset qui falso jactabat se inimico ipsius vitam ademisse, & præmium sperabat à rege, quid illi Rex respondit, aut quomodo eum excepit? Primum audita regis morte, & hostis sui, vestimenta sua, ut in luctu tum fieri solitum, laceravit. Omnes etiam qui cum eo erant, planctu & fletu dolorem suum testati sunt, & jejunium usque ad vesperam celebrarunt. Ille autem qui sua manu Saulem se occidisse gloriabatur, retulit haud dictu mollia: *Quia non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini.* Pretioque mox quod tale parricidium merebatur affecit, & proximo satellitij imperavit ut eum neci daret. Ipse autem David, cum unus ex suis Saulem pararet occidere, ne id faceret, interminatus est his verbis: *Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Si hæc Christianis pro lege & regula non sunt, quid eos à

tanto

tanto facinore possit dehortari, aut deterrere non satis scio. Vrgent, qui coronas despuunt ac thronos destruunt, quod idem ille Rex David sexcentis satellitibus iret stipatus cum Saul eum persequeretur. Sed ad quem usum istos homines habebat? An ad occidendum persequutorem suum? Immo ad se tuendum tantum. Quod illi licuisse per leges omnes, naturales, divinas, & civiles, planè liquet. Audentne hoc dicere atrocissimæ perduellionis rei, qui sexaginta millium exercitum compararunt, ut tuto possent regem suum infami carnifici publicè decollandum dare? Vrgent iidem laniones defectionem decem tribuum Israëlis à Roboamo Salomonis filio. Sed quæram ab iis primum cur à Salomone ipso non defecerunt, qui tam gravibus tributis eos premebat, qui postremo ad idololatriam deflexit à fœminis quas efflictim deperibat, inductus? Cum tot equos, tot currus, tot uxores, tot concubinas contra legem Dei expressam haberet, cur nemo repertus est in populo, qui eum interficeret? Cur autem ipse populus non rebellavit? cur Synedrium magnum ad causam dicendam non eum pertraxit? Nisi Lex divina eos tenuisset, hoc sanè fecissent. Sed Deus, qui solus est nocentium regum judex, decreverat delicta ejus in filio vindicare. Ideo permisit ut post mortem patris decem tribus à filio secederent, & alium regem sibi crearent. Sed quomodo? An eo quem rebelles Angli usurparunt? Numquid eum Israëlitæ accusarunt, damnarunt, ad mortem duci jusserunt? Regno adhuc recenti & vix ad tertium hæredem transituro, ubi palam factum esset de morte Salomonis, congregati Israëlitæ ad regem sibi constituendum ejus filium, conquesti sunt apud illum

de oneribus quibus ſub patre gravati fuerant, & rogarunt ut vellet eos relevare graviſſima illa tributorum mole, quæ pater impoſuerat. Quid ille ad tam juſtam eorum petitionem? Tantum abfuit precibus illorum annuere, ut etiam ultro longe graviora minatus ſit, & ſcorpionibus ſe verberaturum denuntiaverit quos pater flagris tantum ceciderat, increpans inſuper, digitum ſuum minimum craſſiorem eſſe patris toto corpore. Qui nondum rex erat, quid feciſſet ſi regnum eſſet adeptus? Tam ſuperbum ejus reſponſum merita, nec tamen juſta defectione redhoſtierunt. Deus ipſe hanc illis mentem immittendo, juſtam fecit, atque ita fieri mandando, quo patrem in filio puniret. Sic ad alium iverunt. Nihilo tamen ſecius factum Ieroboami ſemper improbatum fuit, & ὑποψία ejus ab omnibus ſequentibus ætatibus deteſtata. Succeſſores ejus pro rebellibus & reprobis ſemper habiti ſunt. Etiamſi per ſecundas cauſas Deus agat quod agere ſtatuit, quod male tamen egerunt quamvis id ipſe permiſerit non ipſis impunitum ſolet abire qui fecere. Pro flagello iis ubi Deus uſus eſt ad puniendos improbos, flagellum ipſum poſtea in ignem mittit aut frangit. Multum igitur intereſt quod fit, utrum ut regulæ conſentaneum adprobationem omnium mereatur, an verò velut à regula exorbitans cunctorum judicio repudietur. Vtrum id Deus juſſerit, an permiſerit tantum, plurimum etiam refert. Quamvis enim ex facto interdum jus oriatur, ſi quid fiat quod juri & legibus ſit contrarium, ex eo jus fieri non poteſt. Quotidie adulteria, homicidia, furta committuntur, & quidem ſæpius impune, cum tamen nemo dicere poſſit licita eſſe, quia ſæpe admitti ſolita ſint. Certe illa receſſio vel rebellio Ieroboami ab omnibus ſemper, ut

di-

diximus improbata est, tam Iudæis quam aliis gentibus, atque etiam præcipue à Christianis doctoribus. Gregorius Nanzianzenus cum Iulianum Apostatam ex multorum nequitiis & vitiis pessimorum principum monstrum concretum & compositum, vellet dicere in secunda Philippica sua, Ieroboami quoque ἀποστασίαν dicit eum habuisse; Ἐπεὶ καὶ τὰς πάντων κακίας εἰς ἑαυτὸν συλλέξάμενον φαίνεται, Ἱεροβοάμ τὴν ἀποστασίαν, Ἀχαὰβ τὴν μιαιφονίαν, Φαραὼ τὴν σκληρότητα, Ναβυχοδόνοσορ τὴν ἱεροσυλίαν, ἁπάντων ὁμοῦ τὸν ἀσεβέστατον. *Quoniam ipse omnium vitia & nequitias in unum collectas possedisse videtur, Ieroboami apostasiam, Achabi crudelitatem, Pharaonis duritiam, Nabuchodonosoris sacrilegam cupiditatem, & omnium simul impietatem.* Nec ipse tantum Ieroboamus rebellionis illius autor improbus & detestabilis tyrannus existimatus est, sed omnis regum successorum ejus posteritas tali crimine damnata est, & pro improbis ipsi quoque atque impiis, proque rebellibus non minus quam primus ille rex Israëlis habiti sunt. Augustinus lib. XVII. cap. XXII. de Civitate Dei, scribit, Regem hunc Israëlis Ieroboamum, mente perversa non credentem Deo, quem veracem promisso sibi regno datoque probaverat, timuisse, ne veniendo ad templum Dei, quod erat in Hierusalem, quo secundum divinam legem sacrificandi causa universæ illi genti veniendum fuit, reduceretur à Deo populus, & stirpi Davidis tanquam regio semini redderetur, atque instituisse idololatriam in regno suo, & populum Dei secum simulacrorum cultu obstrictum nefanda impietate decepisse. *Nec tamen*, inquit, *omnino cessavit Deus non solum illum regem, verum etiam successores & impietatis imitatores populumque ipsum arguere per prophetas.* Magistri Iudæorum de his omnibus

omnibus Israëlis regibus dicunt, transgressores legis fuisse, superbos, contumaces, nullamque ab his, quamvis per prophetas à Deo missos corriperentur, correctionem salutarem sperari potuisse, sed tantum contemptum & abolitionem legis. Cum omnes reprobi essent & idololatræ ac rebelles, tam Deo quam regi suo legitimo à primo hujus rebellionis duce Ieroboamo, & sæpè hoc nomine à prophetis increparentur & arguerentur, nunquam tamen prophetæ contra eos populum incitasse leguntur. Denuntiabant illis minas irati & offensi Dei, nisi resipiscerent, sed populum ipsum ab eorum obsequio & subjectione non abducebant, non sicarios subornabant qui in eos irruerent, ipsi contrà prophetas Dei trucidabant, & altaria suffodiebant, dicente Elia qui ad eos post alios missus fuerat, *Et ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Cum tot etiam pessimi reges in parte Iudæ extiterint, nemo tamen repertus est qui in vitam eorum conspiraret, qui regno eos dejicere tentaret, qui exemplum denique Ieroboami sequeretur. Cujus crimen una res excusatius reddidit, quod videretur expresso Dei mandato id ab eo commissum, ut vindicaret peccatum Salomonis per pœnam filio irrogandam. Ideo cum Rex Roboamus pararet eam rebellionem, tanquam tyrannidem divisæ illius partis bello persequi, prohibitus est populus pugnare cum fratribus suis, dicente Deo per prophetam, *sè hoc feciſſe.* Allegat quidem Anglicani latrocinii factio, se ad id scelus quod tam nefarie susceperit, nescio qua voce cælitus missa impulsos fuisse, cum meliora viderent probarentque; sed deteriora sequi cogerentur monitu vocis illius cælestis, quæ ad facinus faciendum scilicet eos hortabatur. Sed si quis est qui fidem

fidem habeat fanaticis commentis hominum ſceleratorum, illum ego contenderim mente bona carere, nec minus eſſe furioſum quam qui ita dicunt & faciunt, ut qui non poſſit diſtinguere inter inſtinctus falſos & inſpirationes dæmoniacas, ac veras Dei prophetias. Nemo certe unquam Dei propheta populo autor fuit, regis ſui coram Synedrio ob idololatriam, ob parricidia, ob adulteria, ob homicidia & alia ejuſmodi peccata accuſandi. Nullus unquam rex, nec in parte regni Iudæ, nec in parte regni Iſraëlis prophetarum juſſu vel ſuaſu, publico judicio, in platea publica carnificis manu capite truncatus memoratur, aut poſteritas ejus à legitimæ ſucceſſionis jure excluſa. An ulla videtur juſtior cauſa populo arma capiendi contra regem ſuum quam quæ velamento religionis prætexitur? At ne hæc quidem juſta dici vel videri poteſt. Non enim legimus in Scriptura Hebræos contra proprios reges è Davidis ſtirpe bellum propterea ſuſcepiſſe quod religionem veram & legitimum Dei cultum in prophanum & Samaritanum mutare conati eſſent. Si ullum crimen in rege fuit quod à Synedrio judicandum & vindicandum videretur, hoc vero fuit. Quod allegatur de Idumæorum & Libnenſium defectione quæ ſub Ioramo rege judæ accidit, nihil habet ſimile cum facto horrendo Independentium Anglicanorum. Defectiones & rebelliones populorum ut ſæpe fiunt, atque à Deo permittuntur, non tamen in exemplum trahi debent, quia nunquam probantur nec laudantur. Illi ipſi Ioramo Deus per Eliſæum multa mala impendentia & imminentes calamitates minatus eſt, quia cultum Dei dereliquerat, fratres ſuos occiderat, alia flagitia nefanda commiſerat. Quorum gratia non eum trahi

ad

ad tribunal Synedrii mandavit, nec sententia judicum plecti; sed ipse se vindicem criminum ejus ac judicem constituit Deus, Palæstinos & Arabas in eum suscitando qui terram ejus depopulati sunt, domos expilaverunt, uxorem & liberos in captivitatem abduxerunt, ipsum autem Ioramum morbo alvi insanabili adflixit. Nec sola hæc pœna est quam personæ Iorami inflictam à Deo dicere liceat, qua etiam ostenditur regem non habere judices è populo suo, sed solum Deum agnoscere delictorum, quæ committit, vindicem. Ne prophetæ quidem se judices constitui voluerunt regum peccantium, quamvis à Deo mitterentur ad eos corripiendos. E contrario à regibus sæpius ipsos prophetas trucidatos legimus, quod multis locis Scriptura divina testatur. Interdum & cum iis quasi lege egerunt, eosque in carcerem conjici jusserunt. Cum Ieremias detineretur à rege captivus, Abdemelechus Eunuchus pro eo apud regem interceſſit & obtinuit. A Synedrio in carcerem conjectum fuisse volunt, & ex eo arguunt Synedrii majorem fuisse potestatem, quam regis. Verum quidem est propriam extitisse Synedrii cognitionem de falsis prophetis, ut constat ex tractatu Sanhedrin cap. 1. Sed quamvis ordinaria hujus conventus in pseudoprophetas fuerit jurisdictio, nihilominus tamen regis potestas tanquam supra Synedrium constituta, extra ordinem de his cognovit, & potuit eos duci in carcerem jubere, aut è carcere extractos liberare, vel invito Synedrio. Ieremiam principes populi, id est Synedrium, verberibus cæsum in carcerem miserant. Ieremias tamen cum eum rex de carcere eductum ad se vocasset, ita interpretatus est quasi regis jussu fuisset incarceratus, his verbis quibus est regem

gem alloquutus: *Quid peccavi tibi, & servis tuis & populo tuo, quia misisti me in domum carceris?* Deinde regem oravit ne se remitti juberet in domum Ionathani scribæ, quo eum principes populi custodiendum miserant. *Valeat*, inquit, *deprecatio mea in conspectu tuo, & ne me remittas in domum Ionathan scribæ, ne moriar ibi.* Sedecias hanc ei veniam dedit ut petierat, & præcepit ut in vestibulo carceris custodiretur, ac daretur ei panis torta in singulos dies. Postea principes populi Sedeciam adierunt, & rogarunt ut sibi traderetur Ieremias occidendus. Annuit eorum petitioni rex, non tanquam minor & obsequii reus, sed gratificari illis cupiens, vel fortasse negare non ausus metu seditionis. Acceptum illi Ieremiam in prædictum locum demiserunt ut ibi fame necaretur, sed post breve tempus Abdemelechus Æthiops Eunuchus liberationem ejus à rege impetravit. Hæc omnia demonstrant etiam de prophetis reges Iudæ statuisse quod vellent, nec quemquam unquam extitisse Dei prophetam qui seditionis auctor, factionis fautor in regem fuerit, aut ullorum consiliorum particeps aut conscius quibus è medio tolleretur, ut novæ & Diabolicæ prophetiæ Enthusiastæ nuper perpetrarunt. Allegant impuri Cathari exemplum Elisæi Prophetæ qui ostium occludi jussit domus suæ spiculatori à Ioramo misso, ut caput sibi demeret. Quid inde concludunt? An defendere volunt isto Elisæi facto id quod fecerunt ipsi, dum caput regi suo truncarunt carnificis manu? Propheta ille Dei noluit sibi à rege caput amputari, isti Satanæ prophetæ regi suo cervices amputarunt. Quid simile? Achabo non potuit deterior quispiam ostendi, nec monstrum regis ex omnibus vitiorum portentis magis conflatum re-

reperiri. Nam de eo dicit Scriptura 1. Regum cap. XXI. *Non fuit alter talis ſicut Achab qui venundatus eſt, ut faceret malum in conſpectu Domini.* Prophetæ non ab eo populum abduxerunt, nec in jus ad Synedrium traxerunt, nec capitis cauſam dicere coëgerunt, nec quemquam immiſerunt ad eum occidendum, quia nullum tale mandatum habuere. Perſonæ ejus, quamvis ſceleratiſſimus eſſet, Deus ita pepercit, ut quæ peccarat in poſteritate ejus vindicanda extra ordinem præceperit per Eliſæum, qui totam regiam domum funditus extinxit. Nam Iehum Deus excitavit, & in regem per prophetam ungendum mandavit, ut rex regiam domum extirparet. Non enim cuiquam privato, ex ſubditis regis hoc munus delegavit, ſed ei quem extra ordinem Deus regem conſtituit, ut ejus voluntatem exequeretur. Godoliam qui à Nabuchodonoſore præfectus fuerat reliquiis populi quæ in terra ſancta remanſerant, Iſmahel interfecit. Nec hoc factum laudavit Ieremias. Quin è contrario damnatur eidem Ieremiæ XL. Vnde & *Patriæ parricidam* eum appellat Hieronymus. Duodecimum eum regem numerat gravis autor in Epiſtola ad Damaſum ab Ozia. Ex illis autem duodecim regibus qui ab Ozia uſque ad Godoliam regnarunt, quatuor tantum ait juſtos fuiſſe, Ozian, Iohatan, Ezechian & Ioſian, cæteros malos. Cum tot mali reges in Iudæa fuerint, mirum eſt nullum ſeditione populi vel procerum factione fuiſſe trucidatum; tantum abeſt, ut accuſatus ullus ſit coram Synedrio, vel ab eo judicatus, & damnatus. Qui pro bonis regibus inter eos numerantur, ſi comparatio eorum inſtituatur cum Carolo primo Angliæ rege, multum de bonitatis exiſtimatione deperdent. Sume tibi Davidem, adulterii

ulterii simul & homicidii reum deprehendes, nihil tale in Carolo inventurus. Contra Dei præterea exertam voluntatem Israëlitarum populum recensuit. Salomon ejus filius, qui sapiens audiit vulgo, nihil dignum ea sapientia fecit, cum ad impietatem & idololatriam in fine vitæ à mulieribus suis inductus deflexit, cum fratrem natu majorem, & mox Ioabum in tabernaculo Dei cornu altaris tenentem interfici mandavit, parricidii simul & sacrilegii scelere commaculatus. Contra expressa Dei mandata idem innumerabilem uxorum & concubinarum multitudinem habuit, curruum & equorum tot millia ut numerus fidem superet, cum tamen Deus per Mosem regi quem constituere sibi debebat populus ubi terram Sanctam ingressus foret, numerum equorum & curruum multiplicare noluerit esse licitum, nec uxores plurimas habere. Quod de Athalia adfertur, non meretur refutari. Ipsa regnum non sibi debitum sumpsit defuncto filio, atque omnem stirpem regiam extinxit. Soror Ochoziæ Iesaba, filia regis Iorami, de medio eorum qui interficiebantur surripuit Ioan filium Ochoziæ, ac servavit. Eum postea productum, diademate decoratum, & solio impositum regem proclamaverunt Principes populi Athalia abjecta & interfecta, plus quam hoc merita. Exturbata quippe est quæ regno incubabat, rege legitimo in thronum repositio. Nam legibus Hebræorum fœminæ ad imperium non admittebantur. Scriptum quippe fuit, *Constitues super te Regem*, Deuteron. XVII. non reginam. Ita enim Magistri exponunt. Ioachimus Vriam prophetam ex Ægypto quo fugerat retractum interfici jussit, & projici cadaver ejus in sepulcris vulgaribus. Vnus de pessimis fuit, & pravam prædecessorum suorum sectam

se-

sequutus est, nec tamen à Synedrio condemnatus, aut necatus fertur. Vbi Spiritus Sanctus recessit à populo Israëlitico, & prophetia cessavit vatesque esse desierunt qui malis regibus denuntiarent minas iræ divinæ, non minus tamen certa Dei judicia fuere in vindicandis peccatis male imperantium regum, ut nunc etiam sunt, quamvis non ita explicita & aperta fuerint. Spiritus qui prophetas implebat; sub secundo templo defecit. Quamdiu mandata Domini regibus ab eo constitutis hi sancti ministri ferebant, nullos unquam reges eorum monitu occisos vel destitutos legimus, nec populum unquam eorundem voce incitatum ad arma contra regem suum capienda. Quod maximum est argumentum nunquam Deo placuisse rebellionem populorum adversus reges suos, quia nunquam per prophetas suos populis, ut rebellarent, mandavit, aut ut regibus manus inferrent. Quinimmo contrarium expresse factitatum videmus ab illis quos Spiritus Dei replebat, ut in Davide. Nunc videamus ubi prophetas ille Spiritus cælestis impellere destitit, an Iudæi alio Spiritu animati fuerint erga reges suos, quam tum cum à prophetis viva voce instruebantur, & monebantur. Post remigrationem è Babylone usque ad Aristobulum nullos habuere reges per quadringentos plus minus annos. Duces aut Pontifices summi regnabant, maxima cum auctoritate, & quamvis regio nomine carerent, vix regiæ dissimili. Nullum ex suis illis Ducibus, neque occidisse per seditionem leguntur, neque capitis damnasse, cum tamen non semper optimi fuerint, & impotenter sæpius se gesserint. Aristobulus, qui primus diadema sumpsit, & cum regio nomine imperavit, detestabilis fuit, atque impius. Matrem quippe &

Anti-

Antigonum fratrem natu minimum trucidavit, reliquos in vincula conjecit. Vxor ejus Salome ex tribus viri fratribus Iannæum, cognomine Alexandrum, in torum & regnum recepit. Contra Aristobulum, cum adeo execrandus foret, nulla extitit Iudæorum rebellio. Contra Iannæum, cum Pharisæos contumacis & superbæ sectæ homines adeo male tractasset, & octoginta ex his dum epularetur supra tectum palatii suspendisset, nemo eorum insurrexit. Octingentos eum Pharisæos cruci affixisse testis est Iosephus lib. 1. Halosis cap. 1v. Quinimmo hunc ei honorem mortuo habuere, ut luctu & planctu funus ejus prosequuti sint, & feretrum mortuale humeris suis ad sepulturam extulerint. Cum vero per simulationem experiri vellet quali animo in se forent Pharisæi, & ægrotum illum, mox etiam mortuum, uxor jussu ejus finxisset, iisque dixisset Alexandrum eorum hostem diem suum obiisse, ut si vellent, vel igni illum consumerent, vel canibus cadaver ejus objicerent, responderunt Pharisæi, ut apud Iosippum legitur: Absit hoc scelus à nobis, ut hanc vicem rependamus domino nostro, uncto Domini, regi simul & Pontifici. Quidquid in nos male fecit, expiatum esto illius morte. Nos autem & planctu ipsum honorabimus & luctu, quin & feretrum ejus subire parati sumus, & humeris nostris deferre ad locum sepulturæ, & in monumentis regiis eum reponere. Hæc testatur historia, qua mente præditi erga reges suos fuerint Pharisæi, & quam de his colendis & observandis doctrinam habuerint, genus alias hominum turbulentum, seditiosum, factiosum, & zelo Dei inconsiderato sæpe abripi solitum. Vbi in potestatem Romanorum Iudæi venere, sæpe tanquam contra

hostes suos acerrimos, legumque suarum ac religionis eversores, rebellarunt. Quid mirum? Nondum jugo erant assueti, & impatienter ferebant religionis suæ & legum violationem. Præcipue vero toto illo tempore quod interceſſit Christi nativitatem inter & Hierosolymitanæ urbis excidium, multum turbarunt, ac sæpe tumultus adversus Romanos Imperatores concitarunt, ut gentem illam constat inter omnes maxime seditiosam & rebellem fuisse. Habuere aliquando & quosdam duces factionum, tubas & accendones turbarum, qui se Zelotas dici cupiebant. Populus interim prætexebat se non cum Imperatore Romano bellum gerere, sed cum præfectis ejus, quorum sævitiam & tyrannidem ferre se non posse dictitabant. Quas eorum querimonias injustas his rationibus ostendere conabatur Agrippa apud Iosephum lib. II. Excidii Hierosolymitani, cap. XXVIII. Si injurias præsidum, inquiebat, vindicare laboratis, cur libertatis recuperandæ studio vos rapi dicitis? Si libertatis amor vos incitat, & servitutis onus intolerabile ducitis, superflua est de præsidibus querimonia. Hæc duo cum apud se examinaret, neutrum ab iis fieri oportere probabat, ut aut quererentur de injuriis præsidum, aut de libertate armis recuperanda cogitarent. Quod ad hoc ultimum attinet, *Serum est nunc*, inquiebat, *libertatis desiderio moveri, cum ab initio ne amitteretur certandum foret, servitutis quippe experimentum esse durum, & ad eam propulsandam contentionem videri justam. Sed qui semel jugum subiit, si excutere illud satagat, contumax servus habendus potius, quam libertatis cupidus.* Hujus Agrippæ pater etiam Iudæos sub imperio Caligulæ ita a rebellione deterrebat, ut tamen dissuaderet ne paterentur

terentur illius ſtatuam in templo collocari publice adorandam. Cum Petronius ad hoc miſſus à Caligula denuntiaſſet Iudæis quid haberet in mandatis de Cæſaris ſtatua in templo eorum dedicanda, & diceret inſuper ſe non poſſe Imperatoris voluntati inaudientem eſſe, niſi ipſe mallet perire, univerſi clamaverunt ſe paratos eſſe quidlibet potius pati quam legi ſuæ derogare. Tunc ſedato tumultu Petronius ad eos ſic verba fecit. Quid ergo? An bellum Cæſari inferre animus vobis fert? Nequaquam, illi reſpondere. Nam quod ad Cæſarem & populum Romanum attinet, bis de die pro eorum ſalute ſacrificium Deo offerimus, ſed ſi ille ſtatuam in templo noſtro ſtatuere certum habet atque animo fixum, univerſam prius Iudæorum gentem immolari & exterminari jubeat oportet. Nos enim omnes priuſquam hoc patiamur jugulandos præbere noſmet ipſos cum uxoribus noſtris & natis, deſtinavimus. Miſericordia ſubiit Petronium cum videret mori certos pro religione, cujus tuendæ tantum & tam invincibilem ardorem teſtabantur. Non conſilio, non exhortatione, non minis deducere illos potuit de ſententia, cum tamen ad quidvis potius perpetiendum quam ad bellum inferendum Imperatori ſe promptos oſtenderent. Sæpe illi quidem alias ſeditionibus in Romanos ſuſcitatis exarſerunt, ſed infelici ſemper exitu, cum Deus aperte eas damnaverit, ſucceſſum dando contrarium rebellantium voto. Iudæis ſepoſitis, qui ex his producti & quodammodo iis inſiti fuere, Chriſtianos arripiamus, & videamus an nova lex per Chriſtum data aliud à ſuis Diſcipulis exegerit, quam pater ejus Deus in πολιτείᾳ à ſe inſtituta obſervari per Moyſen Iudæis præceperat. Hoc quidem jam diſpeximus,

& obſervatum nobis eſt, novi fœderis leges non aliud circa hoc ſtatuiſſe, quam quod vetuſtarum tabularum conſtitutione ſancitum fuerat. Sed an mores pares habuerint, & an uſu doctrinam à Chriſto & Apoſtolis ejus acceptam comprobarint, intuendum eſt. Paulo ante notavimus ex Ioſepho, Iudæos bis in die pro Cæſaribus ſacra feciſſe. Deus per prophetam ſuum populo in captivitatem Babylonem abducto præcepit orare pro ea ipſa civitate, in qua captivis ipſis vivendum fuit, Ieremiæ cap. XXIX. *Quærite pacem civitatis ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius pax erit vobis.* Daniel alter Dei propheta pro incolumitate & ſalute regis Nabuchodonoſoris orare non dubitavit. Apud Eſaiam cap. XLIV. Deus vocat Cyrum *Paſtorem ſuum.* Cyro dixit Deus, *Paſtor meus es.* Et cap. XLV. appellat eum *Chriſtum ſuum*, id eſt Vnctum. Ne quis ex grege Catharorum doctor impurus argutetur hariolando, ſolos Reges pios & fideles *Vnctos* Dei dici debere. Sed iſtis fanaticis nullus Rex Dei Vnctus habetur, quos ex æquo omnes interficere vel gladio vel voto parati ſunt. Paulus qui ſecta fuit Phariſæus, & in legis doctrina apprime verſatus, cum nulla novæ legis ſtatus admitteret ſacrificia poſt unum illud in Cruce peractum Redemptoris noſtri, quod potuit Chriſti ſectatoribus injunxit, ut pro regibus, id eſt Imperatoribus, preces ad Deum funderent. Hæc unica fuere ſacrificia quæ pro ſalute imperantium Deo fieri tum potuerunt. Sic enim in Epiſtola ad Timotheum prima, cap. II. *Pro regibus & omnibus qui in dignitate ſunt eminenti, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Pietas quippe & caſtitas vix locum ſuum tutari queunt niſi in pace & tranquillitate. Pax autem

& quie-

& quieta vita esse non potest nisi salvis regibus. Quinam tunc erant reges pro quibus Deum orandum præcepit? Certe usurpatione tyranni, tyrannice etiam regnantes, religionis veræ osores & persequutores, idololatræ. Hæc regula fuit, hæc lex, hoc præceptum. An id observarint illi quibus mandatum fuit, recognoscamus. Præter Liturgias veteres hoc testantur antiquissimi quique patrum. Quamdiu gentiles fuere Imperatores, ὑπὲρ τῶν βασιλέων tantum sine ullo epitheto preces concipiebantur, *pro regibus*. Vbi imperatores facti sunt Christiani, non simpliciter ὑπὲρ τῶν βασιλέων precari solebant, sed eos etiam φιλοχρίστους, εὐσεβεστάτους, & θεοφυλάκτους nominabant, *Christi amantes, piissimos, & à Deo servandos*. In ea quæ Chrysostomo tribuitur, hæc legas: ἔτι δεόμεθα ὑπὲρ τῶν εὐσεβεστάτων καὶ θεοφυλάκτων βασιλέων ἡμῶν, κράτους, νίκης, μακροβιότητος, εἰρήνης, ὑγιείας σωτηρίας αὐτῶν. *Etiam precamur pro piissimorum & Deo carorum imperatorum nostrorum fortitudine, victoria, longa vita, pace, valetudinis conservatione.* Non minora nec pauciora precabantur pro regibus adhuc gentilibus & Deorum falsorum cultui deditis, ut ex Tertulliano jam vidimus in Apologetico. *Denique*, inquit, *sine monitore precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus. Vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum.* Non potuere plura bona vovere & optare Christiano alicui regi & piissimo optimoque, quam tunc pessimis, idololatris & tyrannico more imperantibus à Deo poscebant. Ambrosius in commentario ad Epistolam Timothei 1. cap. 11. *Hæc regula Ecclesiastica est tradita à magistro gentium, quæ utuntur sacerdotes nostri, ut*

pro omnibus supplicent, deprecantes pro regibus hujus sæculi, ut subjectas habeant gentes, ut in pace positi, in tranquillitate mentis & quiete, Deo nostro servire possimus. Vocat *regulam Ecclesiasticam à magistro gentium*, id est, Apostolo Paulo *traditam*, qua tunc utebantur sacerdotes, ut pro regibus Deo supplicationes facerent, & addit rationem, *Vt sopitis omnibus quæ imperio infesta & inimica sunt, in affectu pietatis & castitatis Deo servire possimus. Perturbatio enim & captivitas, nec pietatem servat nec castitatem. Vnde enim pius qui nudus est? Et unde castus qui suæ potestatis non est?* Certe regno turbato populi seditionibus, aut procerum contra regem factionibus, nihil horum potest haberi bonorum propter quæ obtinenda Christiani veteres pro salute regum non Christianorum preces suas Deo allegabant. Cyrillus, qui sub Constantio vixit, in Catechesi v. Παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας, ὑπὲρ βασιλέων, ὑπὲρ στρατιωτῶν καὶ συμμάχων. *Deum precamur pro communi Ecclesiarum pace, pro orbis quiete, pro regibus, pro militibus Romanis & sociis.* Qui tunc regnabat Imperator, non Orthodoxus fuit, sed Arrianæ perfidiæ fautor, pro quo nihilominus preces à sacerdotibus in Ecclesia Catholica post peractum sacrificium spiritale fiebant. Hoc etiam liquet ex litteris Ariminensis Synodi ad Constantium missis, nempe patres Orthodoxos etiam pro hæretico Imperatore preces tunc fecisse. *Dimitte nos*, inquiunt, *ad suos quemque greges, ut precibus & Deo sancte colendo, tranquillis animis vacemus, oremusque sedulo pro tua salute, imperio, & pace quam Deus nobis sempiternam largiatur.* Extant hodie Liturgiæ Copticæ, hoc est, Ægyptiacæ, sub nominibus Basilii, Gregorii & Cyrilli ex Ægyptia-

gyptiaco sermone antiquo in Latinum conversæ, quibus hodieque utuntur Ægyptii Christiani, qui priscum illum & Ecclesiasticum morem adhuc servant precandi pro Imperatore Turcico cui subjecti sunt. In ea quæ Basilii nomen præfert, ita scriptum est: *Pacem nostris concede temporibus. Reges, Proceres, Pro-reges, Populos, & servos nostros ingredientes & egredientes à nobis orna omni pace. O Rex pacis, si pacem nobis dederis, omnia dederis.* In ea vero quæ Cyrilli titulo insignitur, ita Diaconus populum alloquitur: *Rogate ut Christus Deus noster concedat nobis misericordiam & clementiam coram regibus & imperatoribus, & flectantur corda eorum erga nos.* Tum sacerdos ita precatur. *Conserva eum in pace, & justitia & Imperio*, Regem nempe, *ut subjiciantur illi omnes Barbaræ gentes quæ bellum volunt inferre arcibus & ærariis nostris. Loquere ad cor ejus pro pace unius tuæ dilectæ sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, ut cogitet pacem nobis & nomini sancto tuo, ut vivamus vitam securam & placidam.* Plura de his non est opus afferre, cum vel ex istis quæ attulimus satis liquido probatum sit, unum hunc omnium Christi Ecclesiarum Græcarum, Ægyptiarum & Latinarum consensum fuisse, in precibus publice in Ecclesia, dum sacra Synaxis celebrabatur, pro salute & prolixa vita regum pro tempore imperantium fundendis. Ex Athenagora constat etiam solemne fuisse in ejusmodi precibus, ut adderetur votum de filii successione. Nam tunc orabat sacerdos, ut Commodus patri in imperio succederet. Novi Christiani, qui & se *Sanctos* dicunt, totam posterorum successionem uno elogio cum ipso rege delendam decernunt, quam dissimiles moribus ac vita? Hæ preces luce clarius ostendunt, regulæ, quæ super

hoc ab Apoſtolis Eccleſiæ tradita fuit, obſervantiſſimos fuiſſe omnium temporum & locorum Chriſtianos. Non eorundem certe eſt hominum pro ſalute regis orare, & eum velle perdere: Vitam illi prolixam optare, & vita illum privare: Pro imperii ejus quiete & pace Deo ſupplicare, & omnia bellis inteſtinis in regno turbare: Exercitus fortes ei à divino numine petere, & exercitum ad eum exterminandum conſcribere: Populum probum & obedientem regi per preces poſtulare, & populum in eum concitare & armare: Senatum fidelem eidem votis poſcere, ut fecere primi Chriſtiani etiam imperatoribus paganis, & ſi qui in Senatu fuere erga regem Chriſtianum & pium fideles, eos Senatu movere, incarcerare, perdere, ipſumque poſt omnia regem capitis damnare, & ſupplicio infami plectere. Hoc fecere Angli, & quidem Chriſti fidem ac nomen ementiti, falſo *puritatis & ſanctitatis* cognomine diſſimulati, cum nihil ſimile unquam fecerint gentes ullæ ex omni barbaria immaniſſimæ. Enimvero quicunque Chriſtiani olim publicas in Eccleſia preces ac ſupplicationes admiſerunt pro regibus ſuis, qualeſcunque forent, pii an impii, juſti an tyranni, faciendas, quam longiſſime abfuerunt à bello ei inferendo, pro cujus imperii pace & tranquillitate Deum orabant? Hypocritarum hoc fuiſſet, bona illi optare precibus Eccleſiæ totius nomine fundendis, & omnia mala eidem reapſe extra Eccleſiam procurare pro quo in templo precati eſſent. An aliquando pro rege ſuo oraverint Anglicanæ conſpirationis latrones neſcio, ſed illud conſtat, fidem ſuam de ejus autoritate & majeſtate conſervanda ſolemni conventione non ſemel interpoſuiſſe, quam nefario ac ſacrilego auſu

su atque insigni perjurio postea misere fregerunt. An hi pro Christianis habendi sint, & an sint hoc nomine vocandi, viderint qui nomina vera rebus sciunt ponere. Pergamus ex Patribus planum facere quam alieni fuerint primitivæ Ecclesiæ Christiani ab omni in regem aut imperatorem quemcunque, bonum an malum, justum an tyrannum, pium an idololatram, clementem an persequutorem, factione, conspiratione, seditione. Tertullianus in libro ad Scapulam dicit, *Amicos diligere omnium esse, inimicos autem solorum Christianorum.* Qui inimicos suos diligere jubebantur, quique etiam eos re ipsa diligebant, quomodo reges suos pro inimicis habere potuissent, aut tanquam eorum inimici arma contra eos capere, bellum iis inferre, aut eos, si possent, trucidare? De regibus id etiam explicat paulo post, quomodo eos, quales quales, diligerent. *Christianus*, inquit, *nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & reveveatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano imperio quousque sæculum stabit.* Deinde subjicit continuo, *Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequutum, solo tamen Deo minorem.* Testatur ibidem neminem Christianum in partibus fuisse quæ contra imperatorem steterint. Gentiles tunc Christianos pro sacrilegis infamabant, quamvis in furto nunquam deprehensi forent, nedum in sacrilegio. *Sic &*, inquit, *circa majestatem Imperatoris infamamur. Tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* Idem in Apologetico, ubi latius hunc locum exequitur, conspirationibus quæ per illa tempora in Cæsares struebantur Christianos

nunquam immixtos fuisse gloriatur. *Unde*, inquit, *Cassii & Nigri & Albini? Unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? Unde qui faucibus ejus exprimendis palæstricam exercent? Unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Sigeris atque Partheniis audaciores? De Romanis, ni fallor, id est de non Christianis.* Varias hic tangit conspirationes quæ in plurium imperatorum necem à Marco Antonino usque ad Severum, qui tunc regnabat, comparatæ fuere, quarum nullus Christianus particeps & socius fuit, cum tamen inter Palatina officia plerique jam tunc militarent Christi religionem professi. Sed hic occurret aliquis de caterva latrocinii Anglicani, ideo bellum in Cæsares non movisse Christianos qui eo tempore vixere, nec conjurasse in illorum necem, nec rebellasse, quia non possent potius quam nollent, pauci contra tot numero, & infirmi adversus adeo potentes. Hæc enim scelesta est hujus nefandæ sectæ disciplina, jus esse populis, quandocunque id possunt, se in libertatem vindicandi, & reges à quibus gubernantur amovendi, sive clemens sit ac justum eorum imperium, sive asperum & tyrannicum. Sane justius hanc licentiam sibi sumere potuissent illorum sæculorum Christiani, quia non Christianos Imperatores deturbassent, sed prophanos, sed idolorum cultores, nec idololatriæ tantum addictos, sed etiam veræ religionis inimicos, nec inimicos tantum, sed etiam persequutores, flamma & ferro in eos sævientes, bestiis laniandos tradentes, mille etiam injuriis & contumeliis in ejusdem fidei confecraneos grassantes. Cæterum cum talia paterentur ac tanta sub crudelissimis tyrannis, cum nec pati ea si voluissent possent, quia satis multi erant tunc & satis validi ad se liberandos, perpe-

tiendæ

tiendæ tamen quam faciendæ injuriæ se promptiores esse semper ostenderunt. Non aliam ob causam quam quia Christiani essent, & quatenus Christiani, quia tale præceptum ab ipso Christo & ejus Apostolis acceperant, quia denique non aliter religioni suæ satisfacere se posse credebant. Objectioni itaque sicariorum Anglicanorum, qua perhibent idcirco noluisse rebellare aut conjurare in principes suos qui tum Christiani erant, quia non poterant, ipse Tertullianus pro nobis respondeat in eodem Apologetico, *Cur bello*, inquit, *nos idonei non fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere?* Numero etiam Christianos plus valuisse ibi ostendit, si hostes se Romani nominis declarare, & nomen suum inter conjuratos ac rebelles profiteri voluissent: *Si enim & hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantæcunque, unius tamen loci & suorum finium, gentes, quam totus orbis? Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa.* Docet etiam ibidem, si fraude sibi agendum esse credidissent, nec ab arte clandestina defuisse sui ulciscendi copiam. *Vel una nox*, inquit, *pauculis faculis largiter ultionem posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret. Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina secta, aut doleat pati in quo probatur.* Addit, & alia via Christianos potuisse tunc persequutiones regnantium devitare, nec tamen rebellionis crimen incurrere, secedendo nimirum, & in alias terras

fugiendo', ubi liberi esse possent à Romanorum principum dominatione ac tyrannide. *Potuimus & inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot taliumcunque amissio civium, immo etiam & ipsa destitutione punisset.* Ex iis quæ ibidem subjicit etiam liquido constat, plures vel eo tempore fuisse Christianos. *Procul dubio*, ait, *expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quendam quasi mortui orbis. Quæsissetis quibus imperaretis. Plures hostes quam cives vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum, pæne omnium civium, pæne omnes cives Christianos habendo.* Egregius hic magni & vere Christiani autoris locus, quo probatur cum tanta Christianorum multitudo tunc esset in imperio Romano, solos eos cives potuisse ac debuisse merito nominari, qui nunquam hostes Romanorum regum fieri possent. Vnde hoc? quia disciplina suæ religionis eos à rebellione & hostili adversus imperatores animo arcebat. Plures sane tunc in orbe fuere Christiani, & tamen, quod est summopere admirandum, nullus ex tot Christianis repertus est, qui unquam de nece imperatoris sui cogitarit, qui cum id agitantibus consilia vel manus consociarit, qui vel conscius ullius conjurationis in eum faciendæ extiterit. Decio imperante adhuc major fuit Christianorum multitudo, & tamen Cyprianus in libello ad Demetrianum, sic loquitur: *Inde est quod nemo nostrum quando apprehenditur, reluctatur, nec se adversus invisam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus sit populus noster ulciscitur.* Si tantus

Se-

Severo ac Decio imperantibus Christianorum numerus fuit, quantum putamus fuisse sub Iuliano Apostata, postquam jam duo principes Christiani habenas imperii satis longo tempore proxime tenuissent? Sub Iuliano tamen cum unus ille magis quam ethnici omnes qui unquam retro regnassent imperatores, diris sime Christianos vexasset, nemo inventus est, qui obsequium illi denegarit, aut autor fuerit in eum rebellionis. Gregorius Nazianzenus in prima contra illum Apostatam Philippica, quam στηλίδα inscripsit, solis lacrimis ait illius ævi Christianos se adversus tyrannidem & oppressionem persequutoris Iuliani defendisse, cum nihil scilicet haberent aliud quod juste ei possent opponere. Decreverat ille omni genere libertatis Christi nomen & fidem professos prohibere, & ab omni conventu publico arcere, foro, senatu, mercatu, consilio, schola interdicere. Ταῦτα, inquit, ἐκεῖνος δηλονοτὶ τὸ μὲν, ὡς οἱ τῶν ἀπορρήτων ἐκείνῳ κοινωνοὶ καὶ μάρτυρες, ἐπιχέοντι δὲ θεῷ φιλανθρωπία καὶ τοῖς Χριστιανῶν δάκρυσιν, ἃ πολλαὶ δὴ καὶ παρὰ πολλῶν ἐκχύντων καὶ διώκτου φάρμακον. *Hæc ille agitabat, ut testantur secretorum ejus participes, sed Christi misericordia, & Christianorum lacrimis quæ affatim & à multis profusæ sunt, unicum hoc adversus persequutorem habentibus remedium, prohibitus fertur.* Quibus paria sunt & ista Ambrosii, ex Oratione in Auxentium de tradendis Basilicis: *Coactus repugnare non novi, dolere potero, flere potero, potero gemere. Adversus arma, milites Gothos quoque, lacrimæ meæ arma sunt. Talia enim sunt munimenta sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere.* Non dicit tantum se non posse resistere, sed nec debere, etiam si posset. Idem in eadem Oratione: *Convenior ipse à Comitibus ac Tribunis ut Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus sim-*

peratorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus sint omnia. Respondi si à me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, jus ejusmodi meum, me non refragaturum. Et paulo post: *Si patrimonium petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo.* Idem Epist. XXXII. *Quis est qui potest vel unus vel inter paucos dicere Imperatori, lex tua mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere sacerdotibus, permittetur laïcis?* Notatu digna plane sunt de Iuliano infideli fidelibus crudeliter imperante, & Christianis tali tyranno fideliter parentibus, Augustini verba, cujus testimonio semper utor libenter, Enarratione in Psalmum CXXIV. *Aliquando potestates bonæ sunt & timent Deum, aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit infidelis, iniquus, idololatra? Milites Christiani servierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cælo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, proponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant.* In prima Nazianzeni Steliteutica, milites quos thura diis dare coëgerat, & qui quasi aliud agentes id fecerant, mox pœnitentia ducti & peccatum suum agnoscentes ab eo petunt pro beneficio ut jugulentur, tantum abest ut in regem suum & imperatorem insurgant, aut ejus jugulum petant. Δὸς χάριν, inquiebant, τοῖς σοῖς στρατιώταις, Χριστῷ σφαγίασον ἡμᾶς. *Fac hanc gratiam tuis militibus, Christo nos immola.* Idem antea fecerant sub Imperatore non Christiano, Maximiano, milites Christiani quando integra una legio, Thebæa nomine ad supplicium se potius duci passa est &

im-

immolari seipsam totam malint quam Diis quibus jubebatur immolare. *Tenemus*, inquiebant, *ecce arma, & non resistemus quia mori magis quam vincere malumus, & innocentes interire quam noxii vivere præoptamus.* Augustinus autem loco jam citato, doctrinæ usum pariter & doctrinam de obsequio regibus omni fidelitate, qualescunque sint, præbendo, ut Christiani eam tunc observabant, diserte & signanter expressit. *Quod*, inquit, *dixi de domino & servo, hoc intelligite de potestatibus & regibus & de omnibus culminibus hujus sæculi.* Quid autem ille dixerat de domino & servo? Exempli gratia, ut ostenderet qualis honor debeatur ordinatæ à Deo potestati, id est regiæ, unam rem se dicere ait, & ex ea conjici velle gradus omnium potestatum. *Prima*, inquit, *& quotidiana potestas hominis in hominem, domini est in servum. Prope omnes domus habent hujusmodi potestatem. Et quid dicit Apostolus, docens, servos dominis suis subditos esse? Servi obedite dominis vestris secundum carnem, quia est dominus secundum spiritum. Ille est dominus verus & æternus, isti autem temporales secundum tempus. Tu cum ambulas in via, cum venis in hac urbe, non vult te facere superbum Christus. Contigit tibi ut Christianus efficereris, non ideo Christianus factus es, ut dedigneris servire, cum enim Christo jubente servis homini, non illi servis, sed illi qui jussit.* Servi quorum tunc usus fuit, homines fuere bello capti & venditi pretio ad servitutem iis, qui illos ære suo emerant, serviendam. Cum dominos superbos & crudeles nacti erant, cum ipsi facti Christiani infidelibus dominis serviebant, nonne jus habuerunt quotiescunque id facere poterant, fugiendi & se in libertatem vindicandi? Ita quidem hoc eis suasissent, si tum vivere illis contigisset, Anglicanæ rebellionis parricidæ.

ricidæ. Nonne enim hoc justius & rationi magis consentaneum videretur, quam quod ipsi fecerunt, dum regi suo & Christiano, Christiani quoque ipsi, nefarie vitam ademerunt? Nonne ita Paulus spiritu Christi plenus, & voluntatis ejus optimus interpres, servis sui temporis præcepit, ut se fuga liberarent, aut domini cæde facta servi esse desinerent. Quid igitur ille? *Obedite dominis vestris secundum carnem cum timore, & tremore, & in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed quasi servi Christi, facientes bonam voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate.* Quid ad hæc Augustinus tam bonus Apostoli enarrator & interpres, quam Apostolus Christi fuit? *Ecce*, inquit, *non fecit de servis liberos, sed de malis servis bonos servos. O quantum debent divites Christo qui illis componit domum, ut si fuit ibi servus infidelis, convertat eum Christus, & non ei dicat, dimitte dominum tuum, jam cognovisti eum qui verus est Dominus, ille forte impius est & iniquus, tu autem fidelis & justus, indignum est ut justus & fidelis servus serviat iniquo & infideli, non hoc ei dixit, sed magis serviat.* Si homo in bello ab hoste captus & venditus, domino suo qui eum emit, quamvis infideli, quamvis iniquo & tyrannice imperanti, servire fideliter ex Christi præcepto jubetur, nec causam ullam habet justam domini deserendi, aut occidendi, ut libertatem recuperet, quanto minus populis regi alicui subjectis liceat regem suum interimere, ut ipsi loco ejus regnent? *Quod dixi*, ait Augustinus, *de domino & servo, hoc intelligite de potestatibus, & regibus, & de omnibus culminibus hujus sæculi.* Nam ut idem docet ibidem, *Modo quidem justi aliquando laborant, & modo aliquando injusti dominantur justis. Quibus modis? Aliquando injusti perveniunt*

ad

ad honores ſæculi, cum pervenerint, & facti fuerint vel judices vel reges, quia hoc facit Deus propter diſciplinam plebis ſuæ, propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri niſi exhibeatur illis honor debitus poteſtati. Ordinavit enim Deus ſic Eccleſiam ſuam, ut omnis poteſtas ordinata in ſæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus. Ergo, ut ex his tanti & tam ſancti doctoris verbis colligimus, hoc ex Dei ordinatione deſcendit, ut aliquando meliores pareant deterioribus, injuſtis juſti ſubditi ſint, fideles infidelibus ſerviant, Chriſtiani Ethnicis, aut Muhamedanis, aut tyrannis cervices ſubmittant. Quoniam hæc Deus ita ordinavit, & Eccleſiæ ſuæ hanc regulam per diſcipulos ſuos tradidit, propter diſciplinam populi ſui, non magis iſti populo licet poteſtatem à Deo in ſe ordinatam repellere qualiſcumque illa ſit, quam ſervo dominum repudiare ac rejicere quem ſors illi dederit, quamvis injuſtum aſſignarit & iniquum & aſpere imperantem. Hanc diſciplinam exacte ſervarunt Chriſtiani quamdiu vere Chriſtiani fuerunt, id eſt quamdiu mandatorum Chriſti per Apoſtolos Eccleſiæ ſuæ traditorum memoriam retinuerunt. Vbi paulatim cœpit evaneſcere, & quaſi decoqui, eo modo quo res omnes ſenſim dilabuntur, non ſolum in hoc præcepto, ſed etiam in aliis multis retro ferri viſa eſt, non tantum remitti & laxari, diſciplina Chriſtiana. Vt enim aquæ quo longius à fonte ſuo & capite recedunt, in rivos plures diductæ, puritatem ſuam amittunt, atque in lacunas tandem degenerant luto multo inquinatas & ſordibus: ita doctrinæ Evangelicæ ſinceritas per multas impuras traditiones quæ ſubinde in eam introductæ ſunt, pedetentim temerata, ad extremam tandem delapſa

delapsa est fœditatis & turpitudinis corruptelam, quanto longius nimium à fontibus suis & origine ex qua primitus hausta fuit, temporum lapsu submota evanuit. Per gradus igitur & numeros, non statim nec uno saltu in hanc quam nunc videmus depravationem disciplina de præstanda regibus obedientia ac fidelitate, præcipitata est. Tam doctrina ipsa, quam doctrinæ tenor & usus, per aliquot secula inviolatus mansit, non ullo facto læsus, neque privatæ, neque publicæ vel popularis factionis. Vsque ad Augustinum & infra ejus ætatem nulla cujusquam privati extat in historiis mentio qui regi suo manus cruentas attulerit, vel qui armis contra eum pugnarit. Nulla Christianorum plurium in unum consociatorum conjurata factio, ne in principes quidem paganos hoc ausa est. Nullus de proceribus regni conscientiam suam polluit scelere simili. Cur hoc? Quia doctrinæ vis Apostolicæ & Euangelicæ quasi recens adhuc animis hominum inhærebat, sicut à principio insederat, per manus ad sequentia tempora constanti successione tradita, & subinde per bonos Ecclesiæ Doctores ac Pastores populis insinuata. Quandiu nulli adulteri inter Christianos noscitabantur, nulli fures, nulli sacrilegi, nulli latrones, nulli homicidæ audiebantur, parricidas regum nemo etiam inter illos vidit. Prius ad alia vitia prolapsi sunt, quam ad hoc omnium delictorum atrocissimum gradus factus sit, quo respublica perturbatur, populi vexantur, summa imis vertuntur. Hoc ipsum est quo reges à subjectis trucidantur. Pœnitentiæ Ecclesiasticæ pro variis criminibus agendæ certa tempora canonibus Conciliorum definita legimus. Habuit homicida tempus suum quo Exomologesim in Ecclesia publice

blice faceret, habuit adulter, habuit fur. Multa alia crimina quotidianæ tum incurſionis & populo nota, cenſuram ab Eccleſiæ liminibus noxios excludentem experta ſunt: ſed nullam olim accepimus indictam pœnitentiam iis qui regem interemiſſent, quive conjurationis ad eum ſolio excutiendum participes & ſocii fuiſſent. Quare? Quia tunc corvo albo & cygno nigro rarior res fuit, ſontem hujus criminis videre aliquem Chriſtianum, qui poteſtatem à Deo ordinatam auſus eſſet violare. Vt alias morum labes, ita & hanc quoque ultima ſæcula ſenſerunt. Olim nec Ethnicos quidem & idololatras, ne perſequutores quidem ſuos Chriſtiani, vel facto, vel dicto, lædere præſumebant. Immo vel quamlibet peſſimis quæcunque bona bono regi optari poterant, bona fide ac ſincere optabant, quia id Deo eſſe gratum, quia etiam ſic ab eo mandatum noverant. Vltimorum temporum Chriſtiani quantum mutati à prioribus? Quaſi aliam legem haberent, aliam regulam ſequerentur, vel alium Deum colerent, etiam Chriſtianos principes & ſuos ſibique legitimos de medio tollere ſuſtinuerunt. Noſtra vero ætas ad ſummum culmen violati de regibus divini præcepti, ut tam inauditi quam incredibilis facinoris exemplum poſteris proderet, aſcendere non dubitavit. Non contenta quippe, ſicut antea factum pluries fuerat, regem tralatitia cæde tranſigere, infamiam etiam ſupplicii adjecit. Antea ejuſmodi tantum reges qui aut tyrannidem arripuerant, aut qui tyrannice imperare videbantur, mos, & ille quidem pernicioſus, ac legi divinæ contrarius, occidebat. Iſti vel bonum piumque & hæreditario jure regnum obtinentem capitis damnarunt, ut nimirum juſtitiam

ipſam

ipſam, cujus velamentum tam impio ſceleri prætenderunt, etiam injuſtam facerent. Tanto nocentiores quod innocentiam ex legis abolitione affectarunt, cum eo ipſo duplicis ſceleris reatum videantur incurriſſe. Nam qui contra legem facit, illicitæ rei reus eſt, ſed ſimpliciter peccare intelligitur. Qui autem ipſam legis abrogationem aggreditur, infinito plus noxius deprehenditur, quam ille qui quod lex vetat, admittit. Quippe cum ille de ſcelere ſuo erubeſcat, iſte de eo ſoleat gloriari. Ille ſoli ſibi peccat qui quod lege interdictum eſt facit, iſte qui legem ipſam tollit, de vetito licitum facit, & alios ad peccandum provocat, non ſolum impunitate propoſita, ſed etiam præmio in medio poſito, & quaſi ob rectè factum debito. Sic in aliis quidem delictis infirmitate humani ingenii peccatur ab illis qui ſciunt & vident quod lege prohibetur, in iſto vero commiſſo quod majeſtatem regum ſpectat, qui regulam exceſſerunt, non putarunt ſe contravenire præcepto, ſed aliam ſibi regulam finxere, quæ ſtatuat reges impune poſſe ſolio dejici, vita extorres fieri, contumeliis affici, accuſari, condemnari, infami ſupplicio neci dari. Hac lege ſemel ſancita, Euangelicam illam & Apoſtolicam regulam neceſſe eſt aboleri, quæ contrarium tenuit: Nimirum reges eſſe honorandos, ipſis obſequium & obedientiam præſtandam, ferendos eſſe eos quoque qui mali ſunt, quia providentia Dei tales conſtituit non ſecus ac bonos. *Hippias*, dicit Tertullianus in Apologetico, *dum civitati inſidias diſponit, occiditur. Hoc pro ſuis omni atrocitate diſſipatis nemo unquam tentavit Chriſtianus.* Hodie Chriſtiani, etiam non læſi, nec ulla injuria violati, nec quemquam ſuorum querentes

ſul-

pulsatum, reges Christianos & suos, capitis damnatos, infamia ad mortem addita, trucidant. *Sed dicet*, ut subnectit idem ille Tertullianus, *etiam de nostris excedere quosdam à regula disciplinæ.* Statim ipse illi qui hoc dixerit respondet, *Desinunt tum Christiani haberi penes nos.* Cur non ergo & eos cessamus habere pro Christianis qui talia edunt facinora, quibus à regula disciplinæ quam Christus, quam Apostoli præscripserunt, exceditur? Si aliam habent regulam, ne sic quidem habendi à nobis sunt Christiani, cum magis Antichristianam videri necesse sit talem disciplinam, quæ illi ex adverso opposita est quam Christus instituit, & quam Ecclesiæ suæ per Apostolos tradidit. Regula illa Apostolica quæ regum etiam malorum honorem & obsequium tuetur, infracta primum est à malis Christianis qui nec Christiani dici merentur, ut magnus autor affirmat. Sic aliæ Christi leges multæ disciplina in pejus labente neglectæ sunt, ut illa quæ adulterium vetat, quæ furtum prohibet, quæ à falso testimonio dicendo avocat, quæ concupiscentiam reprimit, quæ parentes honorandos præcipit. Istæ omnes tamen leges ratæ manserunt, nec aliis earum loco introductis cessere, quamvis pleræque hodie parum observentur. Sola quæ regibus qualibuscunque, sive justis sive tyrannis, ut à Deo ordinatis, subjectum esse debere omnem Christianum sanxit, non solum corrupta, sed etiam in contrariam deformata regulam transiit. Quando hoc factum, aut unde vel quo modo? Ex quo nimirum, ut jam dictum, alia potestas regali major, & imperatoriam ipsam majestatem *Sanctitatis* titulo supergressa, agnosci cœpta est in orbe Christiano. Hanc Ecclesia Romana introduxit imperii Romani loco. Vbi urbem ac sedem imperatoris

ratoris occupavit Romanæ urbis Epiſcopus, ab eo tempore cœpit is velle ſupra regum & imperatorum capita ſeſe extollere, ſe vicarium eſſe Chriſti intendere, ſibi ſoli reges peccare, delinquentes proinde ſui eſſe officii multare, pro pœna hoc imponere ſe poſſe illis ſupplicii, ut regno exuantur, ut ſubjecti eorum ſacramento fidelitatis liberentur. Sceptra aliis adempta, aliis transſcribere. Novi orbis populos nondum occupatos ſui juris eſſe quibus velit adſcribere. Imperia denique omnia ad libitum ſuum conſtituere aut mutare. Vbi Deum ſe in terris fecit, tum & reges ſibi principeſque omnes ſuppoſuit, qui ſolo Deo inferiores juxta priorum ac puriorum Chriſtianorum opinionem ac diſciplinam cenſebantur. Quid igitur ex hac novæ Eccleſiæ Chriſtianitate conſequi aliud poterat, niſi veteris regulæ Eccleſiaſticæ quam Chriſtus per Apoſtolos fixerat, de pietate ſubjectorum erga reges, tanquam erga patriæ parentes, ſubverſio? Alia lex fuit, aliud jus, alia etiam Eccleſiæ diſciplina cum Imperatores novum Papam confirmare debebant, non aliter in ſede ſtabilem futurum niſi ab ipſis approbatum, cum concilia Epiſcoporum quando volebant, & quo, & ex quibus imperatores & reges convocabant, cum Papa ipſe ſubjacere conciliorum autoritati debebat, eorumque decretis teneri, cum denique nulla alia quam Epiſcopali poteſtate nitebatur. Poſtquam ergo imperatoria & regia majorem Majeſtatem ille adeptus eſt, non defuere doctores qui antiquam regulam quæ regum Majeſtati conſulebat, quæ eos tuebatur, curvam eſſe pronuntiarunt, & de alia pangenda cogitarunt, qua Sanctitas Papæ ſub titulo *ſervi ſervorum* ſupra omnium regum imperia eveherctur, & omnium domi-

dominantium domina agnoſceretur. Ab his doctoribus nova iſta prodiit doctrina cum antiqua & Apoſtolica oppoſitis pugnans frontibus, qua ſtatuerunt populos regem legitimum ſi degeneret, & tyrannice regere incipiat, pro jure ſuo judicare poſſe, & è ſolio vitaque depellere, faſque eſſe ſubditis in hoc caſu arma capere contra juſtum principem. Atqui, ut verba Tertulliani hic iterum inculcemus, *Nullus unquam Chriſtianus hoc tentavit.* Sic vetuſtatem novitas excluſit, quaſi novus aliquis Chriſtus cœlo nuper delapſus ad hoc venerit, ut quas leges antiquus Meſſias ſanxerat ipſe abrogaret, & per ſuos Apoſtolos novum Euangelium à priore diverſum gentibus adnuntiandum curaret. Eadem certe diſciplina eſt, quæ Papam vicarium Chriſti conſtituit, quæ ſupremum ei ſupra omnes à Deo ordinatas poteſtates imperium tribuit, quæ & licentiam illi dat alibi reges dejiciendi, alibi imponendi, quæ denique ſubditis licere vult bellum Principi ſuo inferre, ſi ſacramento fidelitatis prius ſoluti ſint à Papa, qui id ſolus nunc poſſe creditur, propter ſupereminentem poteſtatem quæ in Eccleſiam ipſi directe competit, in rempublicam indirecte. Ita quod jus olim regiæ proprium fuit majeſtatis, ad Papam illi Doctores tranſtulerunt; ipſeque adeo Papa ſibi hoc adrogavit, ut omnes judicet, à nemine judicetur, & ut *ſoli Deo de peccato teneatur reddere rationem*, ut Canoniſtæ docent. Exinde reges qui antea à nullo judicabantur, judicari jam poſſe judicatum eſt. A quo? A Papa. Ex quo nimirum Deus in terris Vicarium habere cœpit qui reges vice ſua judicaret, quorum olim Deus ſolus judex erat. Hæc mutatio diſciplinæ veteris, quæ regiæ dignitati peſtem per-

perniciemque invexit, tum primum introduci in Ecclesiam cœpta est, ut jam diximus, cum Romano Imperio de occidente sublato Roma suis Imperatoribus destituta, quodammodo cessit in potestatem proprii Episcopi. Hac occasione maximam & principalem autoritatem ex absentia domini sæcularis nactus, eam promovere in majus nunquam postea cessavit, donec ad fastigium in quo nunc est, evexit. Zacharias Pontifex primus Gallos juramento fidelitatis absolvere ausus est. Idem in Epistola ad eosdem consilium petentes de Chilperico abdicando, ea rescripsit quæ fanaticorum Angliæ Independentium falsæ doctrinæ prorsus velificantur. *Principem*, nempe, *populo cujus beneficio regnum possidet obnoxium esse. Quæcunque enim habet, potentiam, gloriam, divitias, dignitatem, à populo accipere, & plebi accepta referri necesse esse. Regem plebem constituere, eundem & destituere posse.* Ita dictum, ita etiam factum. Non poterat plebs jurejurando obstricta regi suo ad fidelitatem ei servandam id facere sponte sua, antequam vinculo illo juramenti soluta esset. Cuinam tanta potestas data est in terris, ut sacramenti tam sancti gratiam populo universo facere queat? Ecce tibi Episcopus Romanæ urbis qui pro sua sanctitate id sibi juris sumpsit. Successores vestigiis ejus insistentes, opus inchoatum non destiterunt sic expolire & perficere, ut non satis habuerint quod primus ille factitarat, exteris populis persuadere, ut suum regem abdicarent, ipsi quoque proprium dominum & imperatorem res suas sibi habere jusserunt, concitatis ad rebellionem Italiæ populis, & tributa illi pendere veritis. Carolum, cujus patrem Zacharias amoto Chilperico regem Gallis dederat, loco Leonis Isaurici in Occidente

dente Imperatorem constituit Leo tertius. Qui succeſſere in Papatu, in eadem doctrina promovenda ſucceſſores pariter extitere, donec ventum ad Gregorium ſeptimum, qui ludum jocumque eſſe quæ anteriores fecerant oſtendit, præut illa fuerunt quæ patravit ſimul & docuit. Is patentem lato dedit ore feneſtram ad regum exitium excidiumque regnorum, ſtabilita nefaria de illis cum viſum eſſet amovendis, & de his mutandis doctrina, quæ merito *Hildebrandina* ab autore & doctore ſuo appellata eſt. Dictata porro iſta Hildebrandi diligentes ac ſtrenuos habuere propugnatores ex hujuſmodi magiſtris plures, qui Pontificis Romani autoritatem ut quo jure qua injuria defenderent, ſe natos & factos crediderunt, multis etiamtum doctrinæ verioris aſſertoribus ſubinde reſtantibus ac renitentibus. Sed nullos acriores defenſores deteſtanda illa Gregorii ſeptimi ſecta ſortita eſt quam Ieſuitas. Hi autore & inſtitutore Lojola Hiſpano milite, qui lege Solduriorum Pontifici Romano ſe devoverat, in orbem miſſi dedocendis ſi qui Euangelici dogmatis puriora ſemina adhuc retinerent, peſtiferæ ſcientiæ virus per omnes orbis plagas ſparſerunt. Sed iſti quidem, utpote Pontifici addicti, non alio fini Hildebrandina ſcita de regibus Papæ ſubjiciendis aſſeruerunt, quam ut ne alios Europa reges aut principes habere poſſet quam Pontificios. Independentes autem Anglicani in eadem doctrina amplexanda aliud ſequuti ſunt. Eo conſilio ex hæreſeos ſuæ diſciplina talem imbiberunt ut haberent nullos. Vtri meliores? Immo utri pejores? Illi nullos reges volunt niſi Pontifici ſubjectos, & ad ejus nutum tollendos ſi nolint ei ſe ſubmittere, ac jugum recuſent ſubire. Iſti quia nullius imperio ſe ſubjici volunt, ideo omnes

omnino tollere ſatagunt, & qualecunque regale regimen linea alba ſignant, ſive Reformatorum ſit vel Pontificiorum, ſive juſtorum regum vel tyrannorum. Quantum hi ſimul & illi ab antiquis & veris Chriſtianis diverſi! Nam reges illi tulerunt non ſolum minus æquos & juſtos ſed etiam hæreticos, nec hæreticos tantum ſed etiam Ethnicos, nec Ethnicos tantum ſed etiam Neronem, immo vel Neronibus deteriores. Vt tandem hoc caput concludam, tam impio dogmati refellendo ſatis eſt dicere à principio non ſic fuiſſe. Deum in veteri teſtamento aliud ſuis præcepiſſe. Prophetas Dei nullius unquam in reges ſeditionis autores extitiſſe. Iudæorum magiſtros nihil unquam tale commiſiſſe. Chriſtum aliam legem ſanxiſſe. Apoſtolos ejus aliud gentes docuiſſe. Gentes ipſas ubi Chriſto nomen dederunt, nunquam tale quid tentaſſe. Omnes reges etiam paganos, etiam infideles, Scriptura teſte, Dei Vnctos dici. A Deo tam juſtos quam injuſtos eſſe conſtitutos. Ad ſummam, ſi vere Chriſtiani veteres illi fuerunt, qui talia de regibus ſenſerunt & ſervarunt, iſtos novos non eſſe: ſi iſti ſunt, illos non fuiſſe. Adeo non poteſt ſimul eſſe vera tam contrariæ utrorumque diſciplinæ & ſectæ eadem appellatio, cum res in tantum diverſa habeatur.

CAPVT V.

POſt explicatas Hebræorum & Chriſtianorum veterum rationes conſentientes de Regum jure, de honore iis debito, deque ſacroſancta eorum Majeſtate nulli ſubditorum violabili, nemini fortaſſe non ſatisfacere videatur lex divina Vetus & Nova in eandem diſciplinam conſpirans,

rans, ad regulam formandam, quam teneantur etiam hoc tempore obſervare omnes populi qui Chriſto nomen dederunt. Adeo ut qui eam transgreſſi fuerint, merito indigni hoc nomine cenſeri debeant. Superfluum itaque exiſtimare quis poſſet per reliquas gentes ire, & earum quoque ſententiam exquirere, quæ Regiam dominationem expertæ ſunt, quid ſuper iſta quæſtione ſenſerint, quid in uſu & conſuetudine obſervarint, quam reverenter ſuorum Regum perſonas habuerint. Sed præcipue num aliquæ ex illis quæ Chriſtum ignorarunt nationibus, tam peſtiferæ & pernicioſæ doctrinæ adhæſerint, quæ hodie mentibus inhæret quorundam partim ſciolorum, partim fanaticorum Chriſtianorum, quos unus idemque perditionis & rebellionis ſpiritus exagitat, uti malitiæ genere differentes, ita ad unum tendentes propoſitum, quamvis via diverſa. Horum quippe duo genera Ἀνυπεύθυνον eſſe diximus, qui docent Regem non ſolum precarium à ſubditis ſuis imperium poſſidere, ſed etiam animam tenere fiduciariam, & ab illorum nutu dependentem. Vnum genus horum, Papæ ſupremum in Reges populoſque imperium tribuit, qui cum velit poſſit ipſos populos ad arma concitare in Regem ſuum, eoſque fidelitatis quam ei dixerunt, ſacramento abſolvere, & ſic principem ſubjectis mactandum exponere. Alterum, qui Papæ medium digitum oſtendunt, nec ejus auctoritatem deſiderant ad Reges ſuos tam vita quam regno privandos, ſed in populo ipſo reſidere aſſerunt ſupremam poteſtatem, qui dare eam datamque revocare pro arbitratu poſſit, quotieſcunque & quibus velit cunque. Non enim Reges alio loco ipſis ſunt, quam ſervi & miniſtri populi. Illi priores nullos admittunt Reges niſi Pontificios &

Pontifici colla ſubmittere paratos. Si qui ſint qui jugum hoc ſubire detrectant, à Pontifice ipſo jure ſuo poſſe vel regno exui, vel necandos cuilibet tradi. Iſti vero omnes omni modo reges recuſant. Non Reformati meliore conditione apud eos & ſorte ſunt, quam Pontificii. Vno diſcrimine cunctos habent, ut nimirum habendi non ſint. Si verum quæritur, longè iſti deteriores prioribus putandi ſunt, quia illi ſolos eos amovere ſtudent, quos ſua opinione malos eſſe credunt, iſti malos & bonos ſimul amoliuntur. Non tamen hi minus quam illi præceptis divinis adverſantur, cum Scriptura ſacra etiam malos principes & religioni populi contrarios tolerandos eſſe præcipiat, quos Ieſuitæ non ferunt. Eadem autem Scriptura regium regimen probat ac recipit, quod Independentes non admittunt. Nihil ergo egerimus ſi proponamus illis exempla gentium quæ Chriſtum neſcierunt, aut eum reſpuerunt ſibi adnuntiatum, vel earum quæ verum Deum non cognoverunt antequam Chriſtus venerit. Quos lex Iudæis per Moſen data non movet quæ pro regibus facit, nec illa quam Chriſtus per Apoſtolos tradidit quæ reges honorandos præſcribit, cum utraque tam malos quam bonos reges à Deo eſſe conſtitutos doceat, fruſtra laborabimus ſi ab iis contendamus ut reſpectum ullum habeant illarum gentium quæ notitiam Dei veri nullam habuere, nec Chriſti. Hoc tamen nobis enitendum eſt, ut ad hujus cauſæ firmamentum, non invalidum, nec inutile eſſe æquioribus perſuadeamus, id quod ex paganarum gentium more, uſu, & legibus ducitur, argumentum. Si enim probaverimus lumine eos ſolo naturæ donatos id vidiſſe, quod Iudæi per Dei prophetas edocti, quod Chriſtiani per Apoſtolos Meſſiæ inſtructi

ſtructi tenuerunt, quid hac conſenſione unanimi tot populorum fortius aut validius videri poſſit neſcio. Ex jure certè quodammodo naturali eam doctrinam fluxiſſe dici debet quam heic adſtruimus. Præterea vel ad fanaticorum rationes ſubvertendas hoc totum unicè valebit, qui cum viderent ſibi objici ſolere, nullam proferri poſſe ſcriptam legem quæ Regem accuſari & capitis damnari permittat, eo confugerunt ut dicerent, ubi lex ſcripta non eſt, ad naturalem eſſe recurrendum. Hoc ipſum eſt quo confutari validiſſime nunc poſſe videntur, ſi legem illam naturalem ad quam nos vocant, maxime ipſos habere contrariam oſtendamus. Quod omnes ferme gentes ſolo naturæ inſtinctu didicerunt, quod aliæ Deo ipſo tradente per miniſtros ejus acceperunt, id non poteſt aliter haberi, quam ut communi humani generis naturæ conveniens & conſentaneum. Sane lex ipſa naturæ, quæ ratio eſt omnium hominum mentibus inſita, quum bonum reſpiciat univerſorum populorum, quatenus homines ſunt ſocietate inter ſe gaudentes, non poteſt bonum illud commune procurare, niſi etiam, ut ſunt quos regi neceſſe eſt, diſponat quoque qui regere debeant. Certum quippe eſt & unicuique manifeſtum, multitudinem congregatorum in unum corpus hominum non poſſe ſemet ipſam gubernare & moderari, quia ubi multi ſunt, non deſunt qui non bene cum aliis conveniant, ex morum differentia, & ex earumdem rerum quæ ſingulis commodæ ſunt aut neceſſariæ appetentia. Vnde pugnas & rixas inter eadem cupientes, aut non idem ſequentes, conſequi neceſſe eſt. Quæ ut componantur, ex ipſo numero plurium qui in unum convenere, quoſdam deligi

oportuit, qui aut ſapientia aut fortitudine præſtent cæteris, atque ita vel vi, vel perſuadendo, in officio contineant male morigeros. Sæpe unus id præſtare poteſt cujus excellens ſit virtus & prudentia. Interdum plures, qui mutuis conſiliis id faciant, deligi ſolent, aliquando pauciores, duo vel tres. Vnde nomina *Duumvirûm* & *Triumvirûm* in minutis Rebuſpublicis, atque etiam majoribus. Cæterum ſi unus ſit qui præſit publicæ rei, cum unus omnia providere & adminiſtrare non poſſit, neceſſe eſt ut conſilia cum pluribus participet, & in ſocietatem regiminis alios admittat per quos judicia exerceat, & quæ ad bellum pacemque pertinent, gerat. Sin autem penes populum ſit ſuprema poteſtas & publica procuratio, quia tot capita quæ populum componunt, non idonea ſunt ad regendum, propter turbæ regi ac regere ex æquo neſciæ confuſionem, ipſa ſemet impediente multitudine, neceſſario oportet, ut paucioribus ſuo nomine committat gubernationis ſummam. Ita ſive ad unum revocetur, ſingulare ut ſit, imperium, ſive ad univerſum redeat populum, quia nec omnes ſimul rem gubernare poſſunt publicam, nec unus omnia gerere quæ talis adminiſtratio requirit, ideo revera penes plures ſemper regimen conſiſtere dicendum. Nullus quippe umquam rex fuit quin Senatum, id eſt ſeniorum ex populo conſeſſum, quorum conſiliis adjuvaretur, in partem curarum adſciverit. Sed nec ulla civitas extitit, quin ejus populus qui ſummum habuit imperium, ſui regendi poteſtatem commiſerit paucioribus, vel pluribus, ad hoc è ſuo corpore ſumptis vel electis. Ita in his tribus ſtatuum generibus, Regali, Optimatum & Populari, re ipſa penes plures adminiſtrationis hæret ſumma, non

penes

penes unum, nec penes universos. Nam Rex cum consiliariis suis, & per eos imperat. Populus per eos magistratus, quos civitati præfecerit. Optimatum vero Respublica est, cum certo numero virorum in populo eminentium, vel generis antiquitate, vel divitiarum merito, defertur imperium. Debere esse igitur qui regant cum sint qui regi debeant, natura humana ipsa dictavit, quia societas hominum non potest sine hoc consistere, neque homines ipsi sine societate. Ipsa autem regendi ratio, sive per plures, sive per pauciores, sive per unum, dispensetur, æquè naturalis est, cum ex naturæ ejusdem principiis descendat, quæ non patitur ita unius singularitatem gubernare, ut non plures socios imperandi habeat, neque universitatem populi sic semetipsam moderari, quin ad pauciores vel ad unum eam sollicitudinem velit pertinere. Sed si bene calculum ponimus, dum quæritur quænam ex his tribus administrandi rationibus magis naturalis censenda videatur, eam quæ per unum præcipue exercetur, talem esse omnia monstrant, immo vel ipsa natura. Ad unius Dei exemplar hæc forma expressa est, qui omnia ut solus condidit, ita & regit. Pater in familia, nonne id est quod Rex in civitate qui & *pater populi* merito dictus est? Primi Reges fuere patres numerosæ familiæ ex se propagatæ. Et cum homo sit animal societatis ac congregationis amans, & ad eam à natura factum, ut in familia unus debet imperium habere, is nempe qui pater est, ita & in corpore ac cœtu plurium hominum, unius esse oportet imperium qui parentis locum obtinet. Animalia ipsa quæ eandem habent cum homine naturam societate & congregatione gaudentem, ut pecora & aves quæ gregatim incedunt, volitant,

paſcuntur & ſtabulantur, plerumque ab uno duce & rege diriguntur. Apes regem habent. Coturnices ſub Ortygometra duce trans mare abeunt & inde ad nos redeunt. Taurus eſt unus quem tota ſequuntur armenta. Dux gregis caper eſt. Arietes ſinguli ovium gregem ducunt. Inter aves cohortales gallus gallinaceus qui reliquis fortior eſt ac pugnacior, tam maribus quam fœminis imperitat, eaſque congregat, & congregatis præeſt. Cum lex igitur & ratio naturalis quæ omnibus hominibus ingenerata eſt, ad utilitatem reipublicæ, id eſt ſocietatis ex plurimis hominibus conſtantis, regimen proſpexerit vel unius qui pro pluribus vel plurium qui pro uno regant, eadem utilitatis & incolumitatis omnium ratio poſtulat, ut is qui ſemel ad gubernandum conſtitutus eſt etiam conſervetur, quo omnes ſub eo manere poſſint incolumes. Nam quod ait Poëta de apibus, id de univerſo hominum genere qui à Regibus gubernantur, dici debet, *Rege incolumi mens omnibus una, Avulſo rupere fidem.* Nec enim poteſt Regis vel illorum qui civitati præſunt cum poteſtate regia, exitium procedere ſine certo Reipublicæ detrimento & perturbatione ſumma, præcipuè ſi ab his quorum bono datus eſt pernicies ei creabitur, quæ ſemper conjuncta eſt cum ipſius populi pernicie. Numquam enim talis exitus, quo vitæ Regis aut regentis vis infertur, ſolet evenire niſi cum ſeditionibus turbulentis, quæ populum dividunt & in factiones ſcindunt. Vt autem ex turbis ea violentia naſcitur, ita per turbas promovetur, & nihil niſi turbas poſt ſe trahit, ex quibus diſſipationem pro congregatione conſequi neceſſe eſt, & poſtremo interitum totius Reipublicæ, qui diſſipationem ſemper

per sequitur, ut salus & incolumitas congregationem. Tametsi autem detur malum esse eum qui gubernat, certum est tamen non tantum mali posse suæ civitati illum procurare male gubernando, quam quantum creatur cladium & calumitatum ex seditionibus & factionibus quæ ad eum gubernaculis decutiendum suscitantur. Nerones, Caligulæ, Domitiani, tres hi tyranni simul juncti, non tantum sanguinis in Imperio profuderunt, non tot familias subverterunt, non tot strages populorum ediderunt, quot unum bellum civile Syllæ & Marii, Cæsaris & Pompeii, qui dissensionibus suis totum orbem terrarum una quasi ruina pessumdederunt. Exemplo sint & arma in Regem Angliæ nuper à furiosis ac perditis civibus sumpta, quæ universam illam insulam, beatam sub regibus suis, & luxu copiisque omnibus diffluentem & florentem, ita hactenus seditionibus & discordiis intestinis deformarunt, ut numquam sub ullo rege, quamvis injustè imperante, tantum cruoris haustum sit, tot familiæ desolatæ, tot proceres extincti sint, tanta populi consternatio, ordinum omnium confusio, pecuniarum publicarum dissipatio, tam immanium tributorum exactio consequuta sit. Quæ omnia videmus sub his accidisse, qui specie libertatis diriſſimam servitutem populi cervicibus imposuerunt. Nec dum malorum finis est. Manet illos vindicta divina ob execrabile parricidium in persona Regis sui commissum, quæ nec poterit contingere, quin omnia iterum novis tumultibus quassentur, & ima summis mutentur, quæ sceleri eorum merito imputabuntur. Cum itaque salus populi suprema lex sit, & natura quæ vidit salvam esse non posse hominum in unum corpus congregatorum communitatem

sine regimine, ne ipsi quorum utilitati tale regimen provisum est, suis manibus illud evertant, & malum suo sibi jumento arcessant, hoc etiam ab humana mente videtur requirere, ut per eos potissimum quorum incolumitati reges dati sunt, defendantur & protegantur. Quamvis enim parum sæpè æqui sint & idonei, quia tamen mutatio etiam in melius non potest sine plurimis & maximis malis contingere, & quia si quid male agunt in paucos, id majoribus & in commune bonum redundantibus commodis sæpè pensatur, ideo ferendi sunt. Nam ut grando sæpe alibi segetes sternit, alibi vites contundit, alibi arbusculas evertit, raro tamen tam generalis est ut universum comitatus territorium infestet, ita & tyrannus interdum alterius uxorem violat, alterum injustè occidit, alteri per vim bona eripit, salvo nihilominus manente Reipublicæ statu, qui per vulgi seditiones totus funditus subvertitur. Præterea ut Pater naturalis, quamvis asperior sit & iniquior, atque etiam sævior, non potest sine scelere summo à natis tolli; ita eum qui vicem parentis publici gerit, licet molesta & injusta dominatione subjectos premat, sine parricidii crimine fas non est occidi. Quippe, ut pater non definit esse pater, quamvis in liberos jus Patriæ potestatis severius exerceat, sic Rex qui imperium in subditos durius exercet, non perdit appellationem *Patris patriæ*, ut ait Iustinianus. Hunc sensum ita gentibus natura impressit, ut nihil magis. Quod autem pluribus, aut ferme omnibus gentibus in usu & more positum est, id jus gentium constituit, immo etiam naturale, si tale jus ex principiis naturæ descendat, ut hoc ipsum inde originem trahere docuimus. Constat porrò, longè plures nationes, nunc & olim

olim & ſemper ab orbis uſque conditi primordiis, regium civitatis ſtatum probaſſe ac recepiſſe, quam aut optimatem, aut popularem. Quinimmò antiquiſſimam hanc fuiſſe regiminis formam, immò vel primam. Siquidem primum hominem liquet, etiam omnium ex ſe progenitorum primum regem fuiſſe, atque inde per totum Orientem patres familiarum, earundem etiam reges audiviſſe. Inde & φυλάρχοι Arabum. Inde etiam, ut diximus, Iſraëlitis per Moſen Deus præcepit, ut ſi quando regem ſibi conſtituerent, non alium ſumerent niſi qui de numero fratrum ſuorum eſſet. Sane & poſt mortem patrisfamilias, in Aſia major ex fratribus regnum, ſive familiæ regimen, accipiebat. Hinc nominati πατριάρχαι in Veteri Teſtamento, id eſt ſtirpis ab uno auctore quæ πατριὰ dicebatur, duces & principes. Ad hoc inſtar populi cæteri reges ſibi poſtea elegere. Si poteſtas eſt penes populum eligendi à quo regatur, ut contendunt qui minus æqui ſunt regiæ dominationi, id apparet melius eſſe quod pluribus probatur. Atqui certum eſt, vix milleſimam eſſe, immo vix centeſimam milleſimam toto orbe hominum partem reperiri, quæ aliam quam regiam agnoſcat dominationem. Excepta una aut altera Republica aut paucis liberis civitatibus totus hodie Occidens cum Oriente, Septentrio cum Meridie, regali tenetur imperio. Vniverſa pene Europa, ne longius quod prope eſt quæramus, regibus paret. Nec ſecus olim fuit. Trojani belli temporibus omnes ex tota Græcia principes ac duces qui ad Trojam profecti ſunt, ſuarum quiſque civitatum reges fuere. Summa imperii in exercitu qui ad excidium urbis prædictæ comparatus fuerat, Agamemnoni omnium conſenſu

delata est; qui propterea *Rex regum* appellatus est. Cum Hebræi regem sibi dari à Propheta Samuele petierunt, totus tunc Oriens sub regibus erat. Nam postularunt regem sic sibi habere licere, ut cæteræ gentes haberent. Regum porro omnium qui tunc nationibus imperabant, idem jus, eadem potestas fuit, in eo præcipue posita ut judicarent, & non judicarentur. Quod & disertis verbis ibi testatus est Propheta, dum jus regum describit. Apertè quippe declarat, regem electum à populo si in tyrannum degeneraret, vindictam de eo ac judicium aliunde non posse sperari, nec implorari nisi à Deo. Non est autem dubium quin à Samuele eo loco proposita sit populo vel durissima regendi ratio quæ possit metui ex dominatione in tyrannidem declinante. Non enim fieri posse, quin ex multis regibus quos essent habituri per successionem continuam natorum post patres regnantium, plerique in tyrannos essent evasuri, & ea onera populo imposituri quæ ibi percensentur à Propheta. Clemens Alexandrinus, & alii sic interpretati sunt. Αἰτοῦντι, inquit, τῷ λαῷ βασιλέα ὁ τὸν φιλάνθρωπον ὑστιγνέτην κύριον, ἀλλά τινα αὐτοῖς ἀυθάδη τύραννον. *Petenti regem populo non humanum pollicetur dominum, sed quendam contumacem tyrannum.* Omnes tamen hic errarunt, non solum Clemens. Non enim poscenti populo regem, tyrannus à Deo promissus est ac datus, sed denuntiatum fuit illi à Propheta, multos exorituros in successione Regum longa, qui jure regio, quale ibi describitur, id est summo, uterentur, & maxime intenso, adeo ut interdum pro rege tyrannum essent experturi. Sed ne talem quidem, ob ea quæ populo infligeret mala, sub alio staturum vindice

&

& judice quam Deo ipso. *Et clamabitis*, inquit Propheta, *in die illa à facie regis vestri quem elegistis vobis.* Si aliam illis opem, quam divinam, & ex Dei voluntate adversus tyrannidem regis sui paratam, eamque legitimam, potuisset promittere, in hæc verba illam spondere videretur debuisse: *Tunc tentabitis regem quem elegistis rejicere, & regno depellere, sed frustra.* Ne quidem id tentare illis permittit quo jugum excutiant, sed Deo relinqui vult vindictam de malo rege sumendam. Et cum jus hoc esset, teste Propheta, omnium regum qui eo tempore gentibus dominabantur, non alia conditione & Iudæis tunc datus est, ut supra multis probavimus. In Deuteronomio scriptum est à Mose, simul atque ingressi essent terram sanctam Iudæi, regem sibi electuros ad instar vicinorum populorum. Eo tempore quo regem illi sibi constitui petierunt, regnum Ægypti potentissimum fuit ac florentissimum sub Pharaonibus, & Iudææ maxime finitimum. Quo jure ac more illi regnarint, inspici debet, & an tyranni fuerint, ut omnes eos fuisse volunt illius temporis reges Enthusiastæ isti, quibus Tyrannorum appellatio hodie in Anglia jure optimo competit. Nam si tyranni non sunt, nullos unquam hoc nomine merito notatos esse dixero, cum isti crudelitatem & immanitatem omnium, qui unquam fuere, tyrannorum, factis suis longe supergressi sint. Scribit Diodorus lib. 1. Bibliothecæ, Regibus Ægypti nihil agere permissum sine lege. Omnibus ejus actionibus modum ac tempus lege præfinitum fuisse. Iuris dicendi tempus ei statutum erat, deambulandi, lavandi, & cum uxore etiam concumbendi. Leges etiam fuere, quæ ei præscribebant, quibus cibis vesci deberet,

quibus abſtinere. Cui vivere non licuit ſicut voluit, tanquam æger ſub medici regula conſtitutus, ita ad normam legum rex ille victus quotidiani morem obſervare neceſſe habuit, ne in minimis quidem ſuæ poteſtati atque arbitrio relictus. Non judicium ferre de quoquam, non punire aliquem, non denique quicquam agere potuit, contra quam leges juberent. At de omnibus, quæ ageret, lex aliqua fuit, quæ vel vetaret facere quod vellet, vel juberet exequi quod nollet. Cum tot legibus obſtrictus, & tam ſtrictis limitibus circumſcriptum ejus foret imperium, ſi tamen quaſi tenacis oris equus fræno rupto extra fines legibus poſitos evagaretur, & omnia pro libitu, etiam contra leges, ageret, an illi patiendum fuit aliquod ſupplicium à populo ob delicta, & effrenatam licentiam infligendum? An in jus vocatus eſt? An ſacerdotes, qui proximam & ſecundam ab illo poteſtatem & autoritatem tenebant, quique à conſiliis illi erant, & in omnibus judiciis adſidebant, judices in eum ſedere poterant, eumque damnare & capite plectere? Nihil minus. Et tamen, quod mirandum, populus ille levitatis nomine, & animi ad ſeditiones proni, ſemper male audiit. Sed nec impune Regibus ſuis eſſe voluerunt, qui ſe legibus ſolutos vellent. Quam pœnam igitur peccantibus impoſuerunt, aut quando? Quandiu vixere, quod male & contra leges feciſſent, tulere impunitum. Morte obita demum vindicabat ſe populus de rege malo, male ei dicendo, & memoriam ejus convitiis & contumeliis inceſſendo. Si juſte regnaſſet, & ex legum præſcripto, multa hominum millia funus ejus proſequebantur cum lacrymis, fletu, planctu, ac laudum celebratione, quibus defuncti memoriam condecorabant. Atque ibidem Diodorus, mul-

multos Ægypti reges, quod tyrannice imperaſſent, legitima & publica funeris pompa defraudatos fuiſſe, populo non permittente ut cum funebri choragio ſepelirentur. Καὶ πολλοὶ, inquit, τῶν βασιλέων, διὰ τὴν τῶν πλήθους ἐναντίωσιν, ἀπεςερήθησαν τῆς ἐμφανοῦς καὶ νομίμου ταφῆς. Nullum tamen regnum fuit quod plures reges habuerit, neque aliud quod diutius durarit, quo in ſpatio temporis nuſquam mentio extat ullius regis à populo per ſeditiones occiſi, aut in jus vocati vel damnati, cum vel tyrannos crudeliſſimos & immaniſſimos, ut Buſiridem illum olim, & Cambyſem, poſtquam in poteſtatem Perſarum redacti ſunt, habuerint. De ſe dicebant illi, primo apud ſe Deos imperium tenuiſſe, deinde Semideos, poſtea homines mortales regnum poſſediſſe. Ut priora de Diis & Semideis fabuloſa ſunt, ita de illis etiam quæ ſequuntur fides ſit penes Herodotum qui tradit, cum apud Thebas eſſet Ægyptias, ſacerdotem Jovis ſibi in grandem aliquam ejus cellam introducto oſtendiſſe coloſſos è ligno trecentos quadraginta unum, qui pro regum ſimulacris, eorumdemque Pontificum, ibi poſiti erant, qui perpetua ſerie à patribus acceptum natis ſuccedentibus tradiderant imperium. Quibus coloſſis ſubſcriptum fuerat, *Piromim* regnum accepiſſe à *Piromi*, id eſt, hominem mortalem ab homine mortali. Vox autem Πίρωμις, vel Ῥώμις ſine articulo, Ægyptiaca lingua ſonat hominem. Herodotus ea voce ſignificari tradit apud Ægyptios τὸν καλὸν κἀγαθὸν, quia nempe talis eſſe debet homo. In tot regum numero veriſimile eſt non omnes fuiſſe bonos, & tamen non interrupta ſerie ſucceſſionis per tot generationes de patre in filium ſubinde devolutum fuit regnum. Incredibilem quidem videri neceſſe eſt tot regum continua-

tinuationem ſucceſſivam, quæ ſecundùm eorum calculum colligeret ad decem plus minus millia annorum. Sed non aliud nos inde argumentum ducimus, quam quoſcunque & quotcunque reges habuere, nulli ex his bellum illos intuliſſe, nec quidquam, vel publice, vel privatim feciſſe quo è ſolio dejiceretur. Poſtea ſub Perſarum imperium redacti, non minus alienigenis dominatoribus, qui per vim imperium invaſerant, fideles extitere, quam fuerant erga ſuos & legitimos principes. Deinde Macedonum regum jugum ſubierunt, id eſt, Ptolemæorum. Hos etiam patienter tulerunt, quamvis aliquot ex illis peſſime imperarint, ut ille qui Phyſconis cognomine fuit, & alter Epiphanes, quem θεομανῆ ab inſania nuncuparunt, pro Epiphane. Poſtremo à Romanis devicti, & in provinciæ formam Ægypto tranſlata, Auguſtalem præfectum accepere. Alexandria tunc Ægypti metropolis erat, & ſedes olim Ptolemæorum quæ puris Ægyptiis non habitabatur, ſed ex colluvie omnium gentium conflatum populum habebat, Græculorum, Iudæorum, Samaritanorum, Syrorum, Romanorum, & aliorum. Unde efficiebatur, ut veterum morum nihil retinerent. Seditiones ſub medio Imperatorum Romanorum ævo ſæpe fecerunt, & præfectis ſuis diadema impoſuerunt, & Auguſtos crearunt. Ventoſi erant, factioſi, vani, rerum novarum cupidi, & quibus, ut ait Vopiſcus in Saturnino, *præſentia ſemper tempora cum enormi libertate diſplicebant*. Præterea more tunc tralaticio in Imperio Romano utebantur, quo rebelliones paſſim ſolitæ uſurpari, quaſi licitæ videbantur. Temporibus antiquis longè aliter ſe res habuit, & eo præcipue ſæculo quo Iſraëlitæ regem ſibi habere voluerunt,

runt, ut cæteræ gentes habebant. Assyrii tunc temporis imperium in Oriente obtinebant, quod ab Assyriis ad Medos translatum est per Arbacem, à Medis ad Persas per Cyrum. Omnium idem jus atque eadem potestas fuit in regno, nempe regium illud quale describitur à Samuele, summa cum licentia quodcunque libitum esset faciendi conjunctum. Cum tamen populi nefas esse tum crederent regem suum hoc nomine repudiare, quod illo jure abuteretur. Ab externis ut plurimum ea regna destructa sunt, non ab indigenis, neque à subditis. Persarum monumenta in eo dissentiunt à Græcis, quod nulla Assyriorum, Medorum, Persarum, Parthorum distincta per gentium genera agnoscunt imperia, sed per varios ex una eademque stirpe principes, qui tyrannidem diversis temporibus, & in diversis imperii locis, arripuerunt. Magnum illud imperium à mari Caspio usque ad Persicum extendebatur, innumeras gentes & populos complexum, nomine *Airan*. Cyrum illum, qui destruxit Medorum imperium, satrapam fuisse volunt regis, cujus vidua *Toman* appellabatur, ea *Tomyris* est Græcorum; contra quam rebellavit Cyrus. Sed hæc non sunt hujus loci. Persæ cum imperium tenuerunt, quali jure regnarint, liquet ex Herodoto. Cum Cambyses pessimus Rex, & quem novum Nabuchodonosorem Judæi nuncuparunt, sororis germanæ amore captus esset, eamque vellet in uxorem habere, interrogavit Regios, id est suos, Judices, qui ipsi à consiliis erant, ex populo ad hoc munus delecti, num aliqua lex esset apud Persas quæ permitteret tale matrimonium. Cum illi negarent, Regi tamen suo gratificari in hoc amore vellent, dixere aliam se legem invenisse, qua liceret regi

Per-

Perſarum facere, quicquid ipſi collibitum eſſet. ἄλλον μὴν τοι δυρκέναι νόμον, ἐξεῖναι ποιεῖν τὰ ἂν βέλητα. Artabanus Perſa in Themiſtoclis vita apud Plutarchum dicit, ex multis, quibus uterentur Perſæ, legibus, & quidem egregiis, nullam eſſe pulchriorem & meliorem illa, qua ſancitum fuerat, regem eſſe honorandum & adorandum, ut Dei cuncta ſervantis imaginem. Ἣ μὲν ὃ τῶν πολλῶν ὄντων νόμων καὶ καλῶν, κάλλιστος ἔστὸς ὅτι, τὸ τιμᾶν τὸν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα τοῦ πάντα σώζοντος θεοῦ. Non dicit, bonum eſſe factum, bonum tantum regem colere, ſed qualemcunque. Nam, ut Claudianus cecinit de Perſis, *quamvis crudelibus æque parebant Dominis.* Otades Perſa in oratione ſua apud Herodotum, quam ſententiæ loco dixit de optimo Reipublicæ ſtatu, Monarchicum definit ſtatum eſſe, cui licet impune facere, quod lubet. Μοναρχίῃ δὲ ἔξεστιν ἀνυπευθύνῳ ποιεῖν τὰ βέλητα. In jure ejus deſcribendo eadem prope ſcribit quæ Samuel de regis poteſtate, cum Iſraëlitæ dari ſibi Regem petierunt. Τὰ δὲ μέγιστα ἔρχομαι ἐρέων, νόμων τε κινεῖ πάτρια, καὶ βιάζεται γυναῖκας, κλείνει τε ἀκρίτους. *Vt ad ea quæ maxime gravia ſunt, dicenda ingrediar, leges patrias abrogat, mulieres violat, & condemnat inauditos.* Rex apud eos non mutabatur niſi morte, ut ait Juſtinus, nempe naturali. Cum Perſæ Medis ſucceſſerint, & Medi Aſſyriis, qui eo tempore dominabantur quo regem Iſraëlitæ ſibi conſtituerunt adinſtar aliarum gentium, apparet non alio jure hos regnaſſe quam illos. Homerus circa illa ipſa tempora ſecundum quorundam opinionem vivebat. Quale jus Regum eſſet qui in Græciæ civitatibus ſummam poteſtatem tunc obtinebant, ipſe ſatis declaravit, cum dixit, *Reges à Iove eſſe, & illos regnare quibus dederit id Iuppiter Saturni filius.* Quod à Deo per-

perhibét esse constitutos, ex eo arguitur non posse alium quam Deum habere judicem, qui eos constituit. Ejusdem quippe esse destituere quem constat constituisse, moris ac juris est indubitati. Idem Homerus perpetuo ferme epitheto Θείους βασιλεῖς, *divinos Reges*, & διοτρεφεῖς, *à Iove educatos*, appellat. Philippus dixit, regem, cum homo sit mortalis, ἐξουσίαν ἰσόθεον accepisse, *potestatem divinæ parem*. Diotogenes Pythagoreus in libro de Regno, scripsit, ut se Deus habet ad mundum universum, ita regem se habere ad rempublicam cui præest. Ἔχει ὃ τὸν ὡς θεὸς πρὸς κόσμον, βασιλεὺς πρὸς πόλιν. καὶ ὡς πόλις πρὸς κόσμον, βασιλεὺς πρὸς θεόν. Civitatem quippe, ex multis & diversis rebus compositam, mundi structuram & concentum imitari, regemque quod imperium gerat nulli obnoxium, & lex sit animata, Dei effigiem inter homines exhibere. Ὁ ὃ βασιλεὺς ἀρχὰν ἔχων ἀνυπεύθυνον, καὶ αὐτὸς ὢν νόμου ἔμψυχος, θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρεσήμανται. Idem paulo post scribit, Deum regi principatum dedisse, ᾧ δέδωκεν ὁ θεὸς αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν, *Cui Deus dedit suum ipsius principatum*. Planè intelligit, Dei vices in terris regem gerere, & commissum ab eo imperium gubernare. Ibidem præclare dicit, *Deum natura primum esse regem & principem; regem vero mortalem, creatione & imitatione. Deum in universum mundum potestatem habere; regem in terra.* Θεὸς μὲν φύσει ἐστὶ καὶ κατὰτον βασιλεὺς καὶ δυνάστης, ὁ ὃ γενέσει καὶ μιμήσει. Ὁ μὲν ἐν τῷ παντὶ καὶ ὅλῳ, ὁ ὃ ὅπῃ γῆς. Ecphantas, Pythagoricus alius, in libro ejusdem argumenti, ubi de regno tractabat, & regis officio quale sit, in terra & inter mortales, docet, *Optimam quidem naturâ rem esse hominem, maxime vero divinam regem. Eum meliori conditione esse præditum quam cæteros homines. Et, quamvis corpo-*

corpore sit similis reliquis, ut pote ex eadem materia creatus, ab optimo tamen artifice esse productum; ὃς ἐτεχνίτδυτεν αὐτὸν, ἀρχετύπῳ χρώμενον ἑαυτῷ. *Qui eum fabricavit ad suum ipsius exemplar.* Subjicit continuò, *Regem singulare quoddam & unicum esse opus, utpote, qui sit imago* τῦ ἀνωτάτω βασιλέως, *Cælestis Regis.* Idem, αὐταρχέαν, quæ regit se ipsam, & regitur à nemine, Dei primum esse propriam, deinde & Regis. Ὅπερ ἐνὶ μὲν τῷ θεῷ, ἐνὶ ᾧ καὶ βασιλεῖ. αὐτῶν μὲν ἄρχειν, ἀφ' ὅπερ καὶ αὐταρχης καλεῖται, ἄρχεσθαι δ' ὑπ' ἀδενός. Ferendos autem reges esse, etiam injuste imperantes, etiam injusta jubentes, pluribus Philosophorum & Poëtarum & autorum Græcorum Latinorumque testimoniis adstruere liceret, si res ista testibus egeret, quæ tot rationibus confirmatur. Potestatem certè nullis legibus, nullis judiciis obnoxiam in Græcia reges obtinuisse, vel unus Æschylus potest docere, qui in Tragœdia *Supplices*, regem Argivorum ἄκριτον πρύτανιν vocat, *non judicabilem rectorem.* Inachidæ tum regnabant. Si quæ tunc mutatio intercedebat qua de singulari imperio fieret populare, aut optimatum, ut plurimum ea contingebat defectu stirpis regiæ, sive familiæ dominantis. Sic sub illud ipsum tempus Sycioniorum regum imperium defecit, quod per annos nongentos sexaginta duos steterat, translata in Carnios Sacerdotes potestate. Ita post Codri interitum Athenienses reges habere destiterunt, & Magistratus eorum loco habere cœperunt administrandæ Reipublicæ. Sanè ubi extinctum est semen regiæ stirpis in hæreditariis regnis, tum ad populum potestas redit, cui liberum est postilla, vel alii imperium simile deferre, vel in aliam formam id mutare. Sæpè itaque de familia in familiam regna transeunt,

eunt, aut omnino ceſſant, aut de urbe in urbem transferuntur. Sic regno Argivorum finito, tranſlata eſt poteſtas Mycenas unde fuit Agamemnon, ut ait Auguſtinus. Bello ſæpius deſtruebantur regna ab alienigenis hoſtibus. Non longè ab illa ætate Priamidarum dominatus extinctus eſt bello ob Helenæ raptum ab univerſæ Græciæ Principibus in Trojanos ſuſcepto. Eodem ſanè tempore ex alia cauſa familia Erechthidarum qui Atticis Athenis per annos plus minus quadringentos regnaverant, imperio excidit, idque ad aliud genus tranſiit. Nam cum Thymœten ad pugnam Xanthus Bœotius provocaſſet, & Thymœtes recuſaret, Melanthus Pylienſis Andropompi filius ſingulare illud certamen contra Xanthum ſuſcepit & ex eo regnum meruit. Non opus eſt per ſingula regna currere, nec omnes mutationum cauſas quæ ſtatum regiminis in aliam formam converterunt enumerare. Satis eſt ex communi omnium gentium ſententia id jus regibus adſtruere contra quod ſi quis faciat, rem juſtam non feciſſe judicetur unanimi cunctorum populorum conſenſu. Turpiſſima quæque factu facinora, & quæ talia omnium opinione exiſtimantur, ſæpè nihilominus fieri & à multis videmus, ſæpius etiam vindicari in autores ſuos, quæ tametſi & bene nonnullis ſuccedant, atque impunita abeant, non propterea licita eſſe & rectè facta dicendum. Minuta Græciæ regna relinquamus, & ad Romanos veniamus, quorum cum maximè potens & latiſſimè patens fuerit imperium, plurimaſque mutationes paſſi ſint, de regno in Rempublicam, de ſtatu populari in ſingularem, an aliam quam Ægyptii, Perſæ, Iudæi, Græci de Monarchicæ dominationis jure & poteſtate ſententiam

tiam habuerint, consideremus. Graviſſimus eorum Hiſtoricus & qui, cum æquis adhuc legibus floreret & ſua libertate frueretur Reſpublica, vixit ac ſcripſit, *Impune quidvis facere id eſſe Regem eſſe* dixit. Tacitus qui ſub Imperio unius floruit, non dubitavit ita ſcribere: *Principi ſummum rerum arbitrium dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt.* Primus eorum principum qui ſtatum liberum civitatis in Monarchicum convertit, Dictaturæ perpetuæ nomine & titulo imperium ſibi arripuit. Notum eſt porro Romanæ hiſtoriæ peritis Dictaturam fuiſſe ἀρχὴν ἀνυπεύθυνον quæ nullis legibus teneretur, & omnibus ſoluta eſſet. Initio urbis conditæ talem & reges habuere poteſtatem à primo Romulo. Nam Romulus, ut ait Tacitus, *nobis, ut libitum, imperaverat. Et conſtat,* ut ſcriptum Pomponio, *initio civitatis reges omnem poteſtatem habuiſſe.* Sanè cum populum ſibi ipſe fecerit & ſe ipſum regem populi, non potuit niſi ſummam & merè regiam in eum habere poteſtatem. Qui ſucceſſere illi in regno par imperium quoque habuiſſe veriſimile eſt, quamvis de jure ſuo fortaſſis aliqui remiſerint, leges ferendo quibus obligari ſe voluerint. Quod & ipſum ſummæ poteſtatis argumentum eſt. Majus quippe imperium haberi debet quod quis volens in ſemetipſum ſtatuit, quam quod in alios exercet. Sic enim melius aliis imperat qui ipſe ſibi primum. Ut enim optimè dictum eſt veteri Philoſopho, *Non cadentis eſt currere, nec incompoſiti velle alios componere; ita nec ejus qui vitiis ſuis indulgeat & pareat, aliorum vitia pro imperio corrigere.* Non ego ſane crediderim minus potuiſſe in regno Servium Tullium quam Romulum, quamvis hic *ſancitor legum fuerit quibus etiam Reges obtemperarent,* ut

ait

ait idem Tacitus. Nam qui legem ſanxit poteſt eam abrogare. Cum boni autem Principis officium ſit recta ſibi imperare non minus quam ſubditis, utrumque libere agit, & poteſt neutrum facere impune, quatenus legibus ipſe ſolutus eſt, tam *cogentibus* quam *dirigentibus*, ut loquuntur. Non illis quippe aſſenſum commodare poſſum qui legibus tantum eum ſolutum eſſe volunt, quibus cogatur, cum nullæ ſint omnino quibus teneatur. Sane tam ab iis quæ jubent quam quæ vetant liber eſt. Dio libro LIII. Λέλωται γάρ τοι τῷ νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ λατινικὰ ῥήματα λέγει, τυτέστιν ἐλεύθερον ὄντα πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἶναι καὶ ὑπὸ τῷ γεγραμμένων ἐνέχονται. *Soluti ſunt legibus, ut ipſa Latina vocabula ſignificant, hoc eſt liberi ſunt ab omni legum coactione, nec ulla ſcripta lege tenentur.* Nomen Græcum αὐτοκράτορος eam poteſtatem legibus nullis obnoxiam denotat, quod, ut ait idem Dio, Romani Imperatores receperunt πρὸς δήλωσιν τῆς αὐτοτελοῦς σφῶν ἐξουσίας, ad demonſtrandam abſolutam ſuam ſummamque & independentem, ut ita loquar, poteſtatem. Hæc illi dat non ſolum κρείττω τῶν νόμων imperare, ſed etiam καὶ ὑπὲρ νόμων ἄρχειν, id eſt ſupra leges eſſe, ut loquitur Plutarchus. Juſtinianus Novella CV. ubi ab iis quæ in Conſulibus ſtatuerat, Imperatoris fortunam excipiendam pronuntiat, ἢ γε καὶ αὐτοῖς ὁ Θεὸς τῶν νόμων ὑπέταξε, νόμον αὐτὸν ἔμψυχον καταπέμψας ἀνθρώποις, *Cui & ipſas leges Deus ſubjecit, legem eum animatam mittens hominibus.* Quæ cum ita ſint, boni tamen eſt principis ſemet ipſum legibus ſubjicere, & ſecundum leges quas ipſe poſuit vivere. Inde illa ex reſcripto Severi & Antonini Inſtitutorum lib. II. Tit. XVII. *Licet legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus.* Cæterum hîc quæſtio non eſt, quid regem bonum

num facere oporteat, ſed quid facere poſſit ex jure quod illi dat ſumma poteſtas. Quod jus deſcribitur 1 Sam. cap. VIII. ut jam ſupra notavimus. Inde Plinius in panegyrico ad bonum Principem Trajanum, *in Roſtris ſimili religione ipſe te legibus ſubjeciſti Cæſar: legibus, quas nemo principi ſcripſit, ſed nihil amplius vis tibi licere quam nobis.* Hoc verò ipſum quod ſe legibus ſponte ſua ſubjicit princeps cum à voluntate ejus id pendeat, ad illud ſemper redeundum eſt quo jus ſupremæ poteſtatis in rege denotatur, *ſi velit poſſe; ſi nolit, non facere id quoque poſſe*, & proinde vere legibus ſolutum eſſe tam jubentibus quam vetantibus. Dio: Αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτῦ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε οἷα βέλοιτο ποιῶν, καὶ πάνθ' ὅσα μὴ βέλοιτο μὴ πράττων. *Revera ſolus per ſe omnia perficiens, ſuique & legum imperium habens, quæcunque velit faciat, & quæ non velit non faciat.* Sic poſito & confirmato jure regis, quale habuerunt priores Romanorum reges & poſteriores eorumdem Imperatores, qui quamvis regis appellatione abſtinuerint veri tamen reges erant, & ſic paſſim à Græcis autoribus βασιλεῖς vocati ſunt, quid inde conſequatur manifeſtum eſt. Nempe, ex eo quod ſupra leges eſſent & quod quidquid ſtatuiſſent legis vigorem haberet, ut eſt in leg. 1. D. de Conſtitutionibus Principum, non poſſe ulla lege ad faciendum quod nollent cogi, nec ullis legibus ſcriptis propter aliquod male factum reos fieri, vel puniri. Hæc regula eſt quæ in omnibus regnis, & de omnibus regibus quibus ex vero nomen hoc datum fuit, ſancita eſt, apud Aſſyrios, Medos, Perſas, Ægyptios, Iudæos, Græcos, Romanos. Ut autem ſapientis eſt & viri probi regulæ inſtitutum cuſtodire, improborum verò & inſipientium eam vio-

violare ; si quid contra regulam sæpius & à pluribus factum est, non impedit ne veritas regulæ maneat & justitia. Multa sunt quæ ad amussim & normam exigi non possunt, nec desinit tamen norma aut amussis esse recta. Quoties populi in legem committunt quæ reges sacrosanctos esse voluit, quæque *Patres Patriæ* eos vocandos statuit, quamvis severius imperent, & non legibus vivant, non ex populorum vitio lex contraria sancienda est illi legi quæ jure naturali & gentium introducta est, quamque omnes gentes bene moratæ & constitutæ semper observarunt. Alioquin ex multitudine adulterorum, homicidarum, furum, & falsorum testium, leges quæ adulterium, furtum, falsum testimonium prohibent & plectunt, viderentur abrogandæ, atque ipsa Decalogi præcepta moralia tollenda. Inter leges sensu communi hominum adprobatas & unanimi consensu gentium receptas, ea fuit maxime illustris & maximi momenti, quatenus ad communem humani generis utilitatem una unicè pertinet, atque ut talis, ex juris naturalis principiis petita & hausta videtur, quæ regum conservationem spectat. Non tamen eodem modo ab omnibus observata est populis, quamvis inter omnes constaret esse unam ex omnibus præcipua religione custodiendam. Sed prout melius moratæ & magis piæ, aut sanioris sanctioriſque religionis sensu imbutæ gentes fuere, ita majore observantia eam ab his excultam constat. Quod idem de aliis legibus quæ ex naturalibus deductæ sunt fontibus licet dicere: Nempe illas à nationibus, quæ naturæ humanæ, id est rationali, magis convenienter vixerunt, exactius & strictius esse servatas. Inter gentes quæ regibus suis colendis maximè fideles fuere,

Ægyptiacam poëta nominat, Lydiam & Parthicam, quia tunc Parthi imperabant in Oriente. Alioquin idem fuit de Assyriis, Medis & Persis qui idem imperium Orientis tenuere suis temporibus. Ferociores & incultiores gentes hac in parte sæpius peccasse comperiuntur. Historia Scotica in regum suorum albo plures exhibet, aut expulsos, aut incarceratos, aut necatos, quosdam etiam in publico capitali supplicio affectos. Angli à Gulielmo Conquæstore tres numerant in carcere occisos, Eduardum II. Richardum II. & Henricum VI. Enimvero quorum populorum purior fuit religio moresque cultiores ac sanctiores, eos etiam reverentiores extitisse regum suorum & magistratuum cultores constat, ut Iudæos & Christianos. Nam ex religionis suæ præceptis hanc regulam habuere, qua regibus malis & bonis ex æquo parere jubebantur. Christiani vero in ea regula observanda majorem diligentiam & fidem adhibuerunt quam Iudæi, quia meliores se ac fideliores divinorum præceptorum observatores semper jam olim præbuerunt; & quia hoc præceptum studiosius ipsis ac sæpius inculcatum & infixum ab Apostolis fuit. Qui in cæteris legibus & moralibus præceptis, divinisque mandatis sese morigeros magis, & magis religiosos ostenderunt, haud mirum est si & in hoc ipso regulæ se tenaciores præbuere. Sæpe & imperii latius patentis magnitudo in causa fuit ut pronius peccaretur à populis contra hanc legem. Exemplo sint duo, quæ omnium amplissima extitere, Assyrium & Romanum. De quibus Augustinus lib. XVIII. De Civitate Dei cap. II. *Duo regna cernimus longe cæteris provenisse clariora, Assyriorum primum, deinde Romanorum, ut temporibus ita locis inter se ordinata & distincta.*

Nam

Nam quomodo illud prius, hoc posterius eo modo, illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit. Hæc duo regna maximas mutationes & frequentissimas passa sunt, partim ex seditionibus & bellis intestinis, partim ab externis armis. Nec mirum. Immo magis mirum foret, si in eodem statu pacis & tranquillitatis sub iisdem semper dominis mansissent. Immania & vasta corpora, in plurima membra, & ipsa per se magna divisa, motibus & morbis tam externis quam internis magis obnoxia sunt quam exigua. Cum in diffusi & extenti spatii ditione in plures Satrapias & præfecturas distincta, omnia non possit per se Rex solus administrare, cogitur partes regni regendas præsidibus & rectoribus mandare, est ubi & exercitus numerosos ad tuendum limitem ipsis committere. Unde ambitio præfectorum qui se tam potentes vident, & in locis à comitatu & aula principis remotis positos, sæpissime ea occasione utitur ad rebellandum. Ex qua re non raro unum regnum plura solet regna parere, cum aut puericia principis dominantis, aut inertia, aut odio adducti ii qui rebus novis student, tyrannidem affectant, & factionis qua sibi principatum parare conantur, haud paucos socios conscioque reperiunt. Rebellionem certè adornantibus numquam desunt adjutores, ubi causa aliqua odii vel invidiæ in eum qui dominatur, arcessi potest, vel quando multum posse creditur is qui id se velle ostendit. Quod, ut dixi, in regnis plurimas & late diffusas ditiones occupantibus sæpe usu venit, quia occasiones majores & crebriores ad hoc conandum inde oriuntur. Nisi occurrant, interdum & manu fiunt. Cyrum illum veterem, Satrapam fuisse tradunt regis Persarum Annales Persici, qui primus contra viduam

ejus Tomyrin arma sumpsit. Arbaces Medus ab Assyrius ad Medos imperium transtulit, Nino occiso, ob effœminatum corporis cultum, & regundis viris parum idoneum muliebrem animum. In Romano Imperio non solum quando ab uno regi cœpit, talia multa evenere, sed etiam cum populus rerum summam teneret, plurimæ & maximæ seditiones civium ad perniciem status publici grassatæ sunt. Amplitudo imperii hoc fecit, factiones plures nobilium & optimatum contra populum, ac populi frequentes secessiones ab optimatibus suscitando. Vbi sub unius potestatem redactum est, ea causa quam attuli sæpè regnantes gubernaculo excussit, tumultuantibus exercitibus, ac tumultus eos concitantibus ducibus, imperandi scilicet cupidine, præcipuè qui provincias regebant tam multas simul ac magnas, ut quæ jam regna sunt potentissima eo tempore unius præsidis vel rectoris administrationi cesserint. Nullum hodie in orbe terrarum qui notus est, amplius ac majus imperium cernitur quam est Turcicum. Nullum etiam videre est quod tot mutationes in personis dominantium soleat experiri. Regni moles in causa est, & copiarum militarium quæ ad tuendum Imperatorem & regnum conservandum comparatæ sunt, multitudo. Vt sanguis qui in corpore vitam retinet, si nimis abundet, sæpè & in perniciem ejus exsuperat cujus ad salutem venis infusus est. Non raro tamen & in parvis regnorum corporibus hi excessus nati sunt. Nondum pomœrium urbis suæ egressa erat Romana potentia cum regem bene de se meritum, & primum, Senatus interfecit, ab ipso constitutus. Adeo autem non pro recte facto hoc jactavit, ut contra omnibus modis celatam hanc necem

cem voluerit, cujus ut invidiam à se amoliretur, finxerunt sceleris conscii in cœlum raptum à Iove fuisse. Subornarunt è corpore suo proculum quendam, qui populo persuaderet visum à se Romulum augustiore forma quam humana sit, & ipsis mandare ut se pro Deo acciperent colerentque, Quirinum se in cœlo vocari. Sic illi tum regem sustulerunt ut regnum in statu suo conservarent. Postea utrumque simul abolitum voluere. Sed quomodo aut qua causa, aut qualem regem regno simul exuerunt, regnumque ipsius in aliam status formam mutarunt? Importuna hominis superbi dominatione offensi, ferre eum diutius non potuerunt. Cum enim impotenter se gereret & crudeliter, omnes in odium sui adduxit, quod adauctum est expugnata nocturno stupro Lucretiæ pudicitia ab ejus filio Sextio. Præterea si omnia quærantur, ne legitimum quidem eum Romanorum à quibus expulsus est, regem fuisse constat. Sed quomodo ejecerunt? An in jus vocarunt? An capitis causam dicere coëgerunt coram Senatu? An occiderunt? Nequaquam. Portas venienti clauserunt, cum ingressum urbem capere potuissent, & capto securi caput amputare. Destituerunt eum, agrum ejus Marti suo consecrarunt. Ita illi gentiles regem tractarunt, qui vi regnum occuparat, qui superbe & crudeliter imperabat. Christiani novitii Angliæ, & Reformatæ religionis reformatores, Regem suum, legitimum, bonum, pium, clementem, non adulterum, non homicidam, pro nefas! infando & infami supplicio, per carnificem, publico spectaculo, medio die, cervicibus securi defectis sustulerunt, per multas tractum prius mortes, metu mortis sæpius gladio vel alio genere intenta-

tæ excruciatum, ad ſupplicium ductum per ea loca quæ plurimum vivus amaverat, per Aulæ ſuæ membra picturis egregiis & magnifici operis aulæis exornata. Ne quid deeſſet ad mortis infamiam, ſtipitem ipſum cui caput decollandum carnificis ſecuri imponere debuit, humiliorem & depreſſiorem ſtatui curaverunt quam reliquis noxiis poni ſoleret, ut ſic proſtrato potius quam ingeniculato cervix abſcinderetur, quo major ſcilicet morientis eſſet ignominia. Redeamus ad Romanos. Cum Rempublicam præ Regno maluiſſent, quas non ibi pœnas mutati ſtatus poſtea pependerunt? Rem quidem ſuam & imperium longe lateque dilatarunt, ſed inteſtinis domeſticiſque diſcordiis tam ſæpe tam diu conflictati ſunt, ut dici poſſit hæc ſupplicia hauſiſſe ob reges ſuos olim interemptos & ejectos. Quid tandem? Per infinitam ſanguinis civium vim effuſam, per ſubverſionem fortunarum & bonorum ſuorum, per tot Reipublicæ vulnera, per ipſius tandem generale excidium, ad id quod tanto animo repudiarant, recidere coacti ſunt, ut iterum reges acciperent. Nec prius hoc bono eis frui datum eſt, quam mala extrema paſſi ſint ſub Cinnis, Mariis, Syllis, aliiſque publicis hoſtibus, & patriæ teterrimis peſtibus. Tandem Cæſar rerum potitus eſt, poſt non minores Reipublicæ clades & calamitates ab eo illatas quam illi priores inflixerant. Sic ille rex factus non nomine ſed re, non diu regnum tenuit, ſed in Senatu à conjuratis nobilibus & libertatis cupidioribus quam par eſſet, occiſus eſt. Nec ſic tamen ea cæde libertas quam tanto ambitu petierant recuperata eſt, ſed majus inde conflatum incendium, quo iterum publica res conflagravit, Deo manifeſtis indiciis teſtante non ſibi placuiſſe quod in perſo-

perſona Cæſaris commiſſum fuiſſet parricidium. Intra annum quippe vertentem multi eorum qui in caput ejus conſpiraverant parricidii pœnas ſanguine ſuo luerunt. Nemo certe percuſſorum ejus, Suetonio teſte, *triennio amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes alius alio caſu periere, pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem illo pugione quo Cæſarem violaverant, interemerunt.* Quanto ſceleratius & majus aggreſſi ſunt nefas qui Carolum Angliæ Regem parricidaliter obtruncarunt, tanto citius ſceleris ſui pœnam merentes expenſuros eſſe debemus ſperare. Illi tyrannum germanum, libertatis oppreſſorem, reiquepublicæ uſurpatorem à ſe interemptum gloriabantur. Iſti quo titulo tam immane facinus à ſe admiſſum poſſunt defendere, qui Regem ſuum hæreditarium, regni paterni poſſeſſorem legitimum, hoc ſolo noxium quod nimis bonus eſſet, non illo affecerunt ſupplicio quo tyranni ſolent mactari, ſed eo quo latrones & proditionis rei damnari conſueverunt. Cum de ſupremi numinis juſtitia dubitare nequeamus, tanto ſpem majorem concipere fas eſt, exorituros eſſe aliquos Harmodios, & Thraſibulos, qui cæde quadraginta horum tyrannorum infandum crimen expient ſanguine impio, & ſanctis Manibus optimi Regis parentent. Cæſari ſic interfecto nefaria eorum conſpiratione quos omnes ipſe multis beneficiis devinxerat, quorum etiam pleroſque in tutoribus filii ſui, ſi quis ſibi naſceretur, teſtamento nominaverat, ſolida columna viginti pedum in foro poſita eſt & inſcriptio, PARENTI PATRIÆ. Quanto magis hoc honore & elogio dignus Carolus, qui populi ingrati tantum amorem & tale ſtudium, non ſolum tota vita, ſed etiam in ipſa

morte teſtatus eſt? Sæpe ſolitum ferunt Cæſarem dicere, non tam ſua quam Reipublicæ intereſſe uti ſalvus eſſet. Rempublicam quippe, ſi quid ſibi eveniret, neque quietam fore, & aliquanto deteriore conditione civilia bella ſubituram. Quanto juſtius hoc de ſe deque regni ſui ſtatu potuit ominari Carolus, cum jam longe deteriore conditione eſſe videamus poſt obitum ejus miſerabilem Angliam, quam vivente ipſo ac regnante fuerat? Curiam in qua Cæſar occiſus eſt obſtrui placuit, Iduſque Martias parricidium nominari, ac ne umquam eo die Senatus ageretur. Quantum interſit inter cruentam mortem Cæſaris Romani & Caroli Angli ſupplicium autoribus ſuis infame, quis non videt? Si hoc quæratur quis eorum majori jure occiſus ſit, Carolus nullo crimine cecidit, Cæſar illo maxime quo tyrannos perire ſemper fas & jus fuit, antiquitate judice, quæ legem meliorem non noverat. Chriſtiani quanto melius eruditi, qui vel tyrannis eo ipſo tempore regnantibus, ſuiſque perſecutoribus manus inferre nefas judicabant, & inter vetita, immo inter ſcelera, hoc habebant! Deo quippe ita placitum ſciebant, qui reges malos & tyrannos ipſe ſæpe conſtituere ſolet in pœnam populi, qui tales habere meruit. Si mors Cæſaris vindicata eſt qui talis fuit, an Caroli ſecuris qui tantum ab ejus tyrannide titulo & factis abfuit, impunita manere debet? Pergamus ad cæteros Romani Imperii inſeſſores, Cæſariſque ſucceſſores qui morte non ſicca gubernaculum ſibi extorqueri viderunt. Sic eorum vita omnibus vitiis inquinata, ſic tyrannica adminiſtratio id mereri viſa eſt, ut tamen iis qui fecerunt nec impune fuerit, nec in laudem

dem cesserit factum ; cum Nerones & Caligulas & Vitellios & Domitianos interficerent. Regula semper etiam tunc in animis hominum inviolata mansit, quæ violari Regem non patitur, & quæ tyrannorum titulo donat eos ipsos, qui contra principem tyrannicè regnantem arma sumpserunt. Quis impurior Gallieno Imperatore fuit? Quis ex omni vitiorum colluvie Princeps magis concretus ? Non dubitarunt tamen autores Romani qui vitam ejus in literas miserunt, tyrannorum elogio impertiri, quicunque sub ejus imperio rebellarunt. Trebellius pollio peculiari libello omnium nomina & gesta complexus est, quosque adeo quia totidem fuerant, triginta Tyrannos nuncupavit. *Triginta*, inquit, *Tyranni occupato Valeriano magnis belli Persici necessitatibus extiterunt, quum Gallienum non solum viri, sed etiam mulieres contemptui haberent.* In illo tamen tyrannorum numero constat multos fuisse qui boni fuerint & bene imperaverint, cum ipse legitimus princeps contra quem illi tyrannidem arripuerant, nequissimè ageret. Quicunque enim ad imperium prosiliebat non jure, quamvis juste regnaret, tyrannum eum vocari tum mos fuit, quamvis melius imperaret illis ipsis qui pro legitimis habebantur dominis. Plerique illorum ab iisdem militibus à quibus purpura amicti fuerant, interempti sunt. Sic sæpe etiam constat trucidatos & qui imperium justo titulo tenuerunt. Nemo tamen umquam *Iustitiam* vocavit illud factum quo sublati sunt, multo minus Iustitiæ tribunal aliquod constitutum fuisse legimus ad malos principes damnandos & capite plectendos. Si qui hostes à Senatu aliquando judicati sunt, ut de Nerone legimus, factio id fecit non jus, & vis potentior

tior majorque eorum qui in eum conſpiraverant. Senatus tunc in partibus erat, & cum fortiori parti faveret, pronum illi fuit in gratiam victoris, hoſtem pronunciare publicum eum qui pro victo & deſtituto habebatur. Ita Galbam ex ſuo corpore Senatus ille qui Neronem condemnavit, ad imperium promovit, ab exercitu prius conſalutatum Imperatorem, quo tempore ipſe legatum ſe Senatus ac populi profeſſus eſt. Senatum nemo neſcit ſub Imperatoribus togatorum mancipiorum conceſſum fuiſſe, qui ſemper in ſeditionibus & factionibus principum & exercituum, ei parti quam prævalere acceperant, ſe totos dabant atque addicebant: ut tunc fecere Romani, qui audito Galbam deſciviſſe à Nerone, omnes in verba ejus jurarunt. Anglicani Prophetæ qui urgent hoc exemplum Neronis à Senatu hoſtis judicati, & more majorum plectendi, ut ſimile eſſe doceant eum ea ſcelerata ac nefaria condemnatione qua regem Carolum affecerunt, dent nobis Senatum qualis tum fuit Romanus, dent Regem condemnatum qualis erat Nero. Vbi hoc fecerint, tunc etiam nobis reddant dantem pœnas Galbam, qui contra Neronem inſurrexit. Hoc unum non diſſimile futurum auguror, quod omnes qui regem ſuum capitis damnarunt, parem exitum habituri ſunt Galbæ. Reliqua omnia ita inter ſe pariant, ut cœlum à terra diſtat. Tantum abfuit Carolus à Nerone, quantum iſti laniones Anglicani à Senatoribus illius temporis Romanis diverſi ſunt. Si Senatus hoſtem Neronem judicavit, nullus hic fuit Senatus qui in Regem Angliæ ſententiam mortis dixit. E fæce plebis cruenti latrones hoc judicium compoſuerunt, ſelecti à ducibus rebellis exercitus, ipſiſque perduellibus,

Sena-

Senatus ille Romanus conſeſſus regum fuit, ut olim, cum longe minor eſſet reſpublica, appellari meruit. Ex illo ordine mittebantur qui provincias regerent Proconſulari imperio, quæ hodie integra regna conſtituunt. En ſimilitudo cum eo Senatu Caligarum Angliæ militarium! Neroni ſimiliores, ſed crudelitate & immanitate ſuperiores, fuerunt illi parricidæ, qui Regem Carolum occiderunt. Nero ille matrem ſuam necavit, iſti Patrem Patriæ. Senatus Romanus talem parricidam tollendum decrevit, iſti Nerones regem ſuum parentem publicum. Solis igitur Anglis militibus, quos Moloſſis ſuis ferociores eſſe conſtat, ex omni temporum memoria & ex omni gentium numero hodie licuit, quod nec ipſi umquam antea uſurpaverant, *Juſtitiæ* inſtituere novum & inauditum tribunal, quod de regis ſui capite judicaret. Nimirum poſtquam Chriſtiani facti ſunt, immaniores & crudeliores injuſtioreſque evaſerunt. Immo poſtquam Chriſti religionem reformarunt. Nam per univerſa regni Anglicani tempora, ex quo die Chriſti fidem acceperunt, nihil tale auſi ſunt. Poſt reformationem lapſæ in pejus religionis, & puritatem ejus, ſiquid illis creditur, reſtitutam, de hominibus belluæ extiterunt, de ſubjectis tyranni, de filiis parricidæ. Hoc docuit illos Chriſtus? Hoc ab ejus Apoſtolis didicerunt? Hanc è Scriptura Sacra utriuſque divini teſtamenti diſciplinam imbiberunt? Quod nec Aſſyrii, nec Medi, nec Scythæ, nec Græci, nec Romani, non Iudæi, non ulla omnino gens orbis cogniti, culta aut barbara, rudis vel erudita, umquam factitaſſe perhibetur. Nulla fermè veterum religio non habuit conjunctam regis reverentiam cum Dei cultu. Multas

quippe apud gentes olim iidem Pontifices fuere ac reges, quasi nemo melius summi numinis colendi rationes tenere posset, quam qui inter homines esset præstantissimus & optimus. Regem quippe eum locum supra homines obtinere quem Deus supra Reges haberet, Diotogenes Pythagoricus scripsit. Locus hic esset dicendi de regum differentia, & quatenus potestate alii minore, alii majore in regnando fuerunt. Sed commodius infra de eo tractabimus. De eo jure quod omnes populi olim agnoverunt, quodque reges à subditorum judicatione & damnatione liberat, legibusque solutos præstat, nunc pauca ut dicamus ad clausulam hujus capitis, tempus postulat. Nam quamvis plena & libera potestate non omnes reges usi fuerint, nihilo secius illud inter omnes semper convenit, ἀκρίτους fuisse omnes & ἀκριτοκρίτους. Non potuisse judicari, nec damnari à subjectis suis. Quod autem de Iudæorum regibus, nonnulli adhuc dubitant, an subjecti Synedrio fuerint, ubi ea quæ jam hîc disseram legerint, ambigere de re nimis clara desinent. Primum eam rem in dubio non relinquit, quod Iudæi regem petentes sibi dari eum poposcerint ad instar cæterarum nationum. Atqui omnes eo tempore nationes ejusmodi reges habuerunt, qui judicio populi non essent obnoxii, ut supra docuimus. Deinde cum Samuel Iudæos edoceret quale esset jus Regium, ne ignorantiam ejus juris postea prætexerent, satis aperte eis declaravit, impune regi licere facere quod vellet sine metu legum & judicii, ut de quorum delictis vindicta soli Deo esset reservata. Præterea vel uno firmissimo argumento id evincitur, quia si reges coram Synedrio sisti accusandi & condemnandi debuissent, nulla inter Judices quos prius habuerant, & reges quos loco

co judicum poſtea habere cœperunt, omnino fuiſſet differentia. Iudices quippe Iudæorum omnia, quæ reges, fecerunt, in ductandis exercitibus, legibus dictandis, jure dicundo, muneribus aliis fungendis. Singulare præterea imperium obtinebant, quia ſinguli judicabant. Quid opus igitur fuit judicum imperium in regium commutare, ſi ex æquo reges Synedrio parebant & judicium ejus ſubibant, ut Iudices olim facere ſoliti? Nullum ſic inter eos diſcrimen fuerit niſi nominis, cum res eadem foret. Atqui Iudæi Iudicum illorum tædio odioque adducti, reges tunc poſtularunt quales reliquæ nationes haberent, nempe à quibus regerentur poteſtate nulli majori imperio obnoxia; cum Iudices Synedrio magno ſubjacuiſſe conſtet. Poſtremo nullum exemplum extat in libris Regum & tota Sacra Scriptura regis ullius qui judicatus ſit & condemnatus à Synedrio, cum tamen ea delicta plerique eorum commiſerint, quæ non ſolum ad rebellionem concitare jure populum deberent, ſed etiam quæ legum auxilia & judiciorum vim poterant provocare. Sed quia nec leges, nec jus metuebant, nec alium judicem præter Deum agnoſcebant, ideo plerique non ſolum impune mali extiterunt, ſed etiam quod malorum omnium graviſſimum fuit, idololatræ, niſi ſi quando Deus extra ordinem puniendos aliquos ſibi deſumpſit. Magiſtri Iudæorum, qui Scripturas ſæpius ex opinione futili, quam ex veritate ſolida interpretantur, tradunt, Reges ordinario etiam judicio ob legem violatam potuiſſe caſtigari & verberibus affici. Quod tamen non de quovis delicto, ſed de tribus tantum aſſerunt, quæ ſpeciatim in lege expreſſa ſunt; ejuſque caſtigationis poteſtatem penes Synedrium majus fuiſſe.

Credant hoc Iudæi Apellæ, non ego, cum ejus rei nullum in Scriptura vestigium extet, neque ullum ipsi talis judicii exemplum à Synedrio adversus Reges redditi produxerint, neque vero producere queant. Ne in Talmude quidem, in tractatu Sanhedrin, inter illa peccata quæ ad jurisdictionem Synedrii pertinent, ea tria delicta recensentur, neque inter personas quas ab eo judicari jus fuit, reges nominantur. De Tribu Septuaginta Seniorum confessus judicabat, de Prophetis, de Pontifice summo, non de Rege, ut in cap. 1. ejusdem tractatus disertè habetur. Nec causa sane fuit cur de tribus illis solis legis transgressionibus, judicari & castigari debuerint Reges, non etiam de aliis longè atrocioribus criminibus. An quia illa tria speciatim in lege prohibita sunt? Quasi vero non æquè expresè lege eadem mandatum illi & injunctum verbis Mosis fuerit, ut custodiret præcepta Dei & cæremonias legis, ne superbe se efferret supra fratres suos, & ne declinaret ad dexteram aut sinistram. Si vetita faceret, pro pœna proponitur breve regnum, sin ea observaret quæ Deus præcipit, diuturnum imperium promittitur. Deuteron. XVIII. Quæ omnia ostendunt Deum sibi reservare judicium de Regibus extra ordinem ferendum. Quid dicendum de præceptis Decalogi; deque eorum primo & præcipuo quo Idololatria omnibus ex æquo interdicitur; cum nullum eo crimine gravius fuerit apud unius Dei veri cultores? Quid ergo? An Regi tunc impunitum erat, idola non solum colere ipsum, sed etiam eorum cultum populo imperare; qui tamen vapulabat, si plures, quam lex permittit, uxores haberet, si plures equos aleret, si opes majores licito quæreret? Hi sunt enim tres casus propter quos regem in jus vocatum fuisse volunt ad Synedrium,

edrium, & verberibus coërcitum, cum pro Idololatria, pro homicidio, pro adulterio, pro aliis omnibus flagitiis & transgreſſionibus legis nihil tale pateretur. Hinc colligamus quam ſint ridiculi illi magiſtri, & quam vanas ſtultaſque traditiones habuerint. Lex quidem apertè regi futuro inter Iſraëlitas præcipit ne numerum uxorum, ne equorum augeat, ne amplificet auri & argenti pondera. De numero Regis uxorum legitimo, de equorum, de menſura vel pondere auri & argenti quod licitum eſſet ei poſſidere, nihil dicit Lex. Neque etiam addit eum qui amplius æquo de illis tribus poſſederit, verberibus id luiturum. Nullum exemplum in Scriptura occurrit regis alicujus caſtigati ob unam ex tribus illis noxam. Quem igitur ſtatuunt numerum mulierum lege permiſſum, ultra quem ſi proceſſiſſet non ei impune eſſet futurum? In Gemara Sanhedrin cap. 11. ultra octodecim non licuiſſe illi habere traditur. *Nec multiplicet ſibi uxores ultra octodecim.* Vnde hoc colligunt? Quia Davidi tot fuere. Ergo octodecim uxores non ſunt de pluribus intelligendæ quas lex prohibet? Vna adjecta ſi novem & decem fiant, plures erunt lege conceſſis? Quid magis abſurdum potuit fingi, quam ut dicatur pluralitatem in octodecim non conſiſtere, ad hunc numerum ſi vel unitas adjiciatur, in multitudine id eſſe vetita? Quæ ratio ipſis ita argumentandi? An quia Davidi totidem fuerunt, nempe octodecim, idcirco octodecim mulieres non eſſe dicendas ad pluralitatem pertinere? Quanto planius veriuſque dici potuit Davidem exceſſiſſe in hoc capite legis terminos, & plures habuiſſe uxores quam illa permittit, & quidem impunè? Sane ſi ille impune homicidium cum adulterio junctum potuit committere, nonne & eadem

eadem impunitate in legem peccare, quæ plures uxores vetaret? Si David non transgreſſus eſt legem habendo decem & octo uxores, quid de Solomone ejus filio dicent, qui præter uxores legitimas tot concubinas habuit ut utriuſque generis mulieres uſque ad mille numeraret, ſeptingentas ex illis, trecentas ex iſtis? Quot flagrorum ictibus culpam expiare hic Rex debuit, ſi propter uxorum lege vetitam copiam, hanc pœnam ex Lege meruit? Tot ſanè plagas accipere eum oportuit quot vicibus numerus ille in millenario invenitur. Multiplicatio equorum æque regibus interdicta eadem lege fuit, ut uxorum. An dicent Salomonem eam ſervaſſe, cum tot millia equorum, tam currilium quam ſingularium, aluerit? De eo ſcribitur lib. 3. Reg. cap. IV. *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrum.* In Chronicis pro quadraginta millibus præſepium longe minore ſumma legitur, *Quatuor centum millia præſepium equorum habuiſſe ad currum, & duodecim millia ad equitandum.* Quæ & ipſa exorbitat in exceſſu, ſi verum eſt quod iidem Rabbini volunt, non plures Regi licuiſſe equos habere quam quanti ad currus ſufficerent, ſi vero vel unicum ante ſe ad pompam ducendum curaret, vapulare debuiſſe. Vnde hoc hauſerunt? Cur igitur non quadragies millenas plagas accepit Salomon propterea quod quadraginta millia equorum haberet ad currus, & duodecim millia ictuum propter XII. millia equorum ſingularium? Operæ pretium etiam eſt videre quomodo interpretari ſoleant illa quadraginta millia præſepium, quæ Salomon habuit, & quomodo illa concilient cum quatuor millibus Chronicorum. Ita enim in Gemara ex Rabbi Iuda explicant, aut fuiſſe quadraginta millia

millia ſtabulorum quorum ſingula habuerunt quatuor milia præſepium, aut quatuor millia ſtabulorum quorum ſingula haberent quadraginta præſepium millia. Sed quantam ex hac interpretatione & conciliatione oriri neceſſe eſt equorum Salomonis multitudinem? Tantam ſane ut fidem non capiat. Non meliores ſunt aliorum Magiſtrorum expoſitiones. Septuaginta Interpretes longè rectius, quadraginta millia præſepium de quadraginta millibus equorum acceperunt, qui reddidere τεσσεράκοντα χιλιάδες ἵππων. In Hebraico eſt ארבעים. Quæ ſunt præſepia, Græcis φάτναι. Lacus ſunt quadrati, ſive ſepta ex tabulis quadrata, in quibus ante ſingulos equos hordeum olim, ut nunc avena, pro pabulo apponebatur. Totidem erant præſepia, ſive φάτναι, quot equi, ut etiam hodieque in aliquibus locis videre eſt. Pro quadraginta millibus quæ habet liber Regum, quatuor millia ſunt in libro Chronicorum. Quæ non hîc concilio, cum ad aliud tempus pertineant, locumque alium poſtulent. Hoc tantum volumus, Salomoni impune licuiſſe habere quantum vellet equorum, & mulierum, & auri. Cum aliquis ob delictum verberabatur, ſi iterum in eandem culpam recidiſſet, iterum vapulare debebat, & quotieſcunque eodem genere peccabat, pœna flagri iterabatur. Quid igitur fiebat illi Regi qui ob uxorum illicitum numerum aut equorum plectebatur, ſi illas & hos ſemper retinere vellet? Nonne ſingulis diebus novam pœnam pati debuit, aut equos vel uxores dimittere, quorum gratia hoc ſupplicium erat patiendum? In Talmude, tractatu Maccot, enumerantur omnia delicta quibus pœna verberum infligebatur, omnesque adeo perſonæ recenſentur quæ huic caſti-

castigationi erant obnoxiæ. De Rege nullum ibi verbum, neque de multiplicatione uxorum vel equorum. Quinimmo in Gemara, tractatu Sanhedrin, diserte traditur Salomonem contra illa duo præcepta feciſſe, nec tamen additur verberatum propterea fuiſſe. *Cur non*, inquiunt, *declaratæ ſunt rationes Legis? ſiquidem expreſſis rationibus duorum præceptorum in hoc offendit maximus omnis memoriæ vir.* Tertium fuit præceptum de auro & argento non amplificando. Ne hac etiam in parte Salomon vetito abſtinuit. Immo quis legem qua id interdictum erat, magis violavit? Nullus regum illo ævo æquè dives fuit. Nam & Scriptura teſtatur diſertis verbis in libro Chronic. II. cap. IX. *Magnificatum fuiſſe Salomonem ſuper omnes reges terræ divitiis & gloria.* Quod ſi Salomoni impune fuit tantum auri & argenti accumulaſſe ſine metu flagri, an putamus non idem licuiſſe & ſequentibus Iſraëlis & Iudæ regibus? Nugæ ſunt igitur & næniæ Rabbinicæ quod traditionibus eorum deblateratur, de Rege loris cædendo ob uxorum & equorum lege interdictam multitudinem, & ob auri & argenti vim quæ legem excederet. Hæc cum ſine fundamento & ſine auctoritate ab illis proferantur, ideo ea refutare neceſſe habuimus, ut conſtaret nulla in re Synedrio, aut judicii ab eo redditi pœnis, obnoxios fuiſſe reges Iudæorum. Quod æque de veteribus qui captivitatem præceſſerunt, ut de his qui poſt eam regnarunt, certum eſt. De prioribus nullum omnino exemplum è Scriptura Sacra produci poteſt, quo id adſtruatur. De poſterioribus falſiſſimum id fuiſſe liquet illo Herodis facto, qui poſtquam regnum adeptus eſt totum Synedrium ſuſtulit, uno Schammeo excepto; tantum abeſt, ut ſuppoſitum ſe illius juriſdictioni crederet. At cum

juve-

juvenis esset & præfectus Galilææ, vivente adhuc patre qui regnum tenebat, coram judicibus Synedrii constitit ad causam capitis dicendam quod reus esset cædis Ezechiæ latronis. Sed quomodo ante judices constitit? Amictus chlamyde regali, & deaurato gladio cinctus. Cum ad hunc fastum & insolentiam commotus fuisset R. Schammai Senior, Herodes palam eos irrisit & contempsit, ut narrat Iosippus. De omnibus porro gentibus quæ regum imperio tenebantur, quam reverentes regiæ Majestatis fuerint, diximus, & quam sanctam illam habuerint. Sed in Iudæis & Christianis qui ab illis prodierunt præcipue hærere debemus, ut doctrinæ hujus efficaciam & usum populis omnibus Christum professis insinuemus, vel infigamus potius, ut sciant quid super his credere eos oporteat, quid etiam facere. Nomina quippe hæc religionis esse potius constat quam nationis. Quicunque jus Iudaicum ediscebant, & illam superstitionem capessebant, omnia etiam observare tenebantur, quæ lex Mosaica præscripserat, ex quacunque tandem natione proselyti Iudæorum fierent. Idem de Christianis dicendum qui Christi fidem amplexi sunt. Sive ergo Hispanus sit, sive Gallus, sive Italus, sive Germanus, sive Anglus, sive Scotus, si modo Christi legem acceperit, ea debet custodire sine quibus nemo vere Christianus dici potest. Inter præcepta quæ Christus suis fidelibus per Apostolos tradidit, illud est vel maximi ad salutem & pacem populorum momenti, quod regibus suis subjici jubentur, etiam malis, etiam severe & injuste dominantibus. Si nationes priusquam Christo sese dicarunt, reverentiam erga Reges suos tam sancte custodierunt, & majestatem eorum ita comiter conservarunt, cum solo

ad hoc naturæ instinctu ducerentur, quid facere eas par fuit postquam Christianæ factæ sunt, postquam legem de eo acceperunt, cui refragari non potuerunt & nomine Christiano dignæ videri? Quis ergo non miretur Anglos gentiles reverentiores suorum regum fuisse, quam Anglos Christianos. Plus adhuc dicam, immo quam Anglos Reformatos? Immo quam Reformatores eorum qui dicuntur Reformati? An hanc gloriam penes solos primitivæ Ecclesiæ Christianos fuisse dicendum erit, ut regibus suis, etiam malis, bona fide parerent? Enimvero, ut primi Iudæi, ita & primi Christiani, hoc idem præceptum, quia communiter utrisque à Deo datum est, constanter observarunt. Nam de sui temporis Christianis dixit Tertullianus, *Neminem umquam id tentasse, ut regi insidias strueret*, sicut Hippias civitati suæ fecerat, *etiam cum sui omni immanitate dissiparentur*. Postremis vero sæculis, ut in aliis rebus, ita & in hac, mores, ut jam dictum, cum temporibus mutati sunt, disciplinæ vigor laxatus est, & regula corrupta. Quinimmo extitere tandem pestes Rerumpublicarum regumque μάστιγες, & omnis à Deo ordinatæ potestatis hostes, Sophistæ quidam qui contrariam illi quæ à Christo tradita est doctrinam introduxerunt de occidendis, quasi jure, regibus, si displicerent subjectis. Tales in Pontificiis Iesuitæ, inter Reformatos qui vocantur *Independentes* & *Brunistæ*. Tales etiam apud Iudæos Pharisæi exorti sunt, sectæ genus ambitiosum, superbum, seditiosum, factiosum, impatiens dominorum & omnium summarum potestatum. Si tamen hi cum Iesuitis & Independentibus comparentur, dociles, amabiles, morigeri & regibus amici sunt habendi. Quod satis testatur historia de Iannæo quam supra retulimus. Si quis ergo nobis

nobis inter Christianos posterioris ævi ostenderit populos per seditionem reges suos destituentes, primores regni per factionem eos solio deturbantes, exercitus militari tumultu imperium eorum abnuentes, hæc exempla non ad regulæ novæ institutionem trahenda sunt, sed tanquam excessus à veteri regula notandi. Quot servi, etiam Christiani, dominos suos perfidiose necaverunt? Ita & Phocas dominum suum Imperatorem Mauritium vita & regno privavit, ut se regem faceret. Ita Theodorus Patricius Heraclium oppressit & oculis orbavit, postridie eandem pœnam in se expertus. Quomodo Imperator Christianus vetus filium ex se natum interficiendum curavit, & nostra ætate Rex æquè Christianus suum; quomodo denique sæpe pater extinguitur à filio, aut dominus à servo, ita & Rex à subditorum suorum aliquo, vel à pluribus per conspirationem consentientibus tollitur. Vt ab omnibus id fiat generaliter tantum nefas assensu suo comprobantibus, vix dari potest, nisi rex omnium subditorum simul semelque exterminandorum mentem induat, et se id conari profiteatur. Quod nec ipsum datur. Ne Nero quidem cum hostis esse videretur generis humani, & monstrum hominis hominibus perdendis natum, ita omnium odium incurrit, ut volentibus universis, qui sub Romano Imperio erant, mors ejus acciderit. Quinimmo cum talis esset, qualem vitæ ejus memoria demonstrat, *Non defuerunt tamen*, teste Suetonio, *qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent, ac modo imagines prætextatas in Rostris proferrent, modo edicta quasi viventis, & brevi magno inimicorum malo reversuri.* Sed nec illis qui ab ipso defecerunt impune cessit rebellio, cum Galliæ primo desciviſſent

duce

duce Iulio Vindice, qui paulo post occisus est. Galba deinde cum Hispanis rebellavit, qui & ipsi succesſit. Sed mox & is pœnas dedit, cæsus ad arbitrium Ottonis, qui & imperium post eum arripuit, nec meliorem exitum fecit. Sed isti non Christiani qui tamen judicem Deum ſenſere & vindicem perpetrati à ſe ſceleris ac rebellionis, vel parricidii potius. Vltimus primæ ſtirpis Galliæ regum, ab ordinibus regni deſtitutus, detonſus, in monaſterium detruſus ſolium alteri occupandum reliquit. Sed quales illius temporis reges? Excepto nomine nihil habuere quo reges eſſe credi deberent aut poſſent. Majores domus, qui erant Aulæ præfecti, omnia arbitratu ſuo adminiſtrabant rege inſcio & inconſulto. Ipſi verè ac re ipſa reges fuere. Non igitur difficilis & ardua res fuit, hæc tropica facere, ut qui de facto reges erant, nomen etiam regis aſſumerent, & qui nomen tantum haberent id amitterent cum ipſa re cujus appellatio fuit, ſociandum. Per factiones tamen id factum liquet ejus qui ſummam tunc poteſtatem & vere regiam in regno obtinebat, cuique proclive adeo fuit, cum omnia poſſet, hoc etiam facere poſſe, ut rex ignavus & iners ſibi throno cederet. Quæcunque ſimilia his exempla ex omni Chriſtianæ antiquitatis memoria produci poſſunt, aut ex omnium gentium quæ reges habuere archivis promi, non enim decrevimus per ſingula diſcurrere & omnia vaſaria excutere, pari reſponſo repercuti debent, factum ea nempe continere improbandum, illicitum, illegitimum, à regula excedens, à diſciplina, immo & à fide Chriſtiana alienum: nec hoc tantum, ſed etiam cum jure gentium, & cum naturali lege diverſis frontibus pugnans. Sic fœminæ ſolent monſtra parere cum in his natura tenorem non ſervat,

ſervat, & ultra citrave legitimum formandi fœtus modum conſiſtit. In ea de qua agimus quæſtione, ſi prodigia quæ in omnibus ſæculis & omnibus gentibus evenerunt, perfidioſe ac parricidaliter trucidatorum regum, colligamus, nullum huic Anglicano conferendum portentum reperietur, cum ſceleris ipſius qualitate, tum perpetrandi modo.

CAPVT VI.

HInc alius & major quidem argumentorum mihi ſurget ordo, quibus demonſtretur Regum ſanctitatem inviolabilem eſſe, & à nulla altera niſi divina poteſtate pendentem. Hactenus quippe abundè teſtimoniis, autoritatibus & exemplis ad hoc probandum pugnavimus quæ ex jure & uſu gentium ac diſciplina omnium ſæculorum petita ſunt. Nunc alio genere probationum id evincemus, quæ utique oſtendant non aliter conſtare rationem regii regiminis niſi ſui juris ſit & ſuæ poteſtatis, id eſt non aliam niſi ſuam reſpicientis, ſimulque quicquid contra hæc Sophiſtæ hodierni & rebelles populi cavillantur, refellemus. Inter illa quæ conſtituunt hujus adminiſtrationis ſtatum qui ab unius nutu ſuſpenſus eſt, primum locum obtinet, quod Rex à nemine judicari poteſt niſi à Deo, & nulli niſi Deo actuum ſuorum rationem reddere tenetur. Nam ſi is qui rex eſt ac dicitur, poſtulari poſſet apud aliam poteſtatem, eam omnino regia majorem eſſe oporteret. Quæcunque autem major ſtatuetur, hanc vere regiam dici & eſſe neceſſe eſſet, non illam quæ minor habetur. Sic enim definiendum, quæ poteſtas ſumma ſit in gubernanda republica, ſi ſingularis ſit & ſupra eam nulla agnoſcatur alia, non

non alio eam nomine venire posse quam Regiæ, quia si altera superior fingatur ea omnino debeat regia potius appellari, quam illa quæ majori supposita est. Hoc autem iret in infinitum, quærentibus semper quo nomine esset vocanda illa suprema omnium potestas quæ regibus, & regum regibus imperitaret. Multa quippe hoc modo regum veluti tabulata & fastigia, alia aliis superstruenda, in altum exirent. Quæ res & fine & modo careret. Inde igitur concludimus, si quis in administratione reipublicæ constitutus est qui ab alio possit judicari, eum vere regem non esse, nec ita appellari debere, sed illum propriè qui judicat de omnibus & à nemine judicatur. E contrario si detur nullum esse regem qui non possit à populo suo judicari, eo ipso qui hoc dixerit, fateatur oportet nullum esse regimen quod regale queat nuncupari. Qui autem regibus ipsis imperabit & eos judicabit quo illum nomine censebimus appellandum? Plus sanè quam regium jus ejus erit, sed nomine proprio talis potestas carebit, si negabitur sub regis appellationem cadere, quicunque summum & regibus ipsis imperans obtinebit imperium. Si populus est qui ejusmodi potestatem habeat, ut secta perduellium Anglicanorum autumat, communi quidem & olim recepto vocis usu, rex populus fuerit, & regia dominatio erit vocanda quæ per eum exercebitur. Sed quia hoc vocabulum *Regis*, minorem populari potestatem designat secundum rebelles Anglos, quomodo hujusmodi status appellandus sit in quo populus plus quam Rex potest, incertum erit, nisi dicamus, in ea regendi conditione populum *Regem regum* nominandum esse, ut olim Parthorum & Persarum reges sese inscribebant. Sic in singulis regnis

regnis populus *Rex regis* erit appellandus. Cæterum si in omni statu, quicunque dabitur, sive Regalis, sive Popularis, sive Optimatium, populus summam rerum obtinebit, ut fanatica disciplina sancit, nulla erit distinctio Rerumpublicarum ex regiminis diversitate, qualem veteres omnes summo consensu posuerunt. Nam si in regali etiam statu populus rege major est, rex populi minister ubique sit oportet, & in populi potestate. Nec magis quippe ipse populus in eo statu, qui proprie popularis dicitur, dominus fuerit, nec etiam magis in illo qui ab optimatibus nomen sumsit. Cum omnis ætas hæc tria genera status quibus Respublica constituitur agnoverit, nova doctrina Enthusiastarum nullum discrimen in illis admittit, sed omnem Reipublicæ statum decernit esse popularem, quia in regali & optimati non minorem habet potestatem populus, quam in populari ita proprie dicto. Nam cur popularis dicitur? An non quia populus ad arbitrium suum & libitum in eo creat magistratus & abdicat? Delinquentes coërcet & punit? At idem in regali juris obtinet, si Entheatam furiosorum Vatum turbam audiamus, dum reges quando vult expellit, alios instituit, aut si velit, de regali popularem statum facit. Quæ statuum genera, eo modo, non alia ratione invicem different, quam quia in regali primus magistratus appellatur *Rex*, in populari vel est *Consul*, vel *Duumvir*, vel *Triumvir*, vel alio nomine: in optimati, *Optimates* & *Proceres*. At quid vetat & in populari *Consules* & *Duumviros* civitatis appellari *Reges*, cum illi qui reges proprie appellati sunt in regimine regali, æquè ad nutum populi abjici queant & mutari, ut in populari Reipublicæ forma illi qui *Consules* vel *Duumviri* nominabantur? Pari ratione & re-

ges ipſi pro conſulibus aut duumviris tam re quam nomine haberi debebunt, quia reſpectu populi non plus poſſunt reges quam duumviri; cum Reges primi tantum magiſtratus locum habere exiſtimantur, ut habent conſules & duumviri in libera Civitate. Fruſtra igitur Seneca in Epiſt. XIV. tria illa genera ſtatuum antiquis cognita ita deſcribit: *Interdum populus eſt quem timere debeamus: interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt ut plurima per Senatum tranſigantur, gratioſi in ea timeantur viri: interdum ſinguli in quibus populi poteſtas & in populum data eſt.* Naſo adunco ſuſpendent hos timoris diverſos gradus & differentias Anglicani prophetæ, & deliraſſe Philoſophum arguent, vivoque, ſi eum tenerent, caput ſecarent, qui populum dicat eſſe timendum in populari ſtatu, & Regem in regali. Quaſi non æque formidandus ſit populus in regali quam in populari, quia rex ipſe qui regit populum, debet eum metuere à quo regi debet, & ad cujus libidinem deponere ſceptrum neceſſe habet, immo & caput ſub carnifice ponere, ſi ita populo videatur. Saniore nempe ſententia ducti doctique milites doctores affirmabunt, unum eſſe & unicum in genere popularem ſtatum; cujus ſint tres modi: unus qui reges conſtituit, id eſt ſingulos, ad rem ſummam gubernandam: alter qui paucos, nimirum optimates: tertius qui plures è plebe quos velit, in annum aut per ſingula biennia mutandos. In omni ſtatu, quicunque dari poteſt, populum imperare, regnare, dominari, quia imperia donat & regna, & quia quando libet, aufert data. Non jam ergo per Deum reges regnare, ſed per populum. Non in Dei manu cor & vitam Regis eſſe & ſalutem, ſed in populi poteſtate. Non à Deo reges conſtitui & deſtitui, ſed à populo, quia po-

populi eſt & regalem, & optimatem, & popularem reipublicæ ſtatum componere. Atque, ut philoſophi dicunt animam corpus informare, ita populum, qui anima eſt Reipublicæ, eam ut vult & eo modo quo vult formare, reformare, vel etiam deformare poſſe, nunc optimatibus regendam permittendo, nunc plebi adminiſtrandam, nunc regi, id eſt uni magiſtratui, gubernandam. Hæc eſt fanaticorum Angliæ de regibus, & regendi diverſis generibus in republica ſententia & doctrina, quæ omnia ad populum revocat, ut ad fontem & originem totius poteſtatis & autoritatis, quæ leges rogat & abrogat, quæ pacem & bellum ſancit, quæ fœdera firmat, quæ religionem dirigit, Eccleſiamque cum republica regit. Fruſtra igitur ſunt ſecundum hanc Enthuſiaſtarum regulam, qui docent Regum primam & efficientem cauſam eſſe Deum. Aut mediatè, ut loquuntur, aut immediatè à Deo eos conſtitui Mediatè, cum per cauſas ſecundas, id eſt hominum miniſteria eos creat, ut vulgo fit. Et hæc ordinaria regum electio. Immediatè, cum ipſa cauſa prima, id eſt Deus, non miniſtrante ſecunda, id eſt hominibus, eos populis imponit, ut Saulem & Davidem fecit. Quæ extraordinaria eſt Regum à Deo conſtitutio. Nullam harum agnoſcunt Fanatici Angli. Sed quicquid illi perditi homines dicunt ac docent de populari adminiſtratione, cui alia omnia vindicant gubernationis genera, ad populum decipiendum pertinent, cui fucum hoc modo faciunt. Nihil enim minus revera cogitant, quam ut populum ipſum populis imperio regendis deſtinent, nihil etiam minus præſtant. Forma regiminis quam introduxere, plane nova eſt & priſcis inaudita. Non popularis eſt, non regalis, non optimatum, ſed militaris. An hoc negabunt?

gabunt? Res ipſa ſi negent, eos convincet. Quis ordinem procerum è Parlamento ejecit? An populus eſt? Miles hoc fecit cum ſuis ducibus. An populus plebejum ordinem domus inferioris, id eſt populum, parte ſua meliori mutilavit, alios fugando, alios in carcerem conjiciendo, ſolis illis relictis, qui militarem iſtam probabant, aut probare ſimulabant, dominationem? Hoc duces fecere cum ſuis militibus. Quis regem de carcere in carcerem traduxit? Quis juſtitiæ tribunal ad eum capite damnandum erexit? Quis ad cauſam capitis eum, tanquam reum, dicendam adegit? Quis poſtremo condemnatum carnifici tradidit? Num populi hoc facinus? Num alicujus qui à populo hanc poteſtatem acceperit? Militum & Ducum factionis hoc factum fuit. Quis nunc Angliæ populum jure pluſquam regio regit? Quis tributa illi imponit? & longè quidem graviora quam ullus umquam Rex impoſuit? Quis cives Londinenſes exarmavit? Quis cathenas, quibus urbis plateæ claudebantur, abſtulit & in turrim abdidit? Quis urbem armatis complevit? Quis ærarium publicum diripuit? Num populus? Militis hæc ſunt omnia, qui ducum ſuorum juſſu hæc perpetravit. Quis concilium illud ſupremum inſtituit, quod ipſi Parlamento leges nunc dat, & ex quibus eſt compoſitum? Inſcium rerum eſſe oporteat qui neget à militum ducibus eſſe conſtitutum, aut ex militaribus viris conſtare. Quis nuper expeditionem in Hiberniam ſumpturus Londino egreſſus eſt triumphantis habitu, regali pompa, ſexjuge curru vectus albentibus equis tracto, quadraginta carrucis comitantibus, ſtipatus octoginta nobilium ſatellitio? Nonne unus ex ducibus, qui non à populo hanc accepit poteſtatem ſed à militibus & militari conſilio? Quibus

bus igitur perſuadebunt id quod ipſis in labris natat, penes populum ſummam eſſe regiminis, cum tyrannidem exerceant duces exercitus, populumque ipſum duro & intolerando ſervitio premant? Hi tamen hac offa imaginaria populum latrantem demulcent, dum verbis ei poteſtatem adſtruunt quam re deſtruunt, totam militibus eorumque ducibus aſſertam. Niſi ſtultos inveniant & ſtolidos ſcelerati iſti latrones, nemini ſano hanc mentem immittent, ſibi placuiſſe popularem gubernandi rationem, quam omnibus modis exterminatam peſſundederunt, ut militarem ſolam ſtabilirent. Exemplum hoc illis video arriſiſſe è Reipublicæ Romanæ ſtatu cum peſſimus fuit, & nequiſſime adminiſtratus. Primum Romæ mos fuit in ipſa tantum urbe Imperatorem creari ſi quando imperium vacaret, cujus eligendi jus competebat Senatui populoque Romano. Ab Auguſto lex quidem de ſucceſſione inter prima imperii fundamenta & firmamenta ſancita eſt, ſed ubi ſucceſſio ſtirpis Cæſareæ in Nerone defecit, reddita exinde eſt quodammodo Senatui populoque poteſtas quam lege illa ſucceſſionis amiſerat, novi principis ſubſtituendi in locum ejus qui deceſſerat. Cum igitur hoc jus ad Senatum pertineret, & in urbe ipſa qui ſummam rerum teneret eligendus eſſet, exercitus qui à Nerone deſciverant Imperatorem Galbam fecerunt. Iam ante in Claudio militaris hujus electionis exemplum proditum fuerat, cum poſt mortem Caligulæ Senatus de aſſerenda libertate cogitaſſet, & de abolenda Cæſarum memoria. Sed cum jam miles Claudium in caſtra raptaſſet, & intra vallum receptum tumultuario juramento in concione Imperatorem feciſſet, Senatu ſegnius agente, qui cum conſulibus forum & Capitolium occuparat

asserturus communem libertatem, & multitudine populi quæ circumstabat unum rectorem jam nominatim poscente, sic non solum libertate penitus in posterum excidit, sed etiam jus faciendi principis prorsum amisit, quod ab eo tempore penes militem esse cœpit. Vnde causa exstitit tot seditionum, discordiarum & motuum, qui deinceps Rempublicam Romanam vexarunt, & miserum in modum discerpserunt. Antea lex Imperii fuit, non debere aut posse extra Romam, nec citra Senatus populique Romani arbitrium, Principem fieri. Vbi vero milites per seditionem & defectionem ducum à quibus regebantur, in Provinciis hoc jus sibi vindicarunt, in legem traducta licentia, tum invaluit hæc pestifera & exitialis imperio disciplina posse ab exercitu principem fieri. Hinc prima, ut dixi, mali labes & totius imperii postrema ruina veluti in præcipitium lapsi, certusque interitus natus est. Quis enim enumerare fando valeat clades ac miserias quas imperio peperit hæc firmata longo usu, quasi jure, licentia militaris? Sed hoc non agimus, & res per se è monumentis Historiæ Romanæ clara est. Quod nunc agendum est, non ita patet, Nempe ut comparemus Romanorum militum in eligendo principe ad Imperii perniciem tunc introductum morem, cum hoc nefario Anglicani exercitus parricidio, quo Regem suum securi percusserunt, non dissimili quidem furore & scelere quo Romanæ illæ Caligæ suos quoque principes sæpe destituebant ut alios constituerent, sed longe immaniore insania. Ex hac sanè utrorumque comparatione dilucebit, quanto isti barbariores Romanis, & in omne facinus proniores. Romani exercitus ubi principem aliquem sede sua ac statione dejecerant, ut in alterius verba jura-

jurarent, non hoc agebant ut reſpublica ſuo rectore careret, ſed pro illo quem nolebant, alium ſubrogabant qui magis placeret. Vno avulſo non deficiebat alter. Eum quem creaverant pro legitimo Principe agnoſcebant, ei parebant, ſummam poteſtatem attribuebant, jus vitæ ac necis in ſe & in ſuos, ut in alios ſubditos, dabant, non revocabile eſſe credebant quod dederant. In ſumma nulla in re ſic datum imperium differebat ab eo quod Senatus Populique decreto delatum foret, quantum ad jus ipſum & poteſtatem, eamque exercendi modum & finem. Si quid erat diſcriminis, in perſona tantum dantis, non in accipientis conſiſtebat. Quippe cum iiſdem conditionibus ac legibus acciperet à militibus imperium qui ab his fiebat Princeps, quàm ſi à Senatu Populoque factus eſſet. Ea de cauſa, nec militaris iſte ſtatus appellabatur, quamvis milites principem Reipublicæ dediſſent. Haud ſane magis quam popularis, cum populi judicio principis electio ſtabat. Quin nec miles ipſe imperium ſibi retinebat cum illud dabat, nec populus. Neuter enim imperabat, ſed ille quem ad imperandum elegerant. At in Anglicano rerum ſtatu qui nunc obtinet, milites ſunt qui regnant, & militare revera imperium eſt, quale numquam ex omni ſæculorum memoria viſum vel auditum fuit. Populare eſſe tam falſo jactant, quam verè militaris eſt Reſpublica in qua ne in ſpeciem quidem imaginaria poteſtas populo relinquitur, ſed tota ducibus exercitus aſſeritur, qui & judices ſunt, & reges, & quicquid eſt in regnando ſummum, vel uſque ad tyrannidis ſpecimen & effectum. Romani milites ubi Principem conſtituerant, Senatui ſuam libertatem & autoritatem ſalvam in cæteris permittebant, excepto jure creandi Im-

peratoris quod ſibi vindicabant. Anglicani milites Senatum primum ſua autoritate & prærogativa in omnibus privarunt, optimates qui in eo erant partim capite damnaverunt, partim in ordinem redactos cum plebejis unam domum facere coëgerunt, alios in vincula dederunt, alios exilio multarunt. Putes eos, ut plebi faverent, nobilitatem exautoraſſe? Non plebejo ordini Parlamenti æquiores fuerunt, magna eorum parte Senatu mota, & urbe expulſa. Pro Parlamento caligatam Curiam compoſuerunt, cui præſident Duces Bardaïci, iidemque Angliæ tyranni. Milites Romani regem à ſe factum colebant, venerabantur, purpuram ejus adorabant; inviolabilem & ſanctam ejus Majeſtatem conſervabant, in omnibus ſe ei dicto audientes præbebant. Vnde & Valentinianus cum à militibus Imperator factus fuiſſet, & ab eo peterent id quod ipſe iis nolebat concedere, ſic eos apud Sozomenum in Hiſtoria Eccleſiaſtica increpat: *Vt me ad vobis imperandum elegeretis in veſtra ſitum erat poteſtate, ô milites, at poſtquam me elegiſtis quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi quæ facienda ſunt cogitare.* Non minorem itaque poteſtatem habuere creati à militibus principes, quam à populo. Anglicani milites, novo & inuſitato exemplo regem ſuum interfecerunt, non ut alium facerent cui ſubjicerentur, ſed ut omnia ſibi ſubjicerent; non alia ratione quam ubi populus dominatur in populari ſtatu. Vt enim popularis dici non poteſt ſtatus is in quo regi poteſtatem dedit populus, ſed ille in quo ipſe habet, ita nec militaris tunc erat Reipublicæ ſtatus in quo milites Principi dabant imperandi jus, ſed in quo ipſi imperabant. Talis eſt hodiernus Anglicanus, nova for-

forma procusus, & nova moneta percussus, cuique similem nulla umquam sæcula viderunt. Apud Turcas etiam hodieque Prætoriani milites, Ianissarios vocant, ut illi antiqui Romani, Imperatore per seditionem sublato, alium per tumultum eligunt ex eadem Domo Ottomanidarum, nec sibi imperium arrogant, quod isti Anglicani latrones fecere, quos nuper accepimus in Alba Aula quod est regis Palatium, consessum habere cœpisse magnifico & regali apparatu ornata, & aulæis impensi pretii decorata. Non alio igitur nomine vel titulo donari potest status hic Reipublicæ ab illis constitutus quam militaris, quia milites cum ducibus suis & tribunis in eo regnum possident. Vt enim in populari, quod ait Seneca, *populus timetur*, ita in isto duces militum timeri debent, per quos omnia geruntur, aguntur, & reguntur. Si in regali, ut ante diximus, etiam populus timendus est, quia supra regem sit, cujus tollendi, cum velit, potestatem habet, nullam sic fuisse oportet inter regalem & popularem differentiam. Magna tamen fuit totius antiquitatis judicio, & omnium quæ umquam Reges habuere, nationum consensu. Videndum itaque quid interfit regalem inter statum & popularem, si modo rex potestatem quam habet, populo acceptam referre debet. *Interdum populus est*, inquit Seneca, *quem timere debemus, interdum singulos quibus potestas populi & in populum data est.* Hic Regalis est status, cum regi populi potestas & in populum data est. Ergo ille popularis sit, in quo populus habet potestatem, nec in eum quisquam, id est, ut ait Seneca, *in quo populus timeri debet.* Non timetur in Regali, quia populi potestas in populo amplius non est, sed in rege qui à populo eam accepit. In populari itaque

que ſtatu populi eſt poteſtas, in regali populi fuit. Nunc regis eſt, qui in populum eam habet, quamvis à populo. Sed dicent Bellonarii Vaticinatores, ſi à populo eſt, ergo eſt populi. Æque hoc idem dici deberet de Imperatoribus Romanis qui à militibus fiebant. Atqui non militis hæc erat poteſtas, ſed à milite dabatur in milites ipſos, ut & in reliquos ſubjectos è populo. Quod ſtatuemus ergo diſcrimen popularis ſtatus & regalis, cum in utroque à populo poteſtas, velut ab origine, veniat? Hoc certe erit. In populari penes populum poteſtas manet, in regali à populo in regem transfertur. Populi eſſe definit, ubi regis eſſe incipit. Dicet fanatica natio, ita in regem à populo tranſire, ut ad populum poſſit redire, immo & debeat, quandocunque hoc velit, aut ſi ita expedire judicet bono ac ſaluti Reipublicæ. Atqui ſalus Reipublicæ ſemper poſtulat, ut data à populo Principi poteſtas numquam ad populum revertatur, qui ita eam deponit, ut principem ſemel illa donatum non privare poſſit in poſterum dato imperio. Quippe cum ad ſalutem populi reperta ſint omnia genera gubernationis quibus reſpublica conſtituitur & adminiſtratur, boni publici maxime intereſt, ut poteſtas à populo Regi ſemel conceſſa & donata, numquam revocetur. Niſi enim hoc eſſet, & ſi pro lege id obſervaretur, ut quotieſcunque populo placuiſſet, imperium regi, quem elegiſſet, ablatum ad populum rediret, nulla pax umquam firma in Republica ſperari poſſet, ſed ad ſingula momenta quies ejus turbaretur, omnia ſeditionibus & factionibus arderent, fomitibus ſubinde in faces ad totius ſtatus conflagrationem ſuppeditandis. Numquam certè deeſſent turbarum incentores, qui privata ambitione ducti &

cti & regnandi cupiditate permoti populum prensarent, ambirent, eique persuaderent ut imperium illi qui tum dominaretur ademtum, sibi traderent, se longe melius quam illum esse regnaturos, se ad utilitatem ejus & voluptatem, quodcunque agerent, esse facturos. Quæ ut populus novitatis studiosus facile audiret, ita inde facillime in bella intestina moveretur. Numquam enim hæ mutationes & conversiones in Republica sine aliqua clade & insigni calamitate populi eveniunt, quamlibet de priore domino in meliorem regnum transeat, ut sæpè malus princeps loco suo mansurus, optandus magis videatur, quam bonus in locum ejus sumptus, propter mala quæ ex tali mutatione vel statu ipsius, vel solius dominantis, solent accidere. Cum igitur salus populi suprema lex in his esse debeat, eadem causa quæ postulat populum non esse sine aliquo rectore, etiam omnimodo flagitat, ut rector non facile mutetur, nec de regendi forma diu recepta in aliam cito migretur. Eapropter lex hæc ad æternitatem in imperiis fixa & fundata videtur, ut in regio statu si potestas in regem à populo transcribatur, irrevocabiliter ista fiat donatio, nec ad libitum dantis irrita aliquando fieri queat. Si enim quoties libido populo incesserit potestatem à se rectori suo datam revocandi, id etiam jure suo facere possit, nihil tum esset discriminis inter popularem & regalem statum, nisi hoc; quod in regali singuli rectores constituuntur, in populari plures. Vtrobique magistratus is esset populi qui rempublicam ejus nomine administraret, rex in monarchia ad arbitrium plebis abdicandus, consules aut duumviri in Democratia per plebem similiter abrogandi. Sic Monar-

chia non differret à Democratia niſi numero perſonarum quas populus ſibi ad rem ſuam gubernandam deligeret, cui ſingularitas in Regali regimine placeret, in Democratico ſtatu pluralitas. Temporis etiam, ſi fortè, æſtimatione aliqua inter regem & magiſtratum popularem conſtaret differentia. Nam ubi populus imperium habet, conſtituere ſolet magiſtratus per quos regatur, qui ſtato tempore poteſtatem deponant, in quorum locum alii deligantur, qui pari ſpacio eam teneant, quo finito cedant, aliis deinde ſedem vacuam relicturi plebis ejuſdem ſuffragio creandis. Pleriſque civitatibus annuos eſſe tales magiſtratus receptum olim fuit. Romæ Conſules in annum creabantur. Athenis & in aliis Græciæ minutis Rebuſpublicis idem tempus popularibus magiſtratibus ſtatutum erat. Euripides in Theſeo, quem ſic inducit loquentem:

——— ὁ γὰρ ἄρχειν
Ἑνὸς φεύγει ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
Δῆμος δ' ἀνάσσει λαχὼν ἐναλλαὶ ἐν μέρει
Ἐναυσίαις.

——— *non enim jugum*
Patitur ſub uno civitas, ſed liberam
Populus gubernat regis inſtar, per vices
Solitus in annum dignitates credere.

Hoc autem ideo inſtitutum, quando populus regnat, ut annui ſint magiſtratus, ut unuſquiſque ex plebe honorum particeps eſſe poſſit. Nam ſi dignitates ad totum vitæ tempus ſingulis mandarentur, non tam multis communicari eas facile foret. Et notandum eſt, poëtam philoſophum dicere in libera civitate, quales Athenæ tunc fuere, populum regem eſſe, ubi nempe populus plus poteſt, aut ut ait Seneca, timendus eſt. Ariſtoteles τὸ πλῆθος ἄρχειν in ejuſmodi republica ſcribit,

bit, quæ populi arbitrio regitur, id est populum imperare. Ergo in regali statu non est populus qui imperat, sed unus, qui si ad arbitrium populi dominaretur, aut magistratum gereret, ut Enthusiastæ docent, deberet etiam ab ejusdem nutu pendere quantum ad regendi spatium quod ei præscriptum foret, attinet. Saltem definitum habere deberet temporis modum intra quem se abdicare potestate sibi à populo commissa teneretur. Ecce enim, in populi statu ut plurimum annui fuere summi magistratus. Si ultra annum prorogarentur, vel ultra aliud præscriptum ac legitimum tempus, à populo illa prorogatio dabatur, ut Romæ in provinciis regendis Proconsulari imperio. In urbe magistratus ultra statutum tempus non prorogabantur. Si igitur in regali reipublicæ constitutione populus eodem modo & pari jure, regem creare debet, ut in populari forma magistratum alium solet, & si is qui ab eo semel creatus est, æque pendet ab arbitrio populi, ut magistratus ab eodem positus; cur non & rex tempus similiter præfinitum regnandi accipit ab ipso populo? An hoc tantum ad jus regis pertinet ut quoad vivit, magistratum populi gerat? Si hoc dederint de magistratu illo summo qui à populo cum hac conditione constituitur, ut non finiatur ejus potestas nisi cum vita, & regis propriè nomine appellandum eum esse concedant, id quidem in ejusmodi regnis quæ electione deferuntur, potest locum habere, sed quid dicent de hæreditariis? Certè in populari civitatis statu numquam successio in magistratibus servata est, ut nempe patre decedente filius in ejus locum subrogaretur. Nam nec ita esse potuit, ubi quasi solemne & legitimum tempus obtinendæ potestatis observatum fuit, vel in an-

num, vel ad biennium, certe omnino cum aliquo fine, alio quam vitæ, præſtitutum. Si regia itaque poteſtas non differt ab ea quam habet magiſtratus popularis, quia utraque populi juſſu mandatur, nuſquam in regali dominatu ſucceſſio permitti debuit, quæ non conceditur in ea civitate ubi populus dominatur. Quinimmo ne quidem tam longum dari oportuit uni rectori tempus quam datum eſt pluribus, quia facilius in tyrannidem ſingularitas degenerat, præcipuè quæ vires colligere poteſt diutius regnando, affinitates contrahendo, ſocietates cum exteris ineundo, quibus efficiat ne cogatur invitus ſeſe abdicare magiſtratu, cum populus id repoſcat. An regi nullum ideo tempus eſt præfinitum gerendæ poteſtatis à populo, quia poſſit cum velit repetere ab illo jus quod commiſit? Cur non in populari regimine ubi populus propriè regnat, non ad hoc exemplum magiſtratus conſtituti ſunt ut certum eo honore fungendi tempus non haberent, ſed arbitratu dantis decedere poteſtate deberent, nulla cauſa aut ratione edita cur id faceret, niſi quod ita placeret, ut voluntas pro ratione eſſet? Mirum certe in omni civitate quæ populum habuit rectorem ſemper id obſervatum fuiſſe, ut magiſtratus gerendi ſtatum ſpacium eſſet ac lege limitatum, in regali quæ tamen æque à populo manare, & ab eo mandari creditur, non idem uſu veniſſe, ſed aut vitæ tempus datum eſſe in his quæ per ſuffragium mandantur, aut nullum, ut in his quæ per ſucceſſionem natorum in poſteros eunt. Cum hæc ita ſint, & cum perpetuo iſtud diſcrimen in Monarchia & Democratia ſervatum ſit, certè inde concludere neceſſe eſt, alio jure & alio fini conſtitutum eſſe regimen unius quod

Μοναρχικὸν appellatur, & populi quod eſt Δημοκρατικόν. Hoc quippe nomen accepit à populi dominatione, illud ab unius dominatu in quo populus nihil poteſt. Nam ſi æquè in utroque ſtatu populus dominus haberetur, genus Reipublicæ utrumque Δημοκρατίας appellatione donandum foret. In illo populus dominatur. Cur? quia magiſtratus à quibus regi debet, creat ipſe: in hoc in quo ab uno imperatur, hujus unius eſt magiſtratus facere, non populi. Sed ipſe eſt à populo factus. Ergo populus dominus eſt dominantis. Tanto magis ſic hæc Δημοκρατία eſſet quam μοναρχίαν vocamus. Nam & qui regi ſubſunt ſummi magiſtratus, poſſunt ſæpè & majores poteſtates creare. Nonne Conſul quem populus creaverat, Dictatorem dicebat qui major erat Conſulibus & populo, & qui in omnes ſummum imperium habebat, etiam jus vitæ & necis? Iam igitur explicandum, quanta ſit & qualis differentiæ ratio inter μοναρχικὸν & δημοκρατικὸν ſtatum; quamvis detur utrumque eſſe populi, diverſo reſpectu. Illud populi eſt & in populum. Hic populi tantum. In populum eſt ſingulare imperium, quia populus in eo regitur ab uno, non regit ſe ipſum, nempe per magiſtratus annuos quos conſtituit. Quin & ipſe dominatur in concionibus. Monarchia verò populi ſic eſſe dicatur, non quia populus in ea imperat, ſed quia à populo jus imperandi accepit ille unus qui in populum habet poteſtatem. Lege Regia Romæ ſic appellata conſtat tranſlatam à populo in unum dominationem. Ea lex, ut ſcripſit Vlpianus & poſt eum atque ex eo Iuſtinianus in Inſtitutis, de Principis imperio lata eſt, *quaque populus ei & in eum omne ſuum imperium conceſſit*. Ita ergo in populum data eſt principi hæc poteſtas à populo. Sed à quo? à Romano.

Et

Et de Auguſto omnino certum eſt, & propter Auguſtum latam illam legem fuiſſe, non autem cum urbe natam eſſe, nec de Romulo, ut infra dicemus. Non enim omnium regum poteſtas à populo ipſis fuit conceſſa, nec Romulus eam populo ſuo acceptam retulit, quia populum ipſe ſibi fecit, non populus eum regem. Si qui autem Principes ad illud exemplum cujus gratia lex regia lata eſt, imperium à populo acceperunt, non ita accepiſſe hoc videri queunt, ut magiſtratus qui à populo creatur poteſtatem ab eodem judicandi capit, aut ille cui ab ipſo rege juriſdictio mandatur, aut ſi quis imperium aliquod, aut jus gladii ab eo accipit, aut ut aliæ denique poteſtates quæ ab eodem conſtituuntur. Eodem quippe modo magiſtratus à Rege fiunt in Regali ſtatu, & à populo in populari. Vterque enim licentiam habet minores poteſtates & à ſe dependentes ordinandi, quas vel ad certum tempus conſtituit, vel ad vitam, ſed ita ut ſi delinquant, aut proditionis accuſentur, aut læſiſſe aliqua in re Majeſtatem Regis aut populi deprehendantur, dimitti poſſint & abdicari, & vita etiam privari, non tantum magiſtratu excidere. Ratio eſt, quia in eos ſuam poteſtatem non transſcribit Rex vel populus, ſed cum poteſtate eos creat vice ſua judicandi, & regendi, vel præſidendi. Vicariam eo modo & fiduciariam tantum habent poteſtatem, ut legati qui exercitui olim ab ducibus præficiebantur, qui in abſentia ſua exercitui præeſſent. At lege Regia populus omne quod habuit imperium, omnemque poteſtatem, in principem tranſtulit, ut in populum ipſum eam exerceat, eodem jure quo populus in privatos eam exercebat. Sic propria poteſtate ſe ipſum exuit populus, & regem

ea

ea donat, animo non eam recipiendi in posterum, sed cum irrevocabili concessione, vel traditione potius. Si repetendam eam, quotiescunque vellet, daret, aut propter aliquod crimen revocandam, non differret Rex à magistratu quem rex ipse, aut populus cum dominantur creat; in quem nec Rex nec populus totam suam potestatem transfert ad hoc ut dominium ejus in accipientem transeat. Potestatis autem hujus quam populus cum dominus est, aut quam Rex ubi eam à populo accepit, obtinet, hæc vis est & summa, ut judicari non possit ab alio cum omnes judicet. Non enim populus universus, cum dominationem habet, judicari potest ab illis quos in republica sua judices ordinavit, nec proditionis accusari, nec læsæ majestatis. Ratione quippe caret, ut populus collective sumptus se ipsum prodere velit, aut in se aliquid admittere offensæ & peccati, propter quod totus puniri possit & exterminari, nisi si una cervix omnibus detur, ut ille tyrannus olim populo Romano optavit. Ergo ubi propriam potestatem uni tradidit, nihil ex ea sibi reservat, sed eam omnem quamcunque habuit largitur, & sic eam quoque tribuit, qua judicari non potest ab ullo, sed omnes judicare. At potest populus universus æque se in alterius & unius potestatem & ditionem tradere ut singulis id licet. Vbi aliquis autem in servitutem se cuipiam vendidit aut subjecit, omnem in se illi domino potestatem concedit quam antea habebat, cum suæ potestatis esset & sui dominus. Lege etiam Hebræorum cuilibet licuit & jus fuit dominum adsciscere quem vellet cui libertatem suam suorumque addiceret, & servum se facere. Omnium pene gentium hic idem mos fuit, ut proinde juri naturali quodammodo

modo possit accenseri. Populi vero duplici modo in alterius arbitrium se dedunt, imperiumque in se ei tradunt, aut vi victi coactique, aut sua voluntate. Vtroque modo alienare suam potestatem intelliguntur, & in eum transferre plenum ejus dominium qui accipit, ut irrevocabiliter datum. Illi quibus vi rapitur, ut sunt qui armis subiguntur, etiam consensum suum victori accommodare solent, quo veluti volentibus imperare videatur. Præterea non omnes in eo populo qui se sub leges pacis iniquæ hosti suo subjecerit, victi & domiti bello intelliguntur, sed illi tantum qui arma gesserunt. Quibus cum reliqua pars imbellis accedere cogatur, ideo ut pax inter victos victoresque & concordia firmior coalescat, quasi fœdere, licet iniquo, ea sancitur quo leges victi accipiunt, victores dant, ut illi subjectorum loco sint, isti dominorum. Sic cum Augustus bello superior extitisset, armisque libertatem Romanorum oppressisset, quibus quo vellet modo leges ut victis imponere potuit, tamen lege Regia quæ ad hoc tunc lata est, populus Romanus omnem potestatem quam antea habuerat cum republica potiretur libera, transfudit in Principem. Renovata & in aliis Principibus ea lex, qui non jure hæreditario succedebant, sed de novo eligebantur, nihil pertinentes ad familiam ejus qui decesserat. Ita Tacitus scribit, *Senatum omnia principibus solita Vespasiano decrevisse.* Atqui Vespasianus vi occupavit imperium, ut & Augustus, militari judicio factus Imperator, & præter voluntatem Senatus qui postea assensus est, immo & ei decrevit omnia jura potestatis quam alii Principes habuerunt. Mos erat tum ut qui consentirent, in alicujus principis electionem, in verba ejus jurarent, & illi ipsi

qui

qui autores eligendi creandique fuerant, ad hoc juramentum adigebantur, ut ex Historiæ Romanæ scriptoribus passim liquet. De hoc ipso Vespasiano Suetonius: *Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Kal. Iulii. Qui principatus dies in posterum observatus est.* Et continuo: *Iudaïcus deinde Exercitus* v. *Id. Iul. apud ipsum juravit.* Vocat *Sacramentum* idem auctor in vita Galbæ, ubi *mutati Sacramenti* meminit, de ala quadam Equitum, quæ appropinquantem Galbam destituere conata est, quod ipsam pœniteret mutasse sacramentum. paulo post scribit, *Eumdem* Galbam *supervenientibus ab urbe nuntiis, ut occisum Neronem, cunctosque in sua verba jurasse cognovit, deposita legati suscepisse Cæsaris appellationem.* Ex quibus palam est longe aliter creatos fuisse legatos & alios magistratus tam civiles quam militares, à summa potestate, sive populi ea sit sive regis, aliter imperium à populo deferri principi solitum. Magistratus cum à populo vel à Rege creabantur, non jurabant in verba populi dominantis, vel Regis à quo eligebantur, sed si forte juramento se obstringebant ad leges servandas, & jus dicendum secundum leges. Cæterum tam populus ipse, quam milites in verba Principis jurare soliti erant, cum ei imperium deferebant & suam in eum potestatem transferebant. Qua vi sacramenti à populo & exercitu præstiti Principi electo, non poterant nisi summa cum perfidia, & rebellione damnanda, mutare juramentum quod ei præbuerant; non magis quam milites ubi sacramentum duci suo dixerant, numquam se eum esse destituturos, nec deserturos militiam. Longum igitur discrimen fuit inter magistratum à populo cum dominatur factum, & regem quem

idem

idem populus ſibi facit. Illum poteſt cogere ut ſe abdicet magiſtratu, & ſi proditionis, vel læſæ Reipublicæ reus fiat, capite punire, regem non item. Hoc eo fit, quia in magiſtratum non totum jus transfert, ſed in regis quem deligit gratiam omni poteſtate ſe exuit, ut eum illa induat. Vt Luna lucet alieno lumine quod à Sole mutuatur, ita magiſtratus pollet aliena poteſtate quam mutuam velut accipit, vel à Rege, vel à populo qui regit, eam cum repoſcetur mox redditurus. At Rex qui à populo eligitur, ita populi poteſtatem ſuſcipit in ſe, eamque veluti ſibi infuſam recipit & penitus induit, ut numquam poſtea exui ea queat, idemque patitur ac ſi Sol lucem quam habet totam deponeret, eamque in Lunæ corpus transfunderet, ita ut Luna in Solem tranſmutaretur, & Sol in Lunam. Ita vel vi coactus, ut dixi, populus, vel voluntate, quodcunque illi ineſt poteſtatis in eum qui ſe regem ipſe fecit, vel quem volens creat, tranſdere ſolet. Vtroque modo pari ſacramento ſe obligat populus ad ſervandam illi fidelitatem qui regium imperium accipit. Duobus his quippe modis etiam ſervi fiunt qui erant liberi. Aut enim in bello capiuntur & per vim ſervire coguntur, aut ipſi ſe ſua voluntate in ſervitutem ob pretium participandum, aut alia de cauſa, alicui addicunt. Non magis autem his licet quam illis ſe in libertatem invitis dominis vindicare. Et cum Paulus Apoſtolus ſervis præcepit ſubjectos eſſe dominis ſuis, non reſpexit magis hujus quam illius generis ſervos. Nam ex utroque genere tum multi ſervitutem ſerviebant, vel in ſervitute erant. Rapta quæ raptoris nuptias optaverat, ut olim lex fuit, non minus legitima ejus uxor fiebat à quo per vim abducta fuerat & com-

compreſſa, quam ſi voluntate parentum & propria viro tradita fuiſſet, ſed conſenſus raptæ ſuperveniens in hoc valebat, quamvis vim paſſa foret, ut legitimæ eſſent nuptiæ. Idem de eo dicere licet qui per vim in victos occupavit imperium, conſenſu quippe populi accedente qui non poterat non conſentire, firmatur in victore regendi poteſtas, quæ legitima evadit haud ſecus quam ſi populus ſponte ſua ei detuliſſet imperandi jus. Sic tranſlata in aliquem regalis dominatio, earum rerum naturam induit, quæ ſemel datæ poſtea revocari non poſſunt. Vbi pater filiam marito in manum dedit, paternam poteſtatem in natam habere deſinit, vir habere incipit, aliquantum tamen immutatam, re & nomine. Quinetiam in uxores, ſi quid deliquiſſent, viri olim jure Romano hoc jus habuerunt, ut de his judicium ferre, eaſque condemnare poſſent. Lege etiam naturali quam Deus in homine creando ſanxit, mulier patrem & matrem relinquere jubetur ut viro ſuo adhæreat. Pater naturalis qui filium in adoptionem alteri dederat, jure ſuo cedebat paternæ poteſtatis, eaque in adoptivum patrem transferebatur. Et ſic in novam familiam & alia ſacra adoptatus tranſibat. Qui minus autem regi, ubi à populo regimen accepit, id in perpetuum poſſidere fas eſt, nullo judicio vel damnatione deſtituendus quam Pontifici Romano poſtquam Papa factus eſt à Cardinalium Collegio? Ajunt quippe & pro fide non dubia tenent Papam à nemine judicari, cum omnes judicet, ac proinde non poſſe deſtitui, nec Papatu, quandiu vivit, expelli, aut gradu dejici. Vnde hanc illi prærogativam datam dicemus? An ex Epiſcopatu habere? Atqui, quatenus Epiſcopus, etiam dignitate exui

exui poteſt ac degradari ob crimen, quia omnes Epiſcopi olim nec pœnæ immunes nec cenſuræ, ſi quid peccaſſent, per canones Eccleſiaſticos fuere. Dignitas itaque Epiſcopalis cum ob delictum poſſit amitti, certum eſt & Papam, quatenus Epiſcopum, ſede ſua depelli poſſe & honore. Ergo ubi regale illi & principale faſtigium acceſſit, immo ubi ſupra reges & principes evehi cœpit, idem quoque jus quod principum regumque proprium eſt, ſimul accepit, ut à nemine judicari poſſit, nec condemnari. Tanquam Petri Apoſtolorum coryphæi ſucceſſor, non poteſt hoc ſibi ſumere, quod ipſe Petrus cui ſe vult videri ſucceſſiſſe, numquam jus habuit, numquam ſumſit. Nam & ipſe & alii Apoſtoli numquam judices ſederunt, ne in privatorum cauſis quidem, nedum in reges & principes hanc licentiam uſurparunt. Quin è contrario tribunalibus Principum ſæpe adſtiterunt, verberandi, gladio puniendi, comburendi, cruci affigendi, & aliis ſuppliciis afficiendi, qualiacunque judicis ſententia in eos decreviſſet. Ergo ubi regalem induere potentiam, etiam jus regium ſimul ſe accepiſſe crediderunt, ne judicari poſſent. Quod jus ubi à ſe populus in regem quem ſibi ſumpſit aut fecit tranſtulit, rex id habere incipit, populus vero non habere, quod ante habuit. Vt enim populus, καθ' ὁμοίωσιν ſumptus, cum ſuæ poteſtatis eſt & ſui juris, non poteſt à quocunque judicari, ita quando in alium hanc ipſam poteſtatem tranſtulit, tum ille jure quod populi fuit fruitur; nec poteſt à quoquam judicari. Nec dici hic poteſt, quod quidam tanquam validum telum intorquent, eum qui conſtituit, ſemper majorem videri debere illo qui conſtituitur. Ita ergo regem qui à populo conſtitutus eſt, eo ipſo tanquam

quam minorem constituente censeri oportere, quia populo debeat id quod sit. Qui sic ratiocinantur quærant à Romano Pontifice an hoc argumentum in se valere velit, & ideo minorem Cardinalibus se esse habendum quod ab illis creatus sit. Aliud dicturos eos esse opinor. Milites qui imperatorem vel ducem in bello sibi legerunt, numquam ut ei parerent in animum possent inducere, si hæc sententia valeret, utpote superiores eo quem elegerint. Consul qui Dictatorem dicebat, non solum populo universo superiorem eum constituebat, sed etiam se ipso. Nam & Consulem à quo creatus fuerat, æque occidendum poterat mandare ut alium de plebe quemlibet. Nec poterat idem qui à Consule Dictator dictus fuerat ab eo destitui, antequam tempus Dictaturæ ejus exiisset. Clerici quem creaverunt Episcopum non possunt degradare. Et sane ita rerum natura postulat ut qui potestatem in perpetuum ac plenam ab aliquo, qui potest dare accepit, non possit nec debeat repetenti eam reddere; quia jus hoc non retinuit ille à quo potestas illa in alium transfusa est. Si enim hoc obtineret, omnia in irritum caderent, nihilque eorum umquam firmum ac stabile posset permanere, quæ simili ratione gesta forent. Quid opus esset aliquem constitui aut principem aut Regem, si constituens retineret potestatem ejus quem constituisset, destituendi quando vellet? Omnia paulo momento mutarentur ac turbarentur, & nusquam tuta pax esset, aut tranquillitas reipublicæ vel ecclesiæ secura. Donatio potestatis jure vocari potest id quod simili modo agitur, quæ ad nutum dantis non potest revocari, sed hæret perpetua penes illum qui accepit. Aliud est cum aliquis qui superior est, manere semper

per vult ſuperior, atque ita dat ut quod dat non amittat, quia tunc ſua poteſtate ſe non exuit, ſed quamcunque aliam poteſtatem conſtituit, eam ſibi ſubjici vult, & à ſe pendere. Sic populus qui liber eſt dum magiſtratus creat, non transſcribit in eos totum ſuæ poteſtatis jus, ſed imperium ſuum ſibi retinet, vimque eos conſtituendi & deſtituendi ad libitum. Nam, ut magiſtratus ille quem ſibi legit populus, populo major ac ſuperior non eſt; ita cum Rex rectores provinciarum nominat, non majores eos ſemetipſo facit, nec illis in ſe ſummum imperium committit. Cum juriſdictionem alicui mandat, non eo ipſo illum ſuperiorem ſe eſſe ſtatuit. Cum Tribunalia ſumma, quæ *Parlamenta* vocantur, à rege inſtituta fuere ad jus reddendum ſubjectis, quamvis poteſtatem eis ſine provocatione judicandi conceſſerit, non tamen intellexit eos de ſe judicare poſſe, aut eorum juriſdictioni ſe ſubmittere. Aliud eſt cum populus poteſtatem ſuam in alium transferens, nihil ſibi ejus reliquum facit, ſed totam tranſmittit cum omni jure, cum toto, ita dixerim, pulviſculo, quam habuit. Tum quod erat eſſe deſinit, & eum cujus in gratiam ſe ſua poteſtate privavit, id vult eſſe quod fuerat, ſine ulla in poſterum revocatione talis donationis. Quod in omni adminiſtratione tam civili quam eccleſiaſtica ſemper ita obtinuit, ut de juris naturalis fontibus quodammodo profluxiſſe videatur. Nuſquam enim legimus ab iiſdem qui conſtituerunt aliquam ſupra ſe poteſtatem qua regerentur, eam fuiſſe deſtitutam. Cardinales Papam non deſtituunt, nec clerici Epiſcopum, nec milites belli ducem. Nam qui à Clericis creatus eſt Epiſcopus non poteſt niſi à Synodo Provinciæ dejici. Papa quia regiam vel majorem regia poteſtatem ſibi quaſi jure divino vin-

vindicat, ne à Synodo quidem universali, id est ab universo Christiano populo, se judicari posse aut condemnari intendit. At Reges jure divino constitui, quia per Deum regnant, & regnum ejus ope adipiscuntur, inter omnes antiquos, tam profanos quam Christianos, autores convenit. Ideo non solum ab illis à quibus electi sunt, sive Senatus sit, sive exercitus, sive populus, expelli regno non posse, sed ne ab universis quidem subditis. Secundum hoc perpetuum ac constans regnorum & imperiorum jus, cum à Valentiniano milites poscerent ut vellet sibi consortem imperii adsciscere, in ea verba respondit quæ jam supra retulimus, *in eorum fuisse potestate priusquam eum ad imperium vocarent, id non facere, jam vero vocato imperare eos non posse, nec ab eo impetrare quod nefas crederet illis concedere.* Sane, ut ante dicebamus, lex & ratio naturalis quæ publicæ saluti consulit in quacunque status forma instituenda qua populus gubernari queat & in officio contineri, eadem exigit ut regimen semel institutum, quicunque ejus status sit, quam diutissime servetur, aut in perpetuum, si id fieri queat. Nam si jus imperandi obnoxium foret arbitrio aut voluntati eorum qui reguntur, nullus esset finis aut modus turbarum & discordiarum in ea republica in qua talis mos obtineret. Numquam tranquillus foret, numquam securus ejus status. Duos modos rectoris habendi esse diximus, vel cum populus se sponte sua in ditionem alterius Regis dedit, vel cum vi ad hoc & armis victus cogitur. De priore modo certum est, quacunque de causa id fiat, ut se quis subjiciat volens alterius regis vel status imperio, non ad diem certum eam subjectionem & suæ potestatis alienationem ab

illo populo fieri, ſed in perpetuum & in omnem ſucceſſionem & poſteritatem regis illius cui ſe ſubdiderint, ſi hæreditarium ſit regnum, vel in omne tempus quo duraturum eſt illud regnum ſi regatur à principibus eligi ſolitis. Sin vero ſit Reſpublica libera cui ſe dediderit in ditionem populus ille, quamdiu ſtaturus ſit ille ſtatus. Nec etiam verum eſt quod quidam aſſerunt & pro certo obtrudunt, gentem armis ſubactam poſſe, quandocunque occaſio tulerit, in libertatem ſe vindicare, & jugum ejus regis excutere à quo fuere ſemel domiti. Ratio omnis tam divina quam humana id vetat. Primum quia quod armis quæritur, tranſit in ejus dominium qui acquiſivit. Hinc ſervati homines in ſervitutem, ut bello capti & venditi, non poterant dominos mutare vel fuga, vel alia in dominum rebellione, ſed in aliquo tali facto deprehenſi cruci affigebantur olim, aut in ergaſtulum trudebantur. Ipſi deinde Apoſtoli ſervos dominis ſubditos eſſe jubent, *cum omni timore*, nec ſolum juſtis & æquis, ſed etiam *duris & dyſcolis*, *cum ſimplicitate cordis*, *non ad oculum ſervientes*, *quaſi hominibus placentes*. Ne quidem Chriſtianos factos infidelibus heris obedientiam negare debere docet Auguſtinus in Pſalm. CXXIV. dicitque ibidem Chriſtum, *non feciſſe de ſervis liberos eos qui ſerviebant*, *ſed de malis ſervis*, *bonos ſervos*. Par eſt ratio de ſubjectis, quos tales reddidit vis armorum & belli jus. Non eos quippe de ſubditis liberos fecit Chriſtus, nec docuit eos rebellare, ne contra infideles quidem aut impios & iniquos dominos, quamvis ipſi fideles eſſent & juſti, ſed de malis ſubjectis reddidit bonos ſua doctrina, dum præcipit etiam per Apoſtolos ſubjectos eos eſſe debere, qui tunc vi-

vivebant homines, iis poteſtatibus quæ tunc regnabant. Atqui non aliæ tunc fuere quam quæ libertatem populi bello oppreſſerant, & imperium vi arripuerant. Eadem igitur ratio eſt domini in ſervos & Regis in ſubjectos. Pari modo hi & illi, ſubjecti debent eſſe domino & Regi quamvis infideli & impio pii ipſi & fideles, ſiquidem voluntatem Chriſti facere volunt. *Prima*, inquit Auguſtinus eo loci, *& quotidiana poteſtas hominis in hominem, domini eſt in ſervum.* Quod autem dixit de domino & ſervo, hoc intelligi debere ibidem ait, *de poteſtatibus & Regibus.* Nam *cum facti fuerint vel judices vel reges, quia hoc facit Dominus propter diſciplinam plebis ſuæ, propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri niſi ut exhibeatur illis honor debitus poteſtati. Ordinavit enim ſic Deus Eccleſiam ſuam, ut omnis poteſtas ordinata in ſæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus.* Ergo etiam meliores parere debent deterioribus, optimi ſubditi peſſimis regibus. Hoc etiam eſt quod bonos ſubditos facit dum Dei voluntati obſequuntur in honore debito exhibendo Regi quem Deus conſtituit. Si gentes infideles hoc etiam fecerunt, quanto magis Chriſtianas facere par eſt, cum Chriſtus hanc diſciplinam ſuæ eſſe Eccleſiæ voluerit, teſte Auguſtino? Chriſtus ſuo exemplo hanc ipſam diſciplinam firmavit, qui in Paſſione ſua ea ſuſtinuit quæ ſervi ſolent à dominis pati. Dominos illos & judices agnovit qui tunc imperabant, qui imperium vi & armis occupaverant, dum ſub illis naſci voluit, & ſub eorum ſucceſſoribus qui tyrannicè regnabant, nec melioribus artibus regnum invaſerant, judicari & morti addici ſuſtinuit. Cujus exemplum & Diſcipuli ejus ſequuti ſunt, non recuſando habere

judices vitæ & mortis ſuæ, quos noverant eſſe tyrannos & Imperii uſurpatores. Ratione etiam naturali pervinci poteſt, qui ſic ſubjugati ſunt, perpetuo debere ſubjectos permanere illi qui ſub jugum eos miſit. Quos poterat jure belli perdere ſervatos maluit. Hoc igitur debent beneficium victori pro data vita ut fideliter illi ſerviant & ſubjecti ſint. Multo magis id jus obtinere debet, ubi tempore & uſu regnandi auctoritas convaluit. Cujus rei illuſtre exemplum ſuppeditat Hiſtoria Gergeſæorum quæ narratur ab auctoribus Talmudicis. Iſti Gergeſæi qui in Africa exulaverant à Iudæis pulſi quando terram Canaan occupaverunt; Alexandri Magni temporibus ex Africa repetitum venerunt patriam ſuam quaſi per vim ſibi ablatam ab Iſraelitis. Hujus litis diſceptandæ arbitrium ipſi Alexandro tum permiſere. Cum ergo coram illo juſta ſua allegarent, & concluderent terram Canaan ſuam eſſe, quia in lege paſſim à ſe denominaretur qui originem duxerant à patre Canaan, contra ea Gabrias nomine Iudæorum reſpondit ejuſdem Legis teſtimonium pro ſuis facere & poſſeſſionem Iudæis legitimam ejus terræ adjudicare cujus reſtitutionem petebant Gergeſæi, afferens, ſcriptum eſſe, Maledictus ſit Canaan & ſervus ſervorum ſit fratribus. *Si quid ſervus*, inquit, *acquiſivit, cuinam debetur illud & ipſemet? Nonne vos etiam inſuper tot annis ſerviiſtis nobis?* Alexander quem judicem ceperant, juſſit eos hoc ultimum refellere. Petierunt illi dilationem tridui. Qua conceſſa cum vadimonium deſeruiſſent & nihil reſpondiſſent, lis judicata eſt ſecundum eos qui poſſidebant. Ergo qui olim in ſervitutem redacti ſunt, diuque in illa ſervitute manſerunt, nullo jure poſtea libertatem ſuam recu-

recuperare ſatagunt, quam primo ſtrenuè defenſam oportuit, ſemel amiſſam nulla ratione repetere conantur qui amiſerunt, niſi cum pari injuſtitia acſi alienum invaderent. Niſi hic modus regnorum acquirendorum & tenendorum legitimus haberetur, nulla hodie legitima videri poſſent regna, cum pauciſſima ſint, immo fere nulla, quæ non ad hoc inſtar nata vel facta fuerint. Alexander Magnus Perſis imperium eripuit ex plurimis conſtans regnis, unde & qui ea poſſidebat *Rex regum* appellari jure ſuo merebatur. Poſt mortem ejus duces qui ſub eo militaverant, totidem regna inde ſibi fecerunt quot præfecturas antea ſinguli obtinuerant. Reges cum ſic evaſiſſent, tandem procedente tempore eorum ditiones in Romanum imperium velut abſorptæ deciderunt. Quod & ipſum poſtea in varia regna ſciſſum fuit à Barbaris qui Europam & Aſiam Africamque ex Septentrione ſubinde adfluentes inundarunt & inſederunt. Britannia quæ provincia fuerat Imperii Romani ſic ab Angloſaxonibus occupata regni formam induit, & priori ſtatui reddita eſt quem ante Romanorum invaſionem habuerat. Dani Angloſaxonibus illud regnum ereptum ſibi vindicarunt. Deinde rurſus & Saxones, Danis. Idem paſſi ſunt iidem mox à Normannis quod ipſi Danos pati coëgerant. Sic Guilielmo Victori ceſſit in Regnum Anglia, cujus familia cum nuper regnaret, hoc jure & poſſeſſione regni per rebellem exercitum privata eſt, qui nunc loco regis imperat. Quo jure ſi quis quærat, tam nullo promptum ſit dicere, quam maxima cum injuria & injuſtitia id factum liquet. Ne Saxones quidem quibus regnum eripuerunt Normanni, id nunc jure ullo facere poſſent videri, tametſi illi

res ſuas repeterent, & ſe vetuſtiores ejus regni colonos eſſe contenderent, novitiis iſtis migrare inde juſſis. Sed ubi ſunt illi Saxones qui poſſeſſione Angliæ ſe dejectos à Normannis queri poſſint? Si hoc facere velint, Dani intercedent qui id ſibi deberi potiori jure aſſerant. Immo ſe priores eſſe Angli & Saxones affirmabunt qui Romanis Britanniam ademerint, & ſic ſuam eſſe debere. Quinimmo exſurget Imperator hodie, vel Rex Romanorum, qui Britanniam ſibi meliore titulo adrogaret, utpote quæ pars olim fuerit Imperii Romani. Nemo non videt quam nullo jure ac nulla ratione, qui Regem ſuum legitimum ſolio dejecerunt hæc afferant quæ pro ſe facere putant, ut videantur aliquo colore aut prætextu formam regni mutaſſe, & eam conſtituiſſe quam ſibi ipſi ſubjecerunt, legitimo & naturali hærede excluſo. Dani ſunt, an Angli, vel Saxones, qui vi & armis hoc regnum hodie occupatum incubant? Fortaſſe Normanni ſunt, vel Normannorum ſoboles, qui contra Normannici principis proſapiam inſurrexerunt, & nefario parricidio regem inde ortum trucidarunt, totamque ejus ſtirpem legitima regni ſucceſſione privarunt. Non ab exteris itaque hoſtibus, ſed à ſuis ſubditis Carolus ille primus ſtatione deturbatus eſt, quod nunquam antea in Anglia factum fuerat. Omnibus enim mutationibus quæ in illo regno acciderunt, non regni formam innovatam, ſed ſolos dominos peregrinis nationibus ingruentibus alios factos conſtat. Romani regibus qui antea eam tenuerant cripuerunt, Romanis Angli & Saxones, his Dani, deinde Danis iterum Saxones, poſtremo Saxonibus Normanni, qui à Guilielmi Normanni hucuſque temporibus in illa regnarunt. Normanni ergo ex Normannis ortum

tum Regem ſuſtulerunt & ſtatum Reipublicæ immutarunt, poſt paulo, ſiquid veri mens auguratur, juſtitia divina & humana ſic volente, regis quem regno & vita depulerunt, legitimis hæredibus reſtituendum. Cum omnia itaque in orbe vertantur paſſimque *ſæculares ſortes varient*, ut ait Tertullianus, dum regna è regnis naſcuntur, aliis cadentibus, aliis orientibus; ſi quis vellet antiquis & primis poſſeſſoribus ſuum reddere, aut illi quaſi jure manu conſertum id repeterent, ima ſummis mutarentur & omnium rerum confuſio & perturbatio per omnes gentes exiſteret. Nec hic locus eſt regnorum vices recenſere, & quomodo bellis totum ferme licuerit in eorum mutationibus peragendis, dum gentes gentibus hoc modo miſcentur, & alia etiam ratione, velut ex ſurculis & propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus, regna de regnis ubique terrarum panguntur. In regno itaque hæreditario & regum invicem ſibi ſuccedentium ſerie firmato, quamvis origo ejus ex uſurpatione initium ſumpſerit, ſerum eſt vel illis qui primi ſubacti ſunt priſcam libertatem vindicare, vel illis qui eam numquam habuerunt, quia ſemper ſub regum imperio fuerunt. Nam ante Guilielmum, cognomine Conquæſtorem, ut dictum eſt ſupra, Dani Reges Angliam tenuerunt, ante eos Angloſaxones, ante hos Romani, ante hos alii reges. Ergo ne ſiquidem poſſent oſtendere ſe aliquando in libero ſtatu & æquis legibus conſtitutam, & à populi poteſtate ſuſpenſam Rempublicam tenuiſſe, jus tamen haberent regem ejiciendi quem per tot ſæcula ſuſtinuerunt, & quem bello victi tot ab annis retro accipere coacti ſunt, etiamſi daretur hos ex victa gente & non ex victrice eſſe

propagatos? Nunc quis eorum ſicariorum qui regem ſuum perfido & nefario latrocinio ac ſcelere pluſquam parricidali necarunt, poteſt dicere ſe ex Danis aut Angloſaxonibus aut Romanis aut antiquis Britannis ortum, & non potius è Normannis qui poſtremi omnium inſulam occuparunt, inſederunt, reges ex ſua natione habuerunt, ſucceſſione annis plus minus ſexcentis uſque ad hoc tempus continuata? Tanta ſanè multitudine tunc Normanni in Angliam tranſvolarunt, ut ſaltem ſe puros Angloſaxones & Danos non poſſint aſſerere, cum per connubia mixti indigenis advenæ gentem unam poſtea ſub uno rege confecerint. Si hoſtis externus regem hoſtium bello illato vita & regno exuiſſet, ut ſæpe in ea Inſula uſu venit, venia digna res foret, utpote uſitata. Non enim aliter hæc regnorum ſacra conſtare videntur, quam ut ex unius interitu alterius ortus procedat. Vbi verò ſubditi regem ſuum legitimum, regem natum, hæreditate & ſucceſſione regem factum, armis perſequuntur nullis aut levibus de cauſis, captum incarcerant, capitis cauſam dicere adigunt, damnant, publico & infami ſupplicio addicunt, id vero tale eſt ut omnium hominum non reprehenſionem, ſed deteſtationem incurrere debeat. Non enim ſubjectorum hoc facinus ſed perduellium, non hominum ſed belluarum, non de vulgari nota ſceleratorum ſed plus quam parricidarum.

CAPVT VII.

PRæcipuum hujus operis & defenſionis Regiæ caput ac fundamentum erit; reges judicari non poſſe. In hoc etiam veluti cardine tota

tota quæſtio vertitur, ut liqueat jure an injuria Rex Magnæ Britanniæ à populi ſui parte ſeditioſa & rebelli capitis damnatus ſit. Multis jam rebus ſupra demonſtratum eſt, judicium illud quo rex à ſubjectis ſupplicio affectus eſt ſtare non poſſe, re ipſa nullum eſſe, parricidium potius appellari debere quam judicium, qui id auſi ſunt ſuſcipere, crimen læſæ majeſtatis divinæ & humanæ incurriſſe. Divinæ, quia reges à Deo conſtituti ſunt quos nefas ſit violare, neque id fieri queat quin Dei voluntati repugnetur. Humanæ, quia leges omnium gentium in hoc conſentiunt, abſque offenſione majeſtatis, ſummi populi magiſtratum lædi non poſſe, qui ſolus habet majeſtatem. Ejus quippe qui imperat majeſtas eſt. Aliis nunc porro rationibus evincendum eſt eum, qui regit & regnat, non poſſe quemquam eorum vitæ ſuæ judicem habere qui reguntur ab ipſo, atque ei ſubjecti ſunt. Quarum hæc erit vel maximè potens & valida, quod rex parem in ſuo regno non habeat, nec ſuperiorem. Senſus quippe communis hoc docet ac dictat, non poſſe judicari vel condemnari majorem à minore, ſuperiorem ab inferiore. Quis igitur ex ſubditis de rege judicabit, qui imperium in omnes habet, & in quem nemo? Ideo Romanus populus, poſt exactos reges, cum magiſtratum creari placuiſſet qui ſummam haberet poteſtatem & regiæ proximam, ſed annuam non perpetuam, duos conſtituit Conſules, non unum, ut nimirum ſi unus proditionis reus factus, aut in alio graviore crimine deprehenſus foret, coërceri à collega poſſet. Vnus quippe qui ſolus imperium obtineret, quamvis annuum, multa contra rempublicam in eo anno tentare & aggredi poſſet, quæ in perniciem

publicam eruptura essent, & ipsi impune cederent, cum non haberet à quo reprimeretur. Nam primi illi Consules, quales creati sunt statim ab exactis regibus, potestate plane regia censebantur, in populo cogendo per præcones & accensos, exercitu comparando, pace & bello gerendis, vel inconsulto Senatu, cum ab his provocatio non esset, & in caput cujuscunque civis animadvertere possent. Hæc sola duo, ne veri reges viderentur, vetabant, quod longius annuo imperium non haberent, & quod duo essent. Hoc enim proprium imperii & majestatis regalis, ut penes unicum sit. Inde illud Homeri, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Si duo simul regnent, hoc ipso reges propriè non sunt, quia quod maxime regium est, non habent, ut judicari à quoquam non possint. Nam alter horum si delinquat, aut læsæ reipublicæ reus agatur, alter de eo referre potest ad populum, vel ad senatum ut accusetur & condemnetur, aut etiam vel inconsulto Senatu ab eo coërceri & puniri, si ita jus sit ut possit. Apud Carthaginenses duo fuere Sufetes, id est Iudices, similes Consulibus Romanis, penes quos summa potestas in populum fuit & plane regia, hoc uno dempto, quod duo essent, quem numerum binarium non admittit regius status, quia judicari à quoquam recusat, qui illum obtinet. At ubi duo sunt potestate ac imperio æquales, unus ab altero postulari capitis, & condemnari potest. Improprie itaque Probus in vita Annibalis, Sufetes illos Carthaginenses, *Reges* appellavit *annuos*, quia ne reges essent, duabus his rebus efficiebatur, & quod annui, & quod bini. Iudices Hebræorum meliori jure reges appellari potuerunt, qui & singuli fuere & æquale vitæ suæ spatio imperium obtinuere. Scriptura quo-

quoque Sacra reges eos vocat, cum dicit in libro qui ab his nomen habet, cap. XVIII. *In illis diebus regem non fuisse in Israël.* Quod & alio loco repetit. Non tamen illud proprium regalis habuere potestatis, ut non judicarentur. Nam judicabant simul & judicabantur à Synedrio magno. Cum reges in eorum locum substituti sunt, ideo reges proprie appellati fuere, non judices, quia quod erat maxime regium, habuerunt, à nemine judicari. In Optimatum statu, quem ἀριστοκρατικὸν Græci vocant, quot sunt Optimates à quibus administratur respublica, totidem sunt etiam reges, uno hoc excepto, quia cum sint plures, quod regum proprium est habere non possunt, ut à nemine judicentur, cum collegas habeant pari præditos potestate & imperio. Nam & eam quoad vivunt, obtinent, & fortassean etiam ad natos eorum successione transituram, si talis sit Reipublicæ consuetudo. Sane patritii ex patritiis orti, in plerisque civitatibus olim sic gubernatis semper administrationi præerant, eodem modo quo in hereditariis regnis, reges nati regibus imperant, ut fuere *Porphyrogennetæ*. Venetorum Respublica sic ab optimatibus suis gubernatur, in qua nobiles ex nobilibus regimen semper accipiunt, ducemque habent, qui quasi præses tantum est & princeps Optimatum, non rex, quia suffragia ibi valent plurium, nec ipse judicii & condemnationis expers est, si proditionis reus peragatur. Tales etiam fuere Reges Lacedæmoniorum. Bini erant, judicabant & judicabantur, dignitatem in posteros per successionem transmittebant, Senatui præsidebant. Vnde Tyrtæus apud Plutarchum

Ἄρχειν τ' βυλῆς, dicit, διδυμάονους βασιλῆας.

Senatus principes esse à Deo honorandos reges.

Nomen regis, non rem, habuere, ut Sufetes Hebræorum, & Carthaginensium, quos etiam reges constat appellatos. Hujusmodi reges, pares habuerunt in Republica, à quibus accusari & judicari poterant. Nec plus auctoritatis habebant quam Romani Consules, aut Sufetes Punici. Romæ Consul apud Consulem compellabatur & postulabatur, quia in pari ambo potestate & imperio. At non Consul apud Prætorem, quia hic minor, sed Prætor apud Consulem, ut majorem. Nam quamvis Prætor collega Consulis haberetur, quia tamen minus imperium hic habebat, non poterat jure Consulem rogare. Messala apud Agellium lib. XIII. cap. XIV. *Prætor, etsi collega Consulis est, neque Prætorem, neque Consulem jure rogare potest, quia imperium minus Prætor, majus habet Consul, & à minore imperio majus aut major collega rogari jure non potest.* Si major collega non poterat jure rogari à minore, quia minus imperium habebat, ut Consul à Prætore, quid dicendum de rege? An ab illis jure rogari potest, qui ab eo imperium acceperunt? An non major est differentia regis & magistratus quem ipse creavit, quam Prætoris olim & Consulis Romæ fuit? Atqui Consul non creabat Prætorem. Atqui Prætor & Consul collegæ intererant. Atqui cum abessent Consules, si quando peregrè profecti erant, penes Prætorem urbanum summum imperium manebat. Certè utrumque magistratum populus creabat. Immane ergo quantum majus sit discrimen inter regem & magistratum à rege constitutum. Quale nempe est inter principem & subjectum, inter dominum & servum. Quomodo ergo dominus servum suum aut regem subjectus jure rogabit, legibus interroga-

rogabit, postulabit, aut etiam judicabit & condemnabit? Cum Cæsarem qui prætura functus fuerat, Quæstor Nonius Niger apud se nominari passus esset ab Vettio indice inter socios conjurationis Catilinæ, Cæsar *Vettium, pignoribus captis & direpta supellectile, malè mulcatum ac pro Rostris in concione pæne discerptum, conjecit in carcerem, eodem Nonium Quæstorem quod compellari apud se majorem potestatem passus esset*, ut narrat Suetonius in vita Iulii Cæsaris. Sæpe quidem & coram minore judice major potestas respondet, sed ita tantum si ab eo qui summum habet imperium, delegata & mandata in hoc nitatur jurisdictione. Iure ordinario id non fit. Et cum nemo sit, qui sub regno majus rege habeat imperium, nemo etiam mandare jurisdictionem queat, nisi qui eam suo jure, non alieno beneficio habet; ut est in leg. v. D. de jurisdictione: Rex solus eam suo jure habet; at beneficio regis, is cui à rege mandata est. Ius gladii, id est, merum imperium, idem concedit quibus vult, non ab aliis accipit. Quod jus est animadvertendi in facinorosos homines. Hanc ergo potestatem cum solus dare possit qui jure suo eam possidet, non alieno munere obtinet, consequitur nullum esse præter regem in illo statu qui regali imperio regitur, qui judicare omnes queat, & à nemine judicari. Iudicat vel per se, vel per eos quibus jurisdictionem mandavit, aut quibus merum imperium, id est, jus gladii, concessit, quibusque permisit vice sua judicare. Ex quibus certius eo omni quod est certissimum existit, non posse regem ab ulla potestate quæ in regno suo sit judicari, quia nemo nisi ab ipso potestatem accipere potest animadvertendi gladio in quemquam. Et ridiculum foret statuere, regem

in ſe judices dare velle à quibus capite damnaretur. Nec poteſt porro accuſari, quia cum major poteſtas apud minorem conveniri & poſtulari non queat, multo minus is qui ſummam ſuo jure ſolus habet, legibus interrogari, & reus agi poſſit apud eum qui nullam obtinet niſi vicariam & fiduciariam, id eſt à rege ipſo conceſſam. Non ergo mirum eſt ſi in populari ſtatu, magiſtratus à populo poſitus ab eodem ob crimen læſæ populi majeſtatis vel proditionem, deſtituatur & plectatur, & ſi optimates in ſtatu Ariſtocratico, ab iis quos in poteſtate illa exercenda pares habent & collegas, ubi peccaverint contra Reipublicæ majeſtatem, puniri poſſunt. Sed pro monſtro plane eſt ac portento, ut rex in regno ſuo cogatur cauſam capitis dicere coram judicibus qui juriſdictionem nullam per ſe habent, nullamque judicandi & animadvertendi poteſtatem quam non ab ipſo acceperint. Sed quid juris eſſe dicemus in regibus qui eliguntur, & vitæ tantum æquale obtinent imperium, ſi non etiam ad hæredes ſuos illud tranſmittant? An ſucceſſio duntaxat ita firmatam dat regiam poteſtatem, ut convelli non queat à populo, cæterum ſi cum vita finiatur & in ipſo, magis obnoxia judicio videri debeat, quam quæ in natos & nepotes tranſit? Nulla quantum ad hoc differentiam ſtatuendam cenſeo inter regna quæ vocantur *Electiva*, & Hereditaria. Æqualis in utriuſque generis regibus eſt poteſtas, quæ non ſit alteri poteſtati ſubjecta, ac proinde omnis metus expers, qui à criminatione & judicatione impendet. Cur optimates in Optimatum ſtatu judicium capitis ſubeunt? Quia civitas ejuſmodi poteſtates habet æquales aliquot, à quibus judicari eos jus & fas ſit. In populari quæ poteſtates regunt, à populo utpote conſtitutæ, nutu

nutu quoque ejus deponere vitam cum magiſtratu debent, ſi tale quid commiſerint propter quod id pati mereantur. In regno nemo rege ſuperior, nemo par, nemo illi æqualis. A quo igitur criminis poſtulabitur? à quo judicabitur? In electivo, ut vocant, eadem omnia ſunt quæ in hæreditario, præter ſucceſſionem. Namque populus quod habuit juris & poteſtatis, in eum id omne cenſetur contuliſſe cujus perſonam ſolam elegit ad ſe gubernandum, potius quam in talem cujus & liberos ad ſucceſſionem admittat, totumque genus inde exoriturum. Lex ſanè Regia non inſtituta eſt conſtituendo in populum principi qui hæredem eſſet utique habiturus, ſed in ejus gratiam duntaxat lata, qui electus eſt abſque reſpectu ſucceſſuræ ſtirpis. Ideo & renovabatur in aliorum principum initiis qui eligebantur, ut de Veſpaſiano ſupra diximus, cui Senatus decrevit, *omnia principi decerni ſolita*. Si judicandus aut puniendus veniret rex qui ſuffragio eligentium ſuſcepit imperium, idem in eum competeret cui jus eſſet & natis id relinquere. Quæ enim ratio diverſitatis? In hæreditario imperio, ubi rex ob crimen regno & vita damnatus exceſſiſſet, filio ſuccedenti illud traderetur: in eo vero quod per electionem datur, ſi quid tale contigiſſet, de novo eligendo cogitandum foret. Non video igitur quid diſcriminis, quantum ad hoc, inſtitui queat inter regem qui electione creatur, & eum qui hereditate regnum accepit. Fatendum quidem eſt firmius & ſtabilius regnum illud futurum, in quo filius à patre imperium accipit, multas ob cauſas. Nam diutina poſſeſſione, quaſi jure & æquo, nititur. Deinde, propter meritum prædeceſſoris & metum ſucceſſoris, ſæpe majore cum venia peccat is qui importunus eſt dominus, quia favor patris

tris qui modestè regnavit, gratiam ei conciliat. Sed & timor ex filio successuro interdum facit, ut magis respiciatur persona morosi dominantis, citiusque ei parcatur. Postremo quæ hæreditate in sequentes devolvuntur regna initium frequenter ab usurpatione habent. Sibi ergo & suis ea cum quæsivit victor, non possunt tam facile extorqueri, quasi jure possidentibus. Ideo & Augustus hoc inter arcana imperii reposuit, ut successionis lege sibi firmaretur principatus, & in domo sua hoc modo perpetuus maneret. Cæterùm in hoc articulo, quo quæritur, an judex in regem dari queat, idem juris in electo convenit, & in eo qui patri hæres fit in regno suscipiendo. Nam nemo est sub rege, qui dandi in regem judicis habeat potestatem, & nemo dari jure potest à quo audiatur & cognoscatur ejus causa, cùm ne testes quidem in eum produci queant, lege & traditione Hebræorum. Nec obstat, si is qui eligitur, aliqua vel cum sacramento promiserit, de quibus inter eum & subjectos convenit, quæ nisi promissset, fortasse nec sumptus esset. Reus quidem promissi est, sed si stare nolit conventis, à populo in judicium trahi non potest, nec jure ordinario interpellari ut pactionem servet. Multo minus extraordinaria cognitione in eum animadverti, judicibus datis, qui eum ultimo supplicio addicant. Cum enim summum habeat imperium, non illud potest amittere violatione fidei vel jurisjurandi, non magis sane quam adulterio commisso vel homicidio. Quod si subditis suis juraverit in electione vel inauguratione, se secundum jura ac leges regni justitiam administraturum, & nisi id faciat, eos sacramento fidelitatis quod sibi præstiterint, fore solutos, & facto ipso abiturum esse potestate, tenetur

netur quidem apud Deum coram quo id promisit, pacti & jurisjurandi fidem servare; nec futurum hoc illi impune, si fallat, sed à Deo, non ab hominibus, pœna in fallentem expetenda & exposcenda est. Non enim possiunt subditi cum eo agere vel jure, vel vi quæ licita sit, ut regno cedat, ob non impletas conditiones, quas ei, dum eligeretur, imposuerunt. Sæpe quidem Deus solet permittere, ut læsa sæpius populi patientia in furorem erumpat, & armis ille se vindicet rebellibus, regemque impotenter & tyrannice se gerentem opprimat, ac de medio tollat, sed judicium in eum constituere non potest, nec judices dare qui in eum causâ cognita animadvertant, & capitalem sanciant pœnam. Nam, ubi semel in alicujus regis à se electi gratiam potestatem suam exuit populus, ut jam dictum, non potest eam repetere quoad vivit. Eo demum mortuo libertatem suam recipit, & jus potestatis in alterum iterum conferendæ vel sibi retinendæ, si magis placeat popularis status. Ita servus liber fit morte domini, qui eo vivente non potuit jure se in libertatem vindicare, aut triste servitium fugere. Non sane magis obligatur rex, qui eligitur sub aliqua conditione ad pacti & jurisjurandi proprii fidem servandam, quam ad legis divinæ observationem, quam omnimodo reges omnes Christiani tenentur custodire, tametsi verbis conceptis, dum eliguntur, eam se observaturos non juraverint. Atqui si jura divina & humana inter regnandum contempserint, si religionem violaverint, si cultum Dei profanaverint, non stare sub alio judice ac vindice quam Deo Scriptura sacra satis testatur, ac tam veteris fœderis quam novi Euangelicique disciplina. Quam multi enim in regnis Iudæ & Israëlis reges adulteri, homicidæ, parrici-

ricidæ, idololatræ, quibus tamen magnus Synedrii conſeſſus hoc nomine nunquam diem dixit ut coram ſe ſiſterentur, rationem adeò execrandorum actuum reddituri, & ſanguine ſuo pœnas perſoluturi? Sub Euangelio, primis Eccleſiæ naſcentis temporibus Tiberios, Claudios, Nerones, Caligulas, Domitianos, non ſolum Chriſtiani, ut diximus, tulerunt, ſed etiam coluerunt, ſed etiam pro iis Deo preces ſolemnes publicè fuderunt, nec eis unquam, etiam ubi potuere, nocuerunt, nec ab iis defecerunt, nec in eorum necem conſpirarunt, non cum conſpirantibus unquam ſe conſociarunt, non duces exercituum, non milites, non alii cujuſcumque homines conditionis. Ne reſiſtendi quidem animum mentemque unquam acceperunt, quoties ad eos perſequendos & omni ſævitia divexandos crudeliſſimi tyranni inſurgere cœperunt, quos nihilo ſecius tanquam legitimos dominos ſemper obſervarunt. Alia etiam potentiſſima & invicta ratio adferri poteſt, cur in regem, qui ſubditi illi ſunt, judices dare non poſſe videantur. Nemo niſi lege aliqua reus fieri poteſt, & leges eſſe oportet quibus interrogari coram judice tanquam reus debeat. Hinc illæ loquutiones & formulæ apud veteres juriſprudentes, de his, qui rei alicujus criminis poſtularentur, uſitatæ, *legibus interrogari*, *lege reum fieri*. Quæ ergo illa lex, qua reus agi rex poſſit? Quibus legibus poteſt coram judice interrogari? Cujus denique criminis accuſari? Quo judicio condemnari? Legibus ſolutum eſſe regem, omnis antiquitas tenuit, tam profana quam Chriſto dicata. Leges ſolus rex omnes fert, aut ferendarum auctor eſt. Legis etiam à ſe latæ, vel privatæ, gratiam facere poteſt. An ipſe, qui pœnam, quam lex irrogat, poteſt remittere, ſibi ipſe veniam

niam non dabit, ſed ſupplicium volens incurret, ex lege quam poſuit, inferendum? Audio Zeleucum legiſlatorem Locrorum, cum adultero duos oculos erui lege ſanxiſſet, filio in adulterio deprehenſo, ne pœnam ex toto condonaret, partem ejus in ſe recepiſſe, & ſic unum fibi, unum filio oculum effodi juſſiſſe. Ipſe ſane ſui fuit judex & filii, & recte quidem ſic attemperavit pœnam ex lege quam ſanxerat debitam, ut nec totam ipſe quia innocens, nec totam filius quia regis progenies, ſuſtineret, ſed in ſe & filium eam partiens ita diſpenſavit, ut legi ſuæ ſatisfaceret, & pudori populi. Nec hoc in filio peccante adeo mirum, nec ad rem quam tractamus, plane pertinet. Quid ſi ipſe ſtupri reus fuiſſet? An duos oculos ſibi ipſi erui voluiſſet? An populus tuliſſet, & regem cæcum habere optaſſet? An vero populus in eum judex ſediſſet, aut judicem dediſſet, coram quo accuſari adulterii & puniri poſtea poſſet? Delicta ſunt, ut judicia, alia publica, alia privata. Inter privata furtum & injuria. Non hæc crimina regia ſunt, ſed privata. Nec enim regia, quia nec publica. Multa publica ſunt ac dicuntur judicia, nullum regium. Rex adulter bene poteſt regnare, & homicida. Ideo propter homicidium & adulterium rex vita privari non debet, quia ſimul cum vita regno quoque exueretur. At nunquam hoc fuit probatum aut receptum legibus divinis nec humanis, ut duplex vindicta de uno crimine ſumeretur. Rex, qui propter admiſſam hominis cædem vita careret & regno ſimul, pœnam duplicem pro uno crimine ſolveret. Atqui pœnas criminibus pares irrogari oportet. Ratione ergo caret, ut ſeverius ac durius in regem animadvertatur quam in privatum. Privatus quippe homicidii reus, vitam amit-

amittit, rex verò vitam ob hanc noxam amittendo, regno pariter excideret. Præterea Reipublicæ interest, ut cum bene administratur ab homicida vel ab adultero, ne bonum rectorem cum suo magno malo ac detrimento amittat, ob peccatum quod in solis privatis & subditis per leges vindicari decet. Nec adulterium, nec homicidium, in regibus puniri solitum, David rex docet. Sed & bene imperare eos posse, qui homicidæ sunt & adulteri, si in cæteris recte imperandi artem teneant exerceantque, idem testatur. Publica judicia in Romano jure dici certum est, non ea proprie in quibus crimen vertebatur, sed ejusmodi tantum quæ ex legibus publicorum judiciorum veniebant. Nemo igitur ad aliquod crimen persequendum publici judicii accedere poterat nisi certa ex lege, quam accusator edere debebat, profitendo qua lege reum faceret, ut Iulia de adulteriis si adulterii crimen alicui intenderet, Cornelia de sicariis & veneficiis si quem homicidii postularet. Atque ita de cæteris. Ad privata quidem judicia quod attinet, certum est, regem ad interdictum non teneri venire, ut unde vi actionem excipiat, & cogatur ei restituere possessionem quem inde dejecerit. Nec eundem conveniri posse furti actione, rapinæ, injuriarum, de dolo malo, tutelæ, depositi, mandati, pro socio, & aliis quæ edicto prætoris dabantur. An ex publicorum judiciorum legibus magis postulari potuerit, videndum, & ex quibus. Adulterii, homicidii, parricidii, vis publicæ vel privatæ, peculatus, plagii, ambitus, falsi, an rite reus fiet, quæ publicorum sunt judiciorum genera? Cujus horum criminum publicam accusationem patietur? De homicidio & adulterio jam diximus, allato Davidis exemplo. De parricidio Salomon ostendit,

dit, parricidam impune regem esse, & cum tali reatu regem manere. Is fratrem natu majorem interfici mandavit, & nihilominus sapientis regis elogio in Scriptura donatur. Multi alii reges possunt ex historiarum monumentis nominari, qui parricidæ extiterunt, Iudæi, Gentiles, Christiani, quibus tamen eo nomine dica scripta non est, & qui non desierunt propterea reges esse. Primus Romulus fundamenta urbis suæ parricidio imbuit. Idem postea facinus successores ejus perpetrarunt non pauci, etiam Christiani, ut de Constantino nihil dicam. Si parricidium ex criminibus publicis gravissimum impune committunt reges & sine judiciorum & legum metu, quæ non alia possunt cum impunitate facere, quæ leviora sunt illo, ut plagium, falsum & alia? Sunt & quædam publicæ causæ judiciaque quæ reipublicæ causa constituta magis proprie esse videntur, ut repetundarum, ambitus, majestatis & cætera, ut ait Asconius, in Verrinas. Sed crimen repetundarum, & ambitus & alia ejusmodi, nemo dixerit in principem qui summum imperium tenet, cadere. Sed fortassean majestatis reus ex lege Iulia peragi potest. Nulla certe est ex publicorum judiciorum persequutionibus quæ in regem potius intendi videatur posse. Videamus ergo de isto crimine an ex lege super eo lata conveniri jure queat regia majestas. Si ita sit, majestas regis fiet rea majestatis. Quod quomodo stare possit, fateor me non videre. Nisi quis ponat aliam esse majestatem, præter regiam, cujus læsæ crimen rex incurrere videatur. Si in populo qui regiæ potestati subjectus est, etiam majestas esse censetur, non dubium erit quin id criminis adversus populum, qui majestatem quoque habeat, committi possit à rege ipso.

ipso. Sic ergo ex æquo majestas erit communis populo & regi, & tam rex adversus populum, quam populus adversus regem hac accusatione pulsabitur, & ea lege quæ Iulia dicta est de majestate, interrogabitur. Quod esset magnopere absurdum. Nam eo sensu quo majestas nunc appellatur & appellari jam olim cœpta est Constantini ævo, ubi majestatem populus habere desiit, jure ejus, & potestate in principem translata, tum principis esse cœpit. Non ergo majestatis crimen potest admittere princeps qui eam solus habet, adversus populum qui ea caret. Atqui populus quando majestatem habuit, & vim ejus exercuit, cum Reipublicæ nimirum dominus foret, non poterat ipse in majestatis crimen incidere, quia nec poterat quicquam facere propter quod ejus criminis reus fieret, nisi in semetipsum delinquere vellet, & propriæ majestatis reus fieri. Quod ratione caret, quamvis certum sit eum magistratum qui patiebatur imminui jus suum, & qui potestatem suam in administrando non defendebat, imminuti magistratus, & veluti majestatis læsæ reum fuisse, ut scribit Asconius in Verrinas, de Prætura Verris. Alias non potuit populus adversus semetipsum crimen majestatis committere, cum summum imperium in Republica administranda obtinebat, sed alii adversus illum huic crimini obnoxii fieri poterant. Hoc crimine tenentur nimirum qui armati eum telis lapidibusque in urbe sunt, conveniuntque adversus Rempublicam, locaque publica occupant vel templa. Cujus opera dolove malo consilium initum fuerit quo hæc quæ dixi fiant, atque etiam cœtus conventusque coëant, hominesque ad seditiones convocentur, & alia multa quæ in Titulo Digestorum ad Legem Iuliam Majestatis enumeran-

rantur. Hac lege etiam tenebatur, *cujus opera & dolo malo, consilium initum erat quo quis magistratus populi Romani, quique imperium & potestatem habet, occidatur.* ut habetur Leg. 1. D. quo supra. Maneamus in hoc, cui & cætera facta, quibus hoc crimen incurritur, similia sunt. Per quem igitur factum erat ut magistratus populi Romani, & qui imperium potestatemve habebat, occideretur, ex hac lege Iulia id crimen in illum animadvertebatur. Quid si populus ipse qui tum imperium tenebat cum lex illa lata est à Iulio primum Consule, id per seditionem fecisset, aut fieri probasset, an ipse crimen læsæ Majestatis admisisset? Nequaquam. Ergo nec Princeps, postquam eam quæ populi erat, majestatem & potestatem Lege Regia sibi delatam accepit, si magistratum populi, aut eum qui imperium potestatemve à se delegatam haberet, occidisset vel occidi jussisset, hac lege teneri videretur. Ne si quidem ejus consilio vel mandato homines armati in urbem convenissent, aut si muros urbis diruisset, aut aliquid tale perpetrasset, quod in privato quidem crimen Majestatis induceret, in rege ipso qui majestatem habet, neutiquam. Non enim ipse contra se peccare posse intelligitur, nec quicquam facere quod in exitium Reipublicæ quam gubernat, redundet. Certè quædam facta quæ ad crimen Majestatis pertinent si ab aliis commissa fuerint, ne cadere quidem posse videntur in personam ejus, cujus dominatio est & majestas. Vt si consilium ceperit quo quis contra subjectos suos arma ferat. Si hostibus nuntium literasve miserit ut regni sui limites intrent, & præsidia occupent. Si milites sollicitaverit concitaveritque quo seditio tumultusque adversus Rempublicam cui præest, fiat. Hæc omnia, inquam, & cætera his similia, non ca-

cadunt in principis personam, quia contra ipsum fiunt, & majestatem ejus potentiamque imminuunt & perdunt, quibus connivere nisi stultus sit, aut quorum autor esse nisi insaniat, non possit. Vt ergo populus cujus potestas est ac majestas, non potest lege, quæ de majestate lata est, teneri, ita nec rex qui eam obtinet, quique populum sibi subjectum habet. Privatus sanè accusatur majestatis læsæ si quid fecit quo majestatem populi cujus imperium est læserit, aut principis qui similiter habet imperium. Nam dominantis, ut dictum, majestas est. At nec populus qui rempublicam administrat, nec princeps qui eam sub potestate habet, majestatis damnari possunt, quia non intelliguntur nec præsumuntur minuere ipsi velle majestatem imperii sui. Si privatus mœnia civitatis solo æquasset, aut aliquid ejusmodi in publicum damnum fecisset, lege majestatis hoc in eum vindicabatur. At si populus idem jussisset fieri, cujus esset jubendi facultas, aut princeps, non eo animo id facere putarentur, ut suam ipsi majestatem læderent, ejusque magnitudini detractum vellent aut derogatum, sed boni publici fortasse gratia, aut etiam ad urbis illius cives puniendos, aut alia de causa. Sine causa quidem videretur princeps id committere quod lege majestatis esset vindicandum, si nempe in exitium totius populi hostili animo ferretur. Sed talem casum dari posse non puto. Amittit quidem regnum reapse qui hunc animum habet, vel saltem amittere vult, sed non propterea majestatis accusandus est, aut damnandus, quia nemo est à quo possit hujus criminis subscriptio in illum edi, nec judex qui in eum sedere jure queat. A populo deseri potest, sed non condemnari majestatis. Suæ spontis non esse qui tale quid tentaret, dicen-

cendum potius foret, & tanquam furiosus esset abdicandus. Qui jus suæ majestatis libens imminutum iret, miseratione potius dignus censeretur quam supplicio, ita qui totam simul abjiceret, non pœna plectendus majore videretur quam qua se ipsum judicarit dignum, hostilem animum gerens ad exterminandum universum populum cui dominatur. Nam majestas regia sine regno non est, nec regnum sine populo. Quid si populus in perniciem suam totus rueret, num majestatis crimine teneretur? Nullo modo. De eo loquor qui liber est. Sed nec talis populus facile inveniatur. Nec fortasse rex etiam, qui nempe meditaretur perniciem universorum suorum subjectorum. Hostis quidem publicus esset pronuntiandus, nisi hostis potius sibimet ipsi esse videretur. Olim in publicis judiciorum causis quilibet è populo poterat esse accusator. An ergo secundum hunc morem & ordinem judiciorum antiquum, Mævius aut Sempronius vel Titius, libellum inscriptionis vel accusationis contra regem edendæ ita concipiet, *Die illo, anno illo, apud prætorem illum, Lucius Titius professus est se regem suum lege Iulia de Majestate reum deferre, quod dicat eum die illo novum genus tributi subditis indixisse.* Enimverò nec accusator hic admittendus esset, nec judex agnoscendus, nec crimen ex hac lege regi intentandum. Primum, quia nec subditus regem suum potest accusare, haud magis quam servus dominum. Deinde, quia judex dari in regem non potest. Cur? Quia nec judicari rex potest. Postremo, quia crimen majestatis non potest committere rex adversus populum suum, sed populus hoc in eum committit. Denique, quia nulla lex est ex qua fieri reus rex possit, cum legibus sit solutus. Nam & qui

lege aliquem potest absolvere, non potest ipse ea teneri nisi velit. Quid si ex novo more & usu judiciorum qui nunc receptus est Advocatus vel Procurator fisci, aut qui Balivus vulgo appellatur, munus accusandi regis sui suscipiat, an erit recipiendus ejusmodi accusator? Sed quis ei partes dabit accusandi? A quibus autoritatem regis sui deferendi accipiet? An ab iis qui nec ipsi eam dandi jus habent, ipse subditus & servus regis, ab æque servis & subditis? Coram quibus judicibus hujus persequutio criminis agitabitur? Nempe coram illis quos ipse rex non adversus se constituit, quia judicari à nemine potest, sed adversus delinquentes ex populo suo, cum nec minus regi subjecti esse debeant tales judices, quam quilibet ex media plebe. Præterea videndum an eadem pœna competat in regem reum, si accusari eum posse detur & judicari, quæ in subditum quemlibet competeret si ejusdem criminis reus fieret. Constat legibus Romanis pro qualitate personarum crimina eadem aut levius aut gravius fuisse vindicata. Alia quippe pœna humiliores, alia honestiores coërceri apud eos jus mosque fuit. Tradit Paulus libro v. Sentent. Tit. de seditiosis. *Auctores seditionis, & tumultus concitato populo, pro qualitate dignitatis, aut in crucem tolli, aut bestiis objici, aut in insulam deportari.* Ergo in vilioribus concitatio tumultus & seditionis capite puniebatur, & servili quidem supplicio, in honestioribus deportatione in insulam. At hoc crimen ne in regem quidem cadit. Non enim seditionis auctor esse potest contra populum, nec tumultus vel turbarum. Similiter nec populus cum imperium habet. Secessio populi Romæ facta quam Menenius Agrippa composuit, & aliæ multæ similes sine pœna autoribus suis stetere. Lege Cornelia

nelia de Falso, si quis ob falsum testimonium perhibendum, vel verum non perhibendum pecuniam accepisset, dedisset, judicemve ut sententiam ferret, vel non ferret, corrupisset aut corrumpendum curasset, humiliores capite puniebantur, honestiores cum ipso judice in insulam deportabantur, ut scribit idem Paulus libro quo supra, ad Legem Corneliam. Atque ita de aliis multis publicis judiciis, levior erat pœna in eos constituta qui alicujus dignitatis essent, alia in capita viliora, cum tanta sæpè differentia, ut mors in istis esset supplicium, in illis, vita incolumi, alia pœna constitueretur. Quid de rege dicendum est qui non solum supra omnem dignitatem positus censetur, sed etiam supra leges? An eadem pœna teneretur eodem crimine admisso, quo quilibet subditorum? Ita visum est fanaticis rebellibus Angliæ, qui regno & vita privarunt per infame supplicium regem suum propter eas noxas, quæ ne quidem exilio dignæ sub justo judice visæ essent vel in privato. Præterea contra legem facere ne videri quidem possit ille qui supra leges est, cui eas figere & refigere pro arbitrio licet. Lege Pompeja de parricidiis tenebantur qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patronum, patronam occidisset. Olim insiti culleo in mare præcipitabantur, postea teste Paulo vivi exusti sunt, vel ad bestias dati. Qui patronum occideret hanc pœnam patiebatur. An non hanc meriti sunt illi qui suum Regem capitali supplicio affecerunt? Nam quis major aut verior patronus rege, qui etiam parens patriæ est & populi, quique adeo sine parricidii summo scelere necari non potest? Hoc crimen quod *asperrimum* vocat Gajus in Institutis, & nova pœna persequendum, in regibus non puniebatur, ut do-

cuimus exemplo Iudæorum regum, Gentilium & Chriſtianorum. Nullum in Deum majus crimen committi poteſt quam idololatria, neque quod ſeverius umquam à Deo vindicatum ſit. At fideles populi tulere Imperatores cultui idolorum addictos & Chriſtiani nominis perſecutores, ut Iudæi reges idololatras. Et perjurium quoque in privatis ſoli Deo puniendum reliquerunt leges civiles. Ita in rege omnia crimina ſolum Deum habere vindicem judicemque tota antiquitas conſenſit. Nullam eſſe legem ex qua regis accuſatio inſtitui poſſit aut damnatio ſtatui, ipſi parricidæ Anglicani profitentur. Sed quare non eſt, inquiunt, lex quæ crimen læſæ Majeſtatis regi intendat, ut eſt quæ ſubjectos hujus criminis reos facit, qui in Regis necem conſpiraverint? Vbi hoc ſibi objecerunt, ſtulto & ſe digno reſponſo id diluunt vel eludunt, Anteceſſores ſuos non ſibi perſuadere potuiſſe quemquam Angliæ regem tam ſtolidum futurum, ut bellum inferret Senatui & populo. Qua ratione nihil fingi potuit ſtolidius. Atqui caret prorſus ratione, ut reus læſæ majeſtatis fieri poſſit is qui majeſtatem habet, aliquid committendo contra eum qui eam non habet. Quomodo enim lædi poteſt majeſtas in eo qui caret majeſtate? Nulla certe læditur quæ nulla eſt. Sed & in legem quæ non eſt nemo committere poteſt; nemo contra eam facere quæ nec jubet nec vetat, & quam, ſi eſſet, ipſe qui legum condendarum poteſtatem habet poſſet abolere, aut ejus tam ſibi quam aliis gratiam facere. Nam certe ſi ulla lex foret quæ regem læſæ majeſtatis reum faceret, aut eam poſſet abrogare jure ſuo, pro ea quam obtinet ſupra omnes leges poteſtate, aut ei impune non pareret, ut nulla tenetur niſi velit, quia ex nulla poteſt

reus

reus fieri, cum nemo sit à quo possit accusari, nemo qui in eum testimonium dicere, nemo qui judex in eum dari queat, quippe cum nec dominum à servo accusari jura sinant, nec patronum à liberto, nec parentem à liberis, nec eos qui jus habent clientelæ à clientibus suis, ergo nec Regem à subjectis, qui in eos hæc jura omnia & nomina simul obtinet, domini, patroni, parentis. Audent latrones Anglicani dicere, ubi lex scripta deficit, ad naturalem recurrendum esse. An ulla lex est scripta quæ potentius efficaciusque regum majestatem tueatur, & inviolabilem esse sanciat, quam naturalis? A naturæ principiis deducta planè illa lex, quæ ut populum ab uno vel pluribus regi docuit, ad ipsius qui regitur utilitatem & commodum, ita salutem rectoris cum subjectorum salute conjunctam modis omnibus conservandam præcipit. Præterea cum Lex Sacra, tam veteris quam novi fœderis, reges etiam malos, etiam pessimos, etiam tyrannos, etiam impios tolerandos esse præscribat, ubi de præcepti divini quod ab auctore naturæ datum est, sanctione constat, non alia lex naturalis qua nitamur quærenda est. Naturale est ut parentes colamus, ut patronos, ut dominos, ut his, severis etiam & asperis, non noceamus. Idem de rege observandum, qui hæc omnia solus est, & tanto etiam magis, quod omnes patres, omnes patronos, omnes dominos sub suo unius patrocinio, clientela, ditione, dominio continet. Nec testis igitur in eum potest dicere, nec accusator quisquam eum deferre, nec judex condemnare, nec lex ulla est qua teneatur, aut qua reus peragi queat. His opponunt nonnulli regem quidem plus quam singulos posse, sed non posse plus quam universos. Quæ absurda sunt & falsa. Si duntaxat

plus poteſt quam ſinguli, an nec plus quam bini, terni, deni, centeni, milleni, decies milleni? Quid? An non plus quam dimidia pars populi? Quid ſi alterius dimidiæ parti pars altera accedat? Quid ſi in parte quæ minor eſt optimates reperiantur? An non Rex cum optimatibus junctus plus quam cæteri omnes poteſtatis habebit, qui alteram partem conſtituent è plebe indocta & ſtolida opificum aut ruſticorum conſtantem, quæ major tamen numero fuerit? Certè plures numero, ſed opibus, virtute & prudentia minores, minus etiam poſſe debent, & revera minus poſſunt, quam minor numerus ſapientia, aut nobilitate, aut divitiis præpotentium. Sed quota portio minor cenſebitur? Vtrum tertia vel quarta? Siſtamus in quarta. Quid ſi unum ex ea demas, deinde unum, & mox unitate ſemper adjecta plures tollas? Quo in numero pedem figemus? Quid ſi duo vel tres ad ſummam deſint univerſitatis implendam? An efficient ne univerſus dicatur populus, & ne plus quam univerſi rex poſſe videatur, quia ſummæ tres vel quatuor defuerint? Major pars ſemper minorem in ſuffragiis ferendis vicit. Si ergo rex plus valet quam major pars, συμπλείονας dicit Ariſtoteles cum de hoc loquitur, minor addita nihil momenti adferet quin plus quam utraque poſſit, cum plus poſſit quam major. Enimvero ſi plus quam univerſi non poteſt, ergo rex erit tantum ſingulorum, non omnium univerſim ſumptorum. Ergo legem ferre non valebit quibus univerſi teneantur, ſed quibus tantum ſinguli. Quid ſi tertia pars aut quarta vel etiam dimidia per ſeditionem in unum coacta legi à rege latæ, vel ipſi regi recuſet parere, an jus coërcendi eam non habebit? Fortaſſe habiturum concedent, quia non eſt univerſus populus. Immò

etiam

etiam fortaſſean negabunt quia ſunt plures ſingulis, Rex autem non poteſt niſi plus quam ſinguli. Quid ſi univerſus populus in concione collectus reclamet regiis mandatis & edictis? Hæc quidem vis erit, ſi concitatæ multitudini reſiſtere Rex non valeat. Sed ſi armis militum & vi poſſit eam diſturbare, & in ordinem cogere, jure ſuo uti ſic poſſe, immo & debere, quis negaverit? Certè rex non erit niſi plus valeat quam univerſi. Nam ut univerſus populus lege Regia in regem contulit ſuam omnem poteſtatem non ſinguli, nec pars ejus aliqua, ita datam ab omnibus poteſtatem in omnes poteſt exercere, etiam collective ſumptos. Populus cum dominatur in Republica libera, in concione convocatus, quam ἐκκλησίαν Græci vocarunt, ſuffragia ferebat manu extenſa, χειροτονία dicebatur, vel ad magiſtratus legendos, vel ad leges rogandas, vel etiam ad judicia exercenda, ἡ γὰρ ἐκκλησία, inquit Ariſtoteles in Politicis, κυρία πάντων τῶν τοιούτων ὄξι. *Concio enim omnium horum domina.* Ἐκκλησίαν paulo poſt τὸν δῆμον appellat, id eſt concionem, populi nomine convocatam, quia populus univerſus in concione congregatus intelligitur. Hoc in Græciæ civitatibus obtinuit. Etiam Romæ concio totum populum deſignavit quæ ad leges rogandas conveniebat & plebiſcita facienda. Vbi tranſlata eſt hæc omnis ad ſingulare imperium poteſtas, quæ multitudinis fuerat, concionis auctoritas evanuit, & quod plurium ſive omnium jus erat, unius eſſe cœpit. Ita ergo unus ille inſtar concionis, id eſt totius populi fuit, & plus quam univerſus potuit in concionem coactus. Concio autem idem poterat quod univerſus populus, nam omnes vocabantur per præconem & nemo excludebatur. Vt ſinguli porro non erant talium judices idonei, ita

omnes postquam in unum convenissent ad hoc videbantur apti, ut de rebus & personis commodè judicarent. Idem Aristoteles: ἔστι γὰρ ἕκαστος μὴ χείρων κρίτης τῆς εἰδότων, ἅπαντες ὃ συνελθόντες ἢ βελτίους, ἢ οὐ χείρους. Hoc ergo jus est populi in concione judicantis, magistratus legentis, leges ferentis, de bello ac de pace, quæ visa sunt, statuentis. Vbi hæc omnia in unam potestatem concedere, ipse de concione, id est de populo universo quod vult judicat, & leges fert, quæ universos obligant. Nam concio regem potest etiam eligere quem volet, & formam mutare Reipublicæ quæ libera est, sed dominum quærit. Ita Pittacon à Mytelenæis electum Alcæus his versibus significabat. Τὸν κακοπατρίδα πιττακὸν πόλεως τὰς ἀχόλω καὶ βαρυθύμῳ ἐξαίσαντο τύραννον μέγ' ἐπαινέοντες ἀοιλίες. Populus nempe in concionem adgregatus Pittacum elegit tyrannum suæ civitatis infelicis. Tunc ille unus, à concione lectus, habet omnia jura concionis, id est populi totius, & sic plus potest quam concio, id est quam populus universus. Leges etiam sancit quæ ad universos pertinent non solum distributivè sumptos, ut vulgò loquuntur, sed etiam collectivè. Nam edicto prohibere potest ne in concionem conveniant, ne collegia faciant, jubere ut metata militibus præparent omnes, agros universos tributo onerare, capitationes imponere, tyrones ad militiam indicere, leges de religione sancire quæ cœtus habendi Ecclesiastici modum & tempus definiant, & alia sexcenta. Nunc discutienda illa quæstio quæ jam contra reges à parricidis Anglicanis ita deciditur, ut dicant penes populum jus majestatis ex origine, & naturæ ipsius vi residere. Ideo quoties ipsis placet, aut ex usu esse videtur, posse se existimant regem quem

post

post mille annorum successionem habuerint, indicta causa tollere quasi gravem & molestum, & sic libertatem recuperare qua per tot sæcula lubenter caruerint. Hoc vero est omnium civitatum eversionem inducere, bella intestina ubique terrarum commovere, vexillum ad seditiones & tumultus in omnibus regnis erigere, egenos adversus aliquid habentes suscitare, plebem in optimates accendere, omnia turbis miscere, totum denique orbem Christianum cladibus & calamitatibus implere. Sed an verum sit quod ponunt, videndum, quod etiam si verum esset, certum tamen est, sicut jam diximus, semel à populo traditam & in unum translatam potestatem postea revocari non posse. Cæterum nihil esse falsius illa propositione, si sic generaliter & universim accipiatur, jam demonstrabimus. Ante omnia nos doceant oportet quid nomine *populi* intelligi velint. Populus quippe generatim sumptus dividitur in proceres & vulgus, sive quod idem est, in optimates & plebem, in opifices & ingenuos, in nobiles & obscuros. Sunt & mercatores, sunt milites, sunt rustici in populo, sunt divites & egeni. Si populus in hac significatione quæ omnia genera & conditiones hominum comprehendit, acciperent, minus fortasse hallucinarentur. Sed populi notio, sicut Romanis usitata olim fuit, ordinem tantum plebejum designat, ut tum distinguebatur à Senatu, id est à proceribus, & ab ordine equestri. Nam ita dicebant cum cives omnes Romanos complecti vellent, S. P. Q. R. id est, *Senatus Populusque Romanus*. Qua formula etiam Equites sub nomine populi comprehendi solitos planum est. Sed interdum etiam equestrem ordinem à populi nomine discernebant ac dicebant, *Consensu Senatus*

& Equestris ordinis populique Romani. Et sic sæpe plebis & populi appellationem indiscretam apud optimos Latinitatis autores positam legere est. Hoc significatu Angliæ perduelles *Populi* vocem intelligere, cum penes populum summam potestatem & imperii majestatem originaliter & naturaliter hærere & morari pertendunt, nemini obscurum esse potest qui scierit, quomodo optimatum consessum abrogaverint, sola relicta plebejorum, domo quæ vocatur vulgo *Communium*. Ita *commune* & *communitas* de plebe Latinis autoribus dicitur ut Græcis τὸ κοινὸν. Vt τὸ κοινὸν Κορινθίων *communitas Corinthiorum*, id est, plebs Corinthiorum. In plebe igitur Fanatici illi jus imperii summum hærere tanquam in fonte suo fundoque & origine contendunt. Quam falso, quæ jam dicemus probabunt. Ridiculum primò est penes eos velle esse summi regiminis autoritatem & majestatem qui tam regi planè nequeunt, quam regere nesciunt. Quid enim plebe ventosius, vanius, levius, mobilius? Ex spe ac metu æque pendula est. Paulo momento huc illuc impellitur. Sæpe vel unus animi fidens & loqui promptus, ducit eos quo vult ac reducit. Nihil in eo stabile, nihil solidum, quod semper varium est ac mutabile. Quomodo igitur facultatem vel artem regendi cuiquam dare posset, quod ipsa non habet? Si penes ejus arbitrium esset dare cui vellet imperandi ac in se dominandi potestatem, ut nec judicio nec consilio valet, mente bruta & cœca sæpius eam indigno committeret, aut certe raro sibi constaret in eo eligendo qui cæteris prudentia & gubernandi scientia præstaret. Cum suffragiis plebis in urbibus Galliæ Major urbis creatur, nunquam sine rixis, seditionibus & tumultu illæ electiones transmittuntur. In partes & studia contraria

traria sciſſum vulgus frequenter saxis & fustibus rem gerit. Romæ ad creandos magistratus cum populi comitia habebantur, quot turbarum causæ subinde in iis exortæ sunt ex dissensione competitorum, & studiis fautorum diversis? Quandiu in Ecclesia plebs partem habuit in Episcopis & Presbyteris legendis, numquam discordiis & factionibus civitates caruere, donec res ipsa & pax Ecclesiarum docuit plebi hoc jus ademtum, magistratibus & clericis primo relinqui debere, quod postea soli sibi clerici vindicarunt. Sed cum plebs Episcopis faciendis suum suffragium dabat, an ex eo quis arguere possit penes plebem esse originaliter characterem, qui Episcopis & Presbyteris imprimi à quibusdam nunc creditur, aut certè Spiritum Sanctum naturaliter eam possidere quem traderent electo à se præsuli? Per impositionem manuum quæ in consecratione ab Episcopo & Presbyteris celebrabatur, conferri ille character vel illud charisma solebat, quo potestatem regendæ Ecclesiæ ordinatus accipiebat, & jus Sacramentorum Christi conficiendorum. Nec ergo plebs quæ regem facit dare illi potest quod non habet, artem nimirum bene imperandi, & potestatem ejus artis ad bonum publicum exercendæ. Sanè & characterem suum sacrum habent reges, & *Vncti Dei* vocantur in Scriptura, etiam infideles. Quinetiam ungi oleo sacro solent, ut pontifices. Hoc illis dare, jus non potest populus quo regalis pontificatus eorum majestas, inviolabilis & sancta redditur. Ne quidem id illis tribuere quiverit quo bene regnare possunt, id est scientiam, ut dixi, bene regnandi. Ponamus liberum aliquem populum de rege eligendo consultare, aliis placere eum qui robustior sit capiendum esse, aliis eum qui prudentior, aliis denique

talem, qui forma omnes antecellat, sumi debere. Nam constat quibusdam gentibus in more fuisse, ut ei qui omnium esset pulcherrimus, regnum darent. Sic sanè vel vires præcellentes, vel rerum prudentia major, vel eximium formæ decus regem faceret, non populus ipse qui eligit. Qui propter pulchritudinem excellentem rex electus esset, formæ suæ acceptum referret imperium, & ita de aliis. Sed præcipuè dignus est imperio qui bene regendi artem tenet. Is si suffragiis populi ad hoc fastigium ideo evectus sit, quia imperandi industria super omnes polleat, tum sane peritiæ suæ & scientiæ regendi tribuet quod rex factus sit. Si medicum respublica ad valetudinaria civitatis curanda publicè constituat, medendi artem illi non impertit, sed propter scientiam medicinæ quam habet, judicat & declarat eum dignum qui nosocomio publico præsit. Si populo de Rege sibi constituendo agitanti sederit sortito esse eligendum qui rex sit futurus, utrum populo ipsi an sorti regnum debebit, cui sic illud quæsiviſſe contigerit? Sanè sorti potius. Ita hinnitu equi Darius imperium Persicum nactus est, quia ita convenerat inter eos qui de rege faciendo deliberabant. Non sors tamen propriè regem creat sed ille qui sortem regit: nempe Deus. Is prima causa est & efficiens regum constituendorum. Secunda interdum hominum ministerium, interim sors. Ita cum de Apostolo in locum proditoris qui defecerat inter discipulos Christi subrogando quæstio esset mota, sorti permiserunt. Ita per sortem, in quem ea cecidisset, Deum indicaturum quem magis probaret. Si suffragiis plurium hanc electionem commisissent, an non & sic Deus voluntatem suam de electo significasset? Ita quidem, sed non ita explicitè & magis indirectè. Ipse enim

enim ſuffragia & ſententias hominum dirigit ad id quod vult. Inde eſt quod non Scriptura tantum ſacra, ſed omnes auctores tam profani quam ſacri, tam poëtæ quam oratores, reges à Deo conſtitutos, & omnes poteſtates à Deo ordinatas eſſe unanimi conſenſu dixerunt. Si reges à Deo ſunt tam boni quam mali, neutri à populo ſuam poteſtatem accipere cenſendi, ſed ab illo à quo ſunt conſtituti & ordinati; mali quidem ad eos puniendos quibus dantur tales ob ſcelera ſua, boni ad felicitatem eorum quibus Deus ita factum cupit. Atque hæc de regibus quos conſtat à populis qui liberi ſunt & nullo adhuc imperio tenentur, eligi. Et proprie quidem illi non poteſtatem regi dant, quia non habent, ſed ab eodem numine unde poteſtas deſcendit, jus etiam poteſtatis exercendæ derivatur in eum qui ſumptus eſt, ut inter omnes convenit. Tametſi autem hoc liqueret poteſtatem ſuam lege Regia populum in eum quem regem legerit transferre, alienatum hoc modo jus imperii revocari à populo non poſſe, nec ab illo auferri cui ſemel donatum fuerit, jam ante multis rationibus probavimus. Nunc vero cum ſint alii plures modi regum conſtituendorum, quicunque dari poſſunt præter illum, quo à populo libero rex eligi ſolet, nihil populo debent hoc nomine, nec ei poteſtatem ſuam acceptam referunt. Primum reges plurimos in terris eſſe conſtat qui non fiunt, ſed naſcuntur. Omnia regna hæreditaria tales habent. Natalibus igitur ſuis regni majeſtatem quam adepti ſunt imputant, non populo, qui jus hoc inhærens ſorti naſcendi ſuæ retinent, & à natura habent. Hæreditas eſt quam cernunt, & quidem paterna. Sive autem ex recta linea, ut vocant, ſive ex tranſverſa, & ex collaterali propin-

quitate veniat, tantumdem est. Nec est quod quis ad originem dicat esse recurrendum, quia nulla regni hæreditas non habuit aliquod principium quod ab hæreditario succedendi jure diversum fuerit. Hæc igitur principia percenseamus & examinemus. Aut bello quæsitum est regnum, aut voluntaria deditione acceptum, aut libera electione delatum. Quocunque ex his modis regni status ab initio constitutus fuerit, si lex successionis in ipsis primordiis dicta sit, in totam posteritatem durat ejus, qui primus rex factus est. Vbi ea deficit, tum populus libertatem suam denuo recipit, & jus alterius principis eligendi. Successione autem semel instituta & stabilita, omnes descendentes ab illo qui regnum primus alio quocunque modo adeptus est, non jam electioni vel legitimæ acquisitioni, aut etiam usurpationi potestatem debent acceptam ferre, sed naturali beneficio quo hæredes facti sunt & legitimi successores illius qui imperium à principio qualicunque quæsivit. Hoc si locum habet in successione ejus qui natus est illo primo regni fundatore, quanto magis obtineat in illis qui successione jam firmata, & multa annorum serie, longaque præcedentium linea corroborata id jus sibi vindicant? Nec secus est in patrefamilias qui labore proprio, vel arte, vel mercatura, vel militia magnas opes peperit. Is propriæ quidem industriæ quod dives sit tribuere debet, at liberi quibus hæreditas ejus obvenerit, non ulli suo labori, aut studio, vel artificio eas imputare possunt, sed paternæ successioni. Qui deinde illi succedent nepotes & abnepotes, dicere jure suo poterunt, se natos esse divites, non factos. Ex illis porro principiis regnorum acquirendorum plurima sunt quorum, ut à se concessorum vel delatorum, titulum

tulum populus non habet. Qui armis sibi regnum fecit, & provincias multas suæ ditioni vi subactas adjecit, populum non potest autorem agnoscere prolati imperii, vel etiam usurpati. Quos bello victos & domitos poterat perdere, servare maluit, ea conditione, ut sibi obsequium fidele præstarent, & in numero subjectorum essent. Nullum hodie in Europa, nec in Asia vel Africa regnum fermè nominari potest, quod non ita cœperit & propagatum sit. Imperium Romanum quo totius fere orbis dominatus in unius populi potestatem cesserat, hæc initia habuit quæ nihil populo acceptum ferrent. Non enim populus Romulum Regem fecit, sed ipse sibi populum. Asylo enim constituto, cum omnes undique ex vicinis regionibus homines perditi, aut ære alieno obruti, confluxissent, ex hac multitudine subditos sibi conciliavit, quibus & urbem condidit. Quia populus erat virorum, uxores illis vi raptas paravit. Solis urbis conditæ pomœriis continebatur illud regnum, quod ita postea dilatatum est, ut totum ferme orbem comprehenderit, plurium etiam regnorum accessione auctum. Et hæc Alexandri Magni successores simili usurpatione quæsiverant. Cum Persarum ille imperium evertisset, ex illius eversione multas ditiones quasi lacinias regali imperio obtinendas duces qui sub eo militaverant, confecere. Vt ergo imperii Perfici occasus plurimorum regnorum causa fuit, quæ postea absorpta fuere Romanæ quasi potentiæ voragine, ita & Romani cadentis imperii ruina compluria etiam regna de se dedit, barbararum gentium, ex septentrione erumpentium, inundatione occupata & infesta. Eæ laciniatim vastum corpus imperii discerpserunt, & ex particulis ejus varia regna minora, Principatus, Exarchatus, Ducatus,

catus, Comitatus, etiam Reſpublicas, conflaverunt. Ita ergo regnum Hiſpanicum, Francicum, Britannicum, quæ nunc vigent, orta ſunt. Italicum, Burgundicum, & alia multa, aliquando nomen habuere, quæ nunc nuſquam ſunt. Multi alii minuti principatus, qui nunc ſunt, inde originem cepere. Nec in his tamen regnis eædem familiæ hodie regnant quæ tunc dominabantur cum Vandali Hiſpaniam, Gotti Italiam, Burgundi & Franci Galliam, Angloſaxones Britanniam occuparunt. Qui nunc in Gallia regnum tenent alieni ſunt à Pharamundi poſteris. Hi Galliarum eam partem, quæ Francia ab ipſis denominatur, Romanis ereptam, invaſerunt. Ne quidem pertinent ad Carolidarum proſapiam. Non minus tamen legitimi ſunt regni poſſeſſores quam ſi Carlomanidæ hodie imperarent, vel Merovingiani. Britannia magna has etiam vices dominantium experta eſt; non ſolum in familiis regnatricibus, ſed etiam in gentium generibus, quæ ſub diverſis regibus fuere. Angli quippe ſuos reges habuere, Dani ſuos, & poſtremo ſuos Normanni, quibus ſi externus hoſtis regnum vi ereptum veniſſet, tralaticium eſſet & exemplis frequens: ſed quod ſubjecti rege ſuo legitimo deturbato tyrannidem ipſi arripuerunt, res novi eſt & pernicioſi exempli. Primus Nembrotus armis potentiam ſuam extendit, & regni Babylonii fuit autor, Ninive condita. Ab eo igitur uſurpationes regnis evertendis & adſtruendis cucurrerunt, alienis evertendis, ſuis adſtruendis. Antea, ut diximus, ſolus notus erat regnandi mos per patres familiarum, quos πατριάρχας appellabant. Vnuſquiſque enim, qui primus erat autor generis, omnes ab uno capite prognatos ſub ſuo imperio continebat. Sic una gens quæ in plures fami-

familias erat divisa, ab uno communi parente regebatur. Πάλεμον Græci nominabant, quæ ut scripsit olim Dicæarchus vetus & optimus autor rerum Græciæ, ὑπὸ τῶ πρεσβυτάτου τε καὶ μεγίστου ἰσχύοντος ἐν παντὶ γένει τὴν ἐπωνυμίαν ἔχει Quæ gubernatur ab eo qui in gente est antiquissimus & potentissimus. Is pater erat. In quo verò tempore ad nongentos annos vitam producebant homines necesse fuit amplam gentem natorum & nepotum ex uno oriundam propagari, quos omnes paterna simul & regia potestate sub se continebat ex se ortos. Hæc maxime naturalis & vetustissima singularis Imperii ratio & origo. Vnaquæq; quippe familia sub uno patre, quasi rege, instar habet exigui regni. Hanc primam communitatem & societatem naturalem ponit Aristoteles. Πᾶσα γὰρ οἰκία, inquit, βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου. *Omnis domus regio more regitur ab uno qui major natu est omnium.* Vbi multitudo natorum nepotumque major esse cœpit quam ut una domo posset contineri, dum grandes virgines nuptui in alias familias dantur & filii uxores ex aliis prosapiis ducunt, tum domo paterna egressi, privatas sibi quisque domos constituerunt, quæ plures junctæ κώμας, sive vicum & pagum fecerunt. Hæc proprie φρατρία Græcorum est. Inde Aristoteles κώμην sive vicum ἀποικίαν τῆς οἰκίας esse dixit, *vici coloniam.* Vbi vero unus vicus crescentem & abundantem multitudinem cognatorum & agnatorum tenere amplius non potuit, plures ex eo vici extitere, qui in unam civitatem postea coëuntes tum perfectam dedere κοινωνίαν. Atque hæc πόλις est, sive civitas. Ita Theseus Athenienses cum prius vicatim incolerent, in unam civitatem coactos induxit. Hæc proprie φυλετῶν sive tribulium κοινωνία dicebatur. Nam ut definiebat

Di-

Dicæarchus, Φυλὴ μὲν φυλέτας πρότερον ὠνομάσθησαν ἐν δὲ εἰς πάσας πόλεις καὶ τὰ καλούμενα ἔθνη συνόδους ἠθροίσθησ. *Tribus & Tribules primo nomen habuerunt ex conventu & cœtu qui in civitates & populos congregabatur.* Inde φύλαρχοι Arabum, quia universa illa gens per Tribuum principes regnabatur. Hinc duodecim Tribus populi Israëlitici cum principibus Tribuum. Hinc etiam à Mose eorum Legislatore vetitum his fuit Dei mandato, ne si quando regem sibi constituerent, alium quempiam acciperent, nisi ex numero fratrum. Ea etiam ratio fuit, cur antiquitus omnes civitates à regibus regerentur, ut postea populi. Aristoteles: Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νυῦ ἔτι τὰ ἔθνη. Hæc prima origo regalis fuit regiminis, & ab his principiis videtur omnino repetenda, ut maxime naturalis, ratio & causa monarchici imperii. Nam singulæ domus, veluti unius regio imperio, ejus nempe qui primus & antiquissimus esset generis autor, tenebantur. Ad hoc exemplum & colonia, sive vicus, qui pluribus domibus constabat, quæ ex una familia fluxerant, similiter regali potestate gubernabatur. Hinc etiam petendum absolutæ potestatis in regibus exemplum. Nam patresfamilias jus vitæ & necis in liberos olim tam apud Græcos quam Romanos habuerunt. Homerus de Cyclopibus,

Θεμιστεύει ὃ ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων.

Ibi quisque uxoribus unus Iura dat & natis. Dispersi illi in montibus & sylvis non vicatim sed domatim vixere, quomodo & plures olim homines vitam egere solitariam, cum sua quisque uxore & natis, ferarum more. Hodieque magna pars orbis incogniti, aut nuper detecti, tales habet habitatores. Σποράδες enim sunt & νομάδες ut olim plerique. Ab uno aliquo, qui prudentia valebat, con-

congregatos, & in unum coactos, & legibus positis in eadem communitate vitam agere persuasos fuisse plane constat. Sic orbis ex inculto, & belluino ritu viventibus hominibus referto, paulatim cultior redditus, & ad societatem factus aptior, atque ita naturæ suæ convenienter vivere condidicit, quia homo animal est ad societatem natum. Ex hoc principio & alia regnorum acquisitio nata est, in quibus dandis populus partem sibi non potest vindicare. Nam illi qui dispersos & vagos antea populos convenire in unius civitatis cœtum docuerunt, quasi Dii ab illis ipsis habiti sunt & culti, qui tanti boni eis auctores extiterant, quod sapientia scilicet, & potestate plusquam humana præditi viderentur. Eosdem & reges habuere. Inde primi & antiquissimi reges à subditis suis certatim Dii facti sunt cœloque donati. Atque inde religio gentium tota conflata fuit. In America ante sexcentos annos cum plerique illius orbis homines sibi quisque in antris & speluncis, cum uxoribus & natis viverent, prodiit inter illos quidam Yncas nomine, quem quasi cœlo lapsum existimarunt & filium Solis dixerunt, ut uxorem ejus filiam Lunæ. Non enim metus homines congregavit, & in unam κοινωνίαν compulit, ut quidam opinantur. Immo potius formido est quæ eos dissipavit & solitariam vitam agere adegit, dum sibi quisque à vicino metuit parum noto, tanquam ab aliqua bellua. Et revera, sicut antiquis dictum est, *homo homini lupus*. Palantes autem & vagos & ferarum ritu degentes, ad vitam civilem & communem agendam reduxit alicujus eloquio & sapientia juxta potentis blandiloqua & prudens oratio, hoc maximè consilio, ut suos faceret, & in congregatos imperium haberet. Nec omisit Aristoteles de hoc gene-

genere regni acquirendi monere; cum inter alias differentias regii regiminis & hanc posuit, cui causam dedit hominum antea dispersorum in unum conventum & cœtum compulsio. Quam quartam speciem facit singularis imperii; ἢ ἀφ' τὸ συναγαγεῖν, ἢ πορίσαι χώραν, ἐκήρυττο βασιλεία ἑκόντων καὶ τοῖς προσλαμβάνουσι πάτερσι. *Vel quod dispulsos congregassent, aut agrum iis attribuissent, facta sunt regna in volentes, & hæreditaria hæc regna evasere accipientibus.* Ad tempora Heroïca refert hoc genus status regalis, cujus & speciem alteram tradit, ἀφ' τὸ πορίσαι χώραν. Vbi aliquis potens & dives agros assignasset multitudini, eo ex suam fecit, & sic volentibus imperitavit. Aliam etiam causam ibi adfert qua ejusmodi regna instituta sunt, ἀφ' τὸ εὖ ποιοῦντες χρήσθαι ἢ πλήθει ὠφελήσαντες ἢ τέχνοις ἢ πόλεμον. Quod primi ejusmodi reges bene de populo meruerint artibus tradendis, aut bello gerendo. Ob ista ergo benefacta regnum in populum acceperunt & semet ipsos hoc pacto reges fecerunt, non à populo facti aut electi sunt. Horum regum officium fuisse scribit exercitum ducere, sacris præesse quæ non sacerdotalis essent muneris, & jura reddere. Prætermisit Aristoteles & aliam Monarchici imperii originem causamque, quæ populum non habet autorem nec datorem. Cum civitas aliqua multitudine nimia civium laborabat, redundantia inde examina in exteras regiones transvolabant, duce aliquo ex popularibus potentiore & audaciore qui colligebat volentes, & se lubenter sequuturos in hac migratione deducebat. Vbi locum accepissent in peregrina regione ad civitatem condendam, vel indigenarum voluntate, vel invitis & bello subactis, tum se reges eorum constituebant quibus se duces migrationis & itineris præbuerant.

Ita

Ita sunt facti reges Vandalorum in Hispania, Gothorum in Italia, Francorum in Gallis & Burgundionum, Anglorum & Saxonum in Britannia. Nonnulli & finibus suis excedentes quia bello vastati essent, novas quærebant sedes, cum profugis qui se voluissent sequi. Sic Æneas ex Trojæ incendio & captivitate collectam multitudinem, quæ evaserat, navibus in Italiam portavit, Rex eorum ibi fuit, & novum regnum ducta in uxorem regis Latini filia condidit. Omnium horum regnorum, sive monarchiarum, quas recensuimus nulla fuit quæ populi autoritati accepto sit ferenda. Falsum igitur quod ajunt, omnis singularis imperii jus & potestatem penes populum, tanquam fundum & fontem suum, residere. Et satis est, si vel uno exemplo ostendatur non semper esse verum quod prætendunt, nullam esse regnandi facultatem quæ non à populo obtineri debeat. Quid ergo ad hoc dicturi sunt, quando constat tot imperii monarchici genera posse memorari quæ populum autorem non agnoscunt? Omnia certè hæreditaria regna, qualia fuere omnia in Asia olim & Oriente toto, & nunc sunt ferme in Europa universa, paucis exceptis, non populi beneficio tenentur, sed successionis merito. Vnde πάλεις & πάλειακὰς appellat Philosophus ejusmodi Monarchias, & κατὰ νόμον, id est, paternas & legitimas, & κατὰ γένος, quia lege successionis deferuntur, non à populi voluntate & arbitrio pendent. Quamvis Tyrannicæ sint & despoticæ, nihilominus & πάλειακὰς esse, & κατὰ νόμον affirmat. Quia enim servilia erant ingenia plerarumque Barbararum & Asianarum gentium, ideo talia facile ferebant imperia, nec dominos abnuebant, quamvis severos & asperos. Et potestas quidem sic imperantium erat tyran-

nicæ

nicæ ſimilis, quia ſumma, ut eſſe ſolet tyrannorum qui vi regnum occuparunt & vi retinent, ſed quia in volentes & lubenter parentes exercebatur, idcirco & legitima videbatur, & hæreditate tanquam patrimonium aliud devolvebatur à patribus in natos & natorum natos. Τυραννικαὶ μὲν ἕνεκα τοῦτου εἰσὶν, ἀσφαλεῖς ὅ λέγω τὸ πατρίας καὶ κατὰ νόμον εἶναι. *Tyrannicæ quidem ſunt propter hanc cauſam, quia nimirum poteſtate utuntur qualem Tyranni uſurpant, ſed tutæ ac ſecuræ, quia paternæ ſunt & legitimæ.* Ergo omnis Monarchia, vel ob hoc ipſum quod eſt hæreditaria & legitima ſucceſſione defertur, debet eſſe tuta & ſecura dominantibus, quamvis tyrannicæ propior ſit. Hæc enim differentia tyranni & legitimi Regis, quod ille vi rapiat imperium & per vim rapto potiatur, hic in volentes dominetur & regnum tueatur benevolentia ſubditorum. Ideo Tyranni proprium eſt, ut ex mercenario milite cuſtodes corporis habeat, cum legitimi Reges ex civibus propriis eos adſciſcant. Ariſtoteles, ut dixi, legitima imperia πάτρια vocat & παλαικὰ, coque nomine diſtinguit ab his quæ vocat αἱρετὰ, quia non ſunt παλαικά. Nec conſideravit initia in παλαικοῖς ſive hæreditariis regnis. Nam quamvis primò αἱρετὰ, ſive *electiva*, ut barbari loquuntur, fuerint, pleraque tamen ex titulo uſurpationis, vel alterius talis acquiſitionis, originem duxere, quæ aliam cauſam habet, in ipſo nempe qui acquirit poſitam, non à populi, qui imperium pati cogitur, voluntate pendentem. Enimvero & Aſiaticæ illæ nationes & barbaræ quas Philoſophus ad ſervitutem magis natas eſſe notavit quam Europæas, reges potius paſſæ ſunt quam fecerunt. Omnis igitur in his imperiis cauſa regni extra populum eſt, non in ipſo, totaque in eo qui acci-

accipit, non extra ipsum. Nam ob ingenium servituti paratum primi occupantis factæ sunt illæ nationes, & imperare in se cupientes non respuerunt. Aliud est cum voluntate plebis imperium accipitur, id est ea permittente, aliud cum ejusdem decreto datur & ipsa deferente. Servilia ingenia sinunt & patiuntur sibi jugum imperii imponi. Eorum igitur voluntate fit quod agitur.' At gentes magis liberæ, hoc ipso suæ libertatis signum dant, dum, cui volunt, regnum in se tribuunt, & dominos eligunt. Scribit Æmilius Probus de Miltiade: *Nam Cherronesi omnes illos quos habitarat annos perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consequutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinuerat.* Non appellatus fuisset tyrannus, sed rex si imperium illi decreto suo detulissent Cherronesenses. Volentibus illis & patientibus id usurpavit, ideo tyrannus dictus est, sed justus. Ita τυράννους κατὰ νόμον Aristoteles appellat reges Orientis, id est legitimos & justos tyrannos, quia non vi, sed voluntate populorum, imperium obtinuerant. Etiam per vim occupatum regnum longi temporis successione legitimam usurpatoribus possessionem solet conciliare. Regna itaque omnia apud eos fuere παλεικὰ & hæreditaria, quia qui regnum manu facit, vel volentibus id populis obtinet, sibi & posteris illud acquirit. Παλεικὰς autem, sive παλείους βασιλείας ideo appellat Aristoteles ejusmodi regna hæreditaria, quia de patribus in natos transeunt, eaque à patre semper habet filius, ut & *patrimonium*, quod etiam à patre eadem de causa dictum est, cum sit propriè παλεικὸν κτῆμα. Virgilius *patrium regnum* eodem sensu appellat:

Et patrio insontes Harpyias pellere regno.

Quasi

Quasi major injuria sit patrio & hæreditario regno expelli, quam eo quod suffragio populi delatum est. Talia enim ad hæredem non veniunt. Alibi idem poëta *paterna*, & *avita regna* ea nuncupat. Hujus tamen generis regnorum etiam duæ species fuerunt, ut & τῶν παλεικῶν, quæ tyrannicæ non dissimilem potestatem habent, & quæ remissiorem. Prioris generis scribit Philosophus veterum Græcorum Αἰσυμνήτας fuisse. Eorum dominatus non differebat ab Asiatica & Barbarica dominatione, nisi hoc uno quod non esset παλεικὴ & hæreditaria. Quo ostenditur, etiam in imperio quod populi arbitrio datum est, summam inesse potestatem, nec nisi vita finiendam, nec ab ullo judicandam, ne quidem ab ipsis qui dederunt. Nam potestatem quam habuit propriam, populus eam in illum transfudit quem sic elegit, nullo ejus facto aut facinore revocandam. Sic nec Consules nec similes magistratus, quibus par regiæ potestas deferebatur, poterant in jus vocari nisi abissent magistratu, cui gerendo certum tempus erat præfinitum. At Reges αἰρετοὶ æqualem vitæ potestatem accipiunt, atque adeo non possunt judicari nisi per majorem potestatem. Hæc cum nulla sit, nec videntur posse ab ullo in judicium vocari, nec rei fieri. Si consulem ad causam dicendam in judicium venire oportuisset prius quam magistratu abisset, dictator ad hoc creandus fuisset, qui diem ei dicere deberet, & causa cognita in illum pronuntiare. Certè, ne in ejusmodi quidem regnis quæ αἰρετὰ dicebantur, & populi suffragiis dabantur, qualia pauciissima olim fuere, nec hodie multa sunt, locum habet id quod Anglicani asserunt latrones, à populo judicari posse & damnari reges, quia à populo ipsi, quasi à sua origine & principali causa, potesta-

teſtatem quam acceperunt habeant. Sed ut initio hujus capitis diximus, explicandum illis eſt quid nomine *Populi* intelligant, ſive populus dicatur regem conſtituere, ſive deſtituere. Nam certè neceſſe eſt, ut eadem poteſtate Rex conſtituatur & deſtituatur ab iis nempe qui illam poteſtatem habere exiſtimantur. Vbi ergo populus diviſus eſt in optimates & plebem, ſi talis populus de eligendo ſibi rege deliberet, utrum ſolis optimatibus hoc jus dabimus, an ſoli plebi? Si in altera tantum parte reſidere debet poteſtas creandi regis, longe præſtat ut pars prior & potior populi eam habeat, in qua viri honeſtiores, cordatiores & prudentiores, genere antiquiores, opibus potentiores ſunt, quam in ea quæ viliores & ſordidiores & egentiores & ſtolidiores ſtultioresque continet. Nam ſi hi ſoli id jus haberent excluſis proceribus, tum ὀχλοκρατία vera eſſet, quæ ita exceſſus eſt δημοκρατίας, ut tyrannis exceſſus habetur legitimæ & regiæ dominationis. Quippe cum, ut tyrannus omnia ad ſuam utilitatem & proprium commodum refert, neglecto publico bono, ita minuta plebs de ſolis ſuis commodis cogitat, publicorum ſecura. In multis ſanè regnis ſoli optimates regis faciendi jus & arbitrium habuere totiuſq; reipublicæ gubernandæ. Apud Iudæos cum populus regem in ſacra Scriptura conſtituere dicitur, de ſolis populi ſenioribus id intelligendum, hoc eſt de Synedrio magno quod ſeptuaginta & uno viris conſtabat, ætate, experientia, doctrina & prudentia præſtantibus. Præterea, ratio melior exigit ut qui in populo prudentiores habentur, & autoritate potiores atque experientia priores, reliquam partem præcedant, & pro ea faciant, eamque, ut vulgo loquí amant, repræſentent, in republica adminiſtranda & in magiſtra-

tibus creandis, aut rege etiam constituendo, quam ut viliora & indoctiora capita de plebeculæ luto, pro honestioribus spondeant, cum plebs sub clientela, ut plurimum, vivat nobilium, non econtra nobiles & divites clientes sub cerdonum & aliorum opificum. In Gallia olim nostra, plebs pæne servorum habebatur loco, quæ per se nihil audebat, nulli adhibebatur consilio. Plerique enim, ut scribit Cæsar, aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum pressi, sese in servitutem dicabant nobilibus. Nec aliter nunc fit in plerisque Europæ provinciis & regnis, immo & Rebus publicis. Nobiles Veneti quo loco plebem habeant, sciunt qui eas oras lustrarunt. Diu Romæ penes solos patricios summa potestas fuit, cujus in partem plebs non veniebat. In toto Oriente hodie, & pluribus partibus Septentrionis, ea populi pars nullo numero habetur, & servorum loco est. Sueci, Poloni, Dani, Persæ, Tartari iisdem moribus utuntur. Nec aliis, ut videtur, usi sunt olim Angli & Saxones, qui ex Septentrione venientes Angliam occuparunt. Nam sub antiquis regibus Anglosaxonicis & Danicis, immo & sub prioribus ex Normannici Victoris domo, plebs ad comitia regni nunquam vocari solita est, sed ad Senatum illum, qui nunc Parlamenti nomine nuncupatur, soli Episcopi & proceres convenire regis edicto jubebantur, plebeis exclusis. Sanè sub illorum regibus qui ante Normannorum imperium in ea insula principatum tenuere, Regis, Episcoporum, & Optimatum tantum mentionem fieri legimus ubi de majoribus rebus deliberandum erat, nullam omnino plebis. Hodie in tota Germania nobiles in dignitate & pretio, plebs non magni fit. Apud veteres Germanos, teste Tacito, de minoribus rebus principes

cipes consultabant, de majoribus omnes, ita tamen ut ea quoque quorum penes populum arbitrium erat, apud principes pertractarentur. Reges ex nobilitate tantum sumebant. Ergo maximam in eo sumendo partem habuere nobiles, ex quorum corpore solo Rex capiebatur. Idem institutum apud pleraſque gentes constantissime olim viguit, nuncque viget, ut ex solis nobilibus rex fiat, ubi eligitur. Si sola plebs ejus faciendi arbitrium haberet, solius plebis is rex esset, non etiam nobilium & procerum qui in ejus electionem non consensissent, aut quorum suffragia non essent expetita. Sic sola plebs Tribunos creabat Romæ, qui Magistratus ad plebem defendendam institutus fuerat contra Optimatum potentiam. Nulla itaque ratione aut jure fieri potest, aut concedi, ut Rex à plebe sola factus imperium habeat in proceres & principes qui ad eum eligendum admissi non essent. Quid ergo? Si concedamus, quod & dandum est, universi populi, id est nobilium simul & plebis consensum ex æquo concurrentium, necessarium haberi ad regem creandum qui universis debeat imperare, non erit utique pro legitimo habendus is qui ab altera tantum parte constitutus fuerit, præcipuè si mos sit ab utroq; ordine eum deligi. Ex eo consequitur penes utrumque ordinem potestatem residere regis faciendi, id est optimatum & plebis. Quid inde sequi putabimus? Quid? nisi ut ad eum destituendum necessaria quoque videatur optimatum & plebis consensio? Vt enim non legitima habetur illius Regis electio qui à nobilibus & plebe unanimiter sumptus non fuerit, ita nec legitima potest haberi ejusdem destitutio, quæ ab altera tantum parte facta sit, altera non consentiente, vel etiam planè & apertè dissentiente. Quid si illa quæ

dissenserit, principalior pars fuerit & potentior? Tanto magis irritum statuendum sit, quod factum est. Nam, ut ante ostensum est, eadem potestas esse debet quæ regem destituit cum ea quæ constituit, & eorumdem, siquidem hoc detur posse semel constitutum destitui. Quod negavimus. Idque magis locum habet in iis regnis quæ ad arbitrium populi, ut αἱρετὰ non sunt, ita nec κατάρατα esse debent, qualia sunt hæreditaria. Non enim ad nutum populi dantur, nec deponuntur, sed ex solo successionis jure sumuntur, tanquam aliqua patrimonii hæreditas. Angli isti fanatici, quantum à bono jure & æquo distet quod egerunt, hinc discant, qui Regem in patrio regno positum, optimatum exclusis suffragiis, quæ potiora in hoc facto videri & esse oportuit, capite damnarunt, & inde quasi legem nulli refigendam sanxerunt, penes plebem solam jus esse plenissimum & liberum regnandi, reges constituendi & destituendi, judicandi eos & condemnandi. Hoc si ita est, ut volunt, cur eorum qui *Peræquatores* dicuntur, *Libellatores* ipsi vocant, factionem & sectam omnimodo subvertere contendunt, quibus placet dignitates omnium & opes, quasi ad libellam exæquari, & ad plebeitatem deduci quicunque nobiles sunt? Et sanè si nemo usquam esset nisi plebejus, penes solam quoque plebem jus esset regiæ potestatis, quod versatur in eligendis & abdicandis regibus. Nunc quomodo possunt sibi constare dum optimates & proceres, Ducum, Comitum, Marchionum & Baronum nominibus supereſse volunt, nec tamen eis locum relinquunt quem antea habuerunt? Quasi nusquam sint, qui tamen sunt, nihil eos posse, nullam partem habere in republica administranda, & nullum discrimen ex dignitate

inter

inter eos & plebem fieri volunt. Cur igitur ducem belli nuper Baronis titulo insignierunt? Magis tamen ridiculum est quod etiam gradum doctoris ei attribuerunt, ut & plerisque Tribunis militum quos Artium Magistros crearunt. Ita jam milites esse nolunt videri qui regnant, sed doctores & sapientes; quasi titulus doctum faciat & prudentem, qui doctorem facit & magistrum artium. Si propter simulandi, dissimulandi, fallendi mentiendique artes, titulus & gradus magisterii hodie daretur, nemo palmam in hoc genere posset ipsis præripere, nec de primatu Doctoratus cum his contendere. *Dulce de labris loquuntur, corde virunt noxio.* Aliud agunt, aliud se simulant agere. Libertatem populi crepant, cui & in speciem tribuunt omnem in origine potestatem quam ipsi totam sibi reapse vindicant. Novam suam Rempublicam venditant, in qua nec sentire quæ velis licet, nec quæ sentias loqui. Simulacrum Parlamenti & umbram habent, cum re ipsa penes Consilium militare sit omne imperium; quod *Consilii Status* appellatione ab illis donatur. Nam magnam partem ex centurionibus & tribunis compositum est. Iisdemq; ferme constabat consessus ille ex luto & sanguine concretus, qui de Rege sumpsit supplicium. Hoc est populo imperium dictis dare, factis negare, & nihil non armis arrogare, & jura pro se non esse facta affirmare. Consilii illius militaris præsides, reges sunt & regnum tenent. Quam Reipublicæ formam, si nunc viveret Aristoteles, τυραννίδα στρατηγικὴν appellaret quæ illa ætate nusquam erat cognita, nec ab illo tempore fuit audita, nisi nunc cum milites & belli duces titulos ambiunt scientiarum & cum re ipsa tyranni sunt, & quidem omnium qui umquam dominati sunt, sævissimi, ferocissi-

cissimi & crudelissimi, nomina artium affectant quibus feritas mitigari videtur & humanitas ostentatur. Sic cum sint toti ex fraudibus & dolis consuti, vulpinamque pellem leoninæ perite adsutam gerant, magistri & doctores in utroque vere dici possunt, non jure, nam nullum jus noverunt, sed in lupino molossicoque & vulpino ingenio.

CAPVT VIII.

DE Regum jure & Majestate quæ potuimus, quæ debuimus, tam ex sacris quam profanis monumentis deprompta ad hoc exposuimus, ut constaret, jus illud nullum esse, si jus aliud supra illud regium agnoscatur, cum in eo præcipue potestas vere regalis consistat, ut nullis legibus, nullique judicio sit obnoxia. Gentium præterea omnium consensum huic assertioni firmandæ adduximus, cum nulla nunc sit, nec fuerit umquam, quæ Regis appellatione non intellexerit eam potestatem quæ solo Deo minor est, quæque solum Deum judicem & ultorem criminum ac delictorum suorum habere mereatur. Nunc propius accessuri ad defensionem Caroli Regis Magnæ Britanniæ, explicata generali quæstione quæ causam spectat omnium Regum qui sic vere appellantur & imperium isti nomini conveniens nullo reclamante possident, considerabimus utrum hæc causa defendi tantum possit ex jure illo communi regum, an vero aliquid habeat speciale quo sejungi debere videatur ab aliarum potestatum ratione cum quibus nomen habuit commune. Hoc enim volunt illi ductores exercituum, doctoresque iidem artium, Carolum quem supplicio per carnifi-

nificem affecerunt, non fuisse regem, sed præsidem tantum Parlamenti Anglicani, & primatem populi magistratum; ne scilicet hæc infamia apud posteros factum eorum sequatur, quod Regem suum tam nefario & parricidali scelere capitis damnarint. Ita aliquis qui patrem interemisset, ut parricidii crimen ac notam effugeret, negaret eum qui dictus est, patrem suum fuisse, se enim adulterio à matre conceptum. Pertendunt iidem parricidæ, regni Anglicani statum mixtum esse ac dilutum populari imperio, non mere regium nec monarchicum. Penes Parlamentum, quod vocant, solum majestatis nomen numenque fuisse, non penes Regem. Hæc igitur dispicienda sunt, & ad hanc lineam consistendum nobis, utrum Rex Angliæ Scotiæ & Hiberniæ, non vere fuerit qui semper sic dictus est, & ubique agnitus, & qui hæreditate hæc tria regna à patre accepisse omnibus sine controversia visus est semper. Fatendum quidem est, nomen Regis, datum vel olim fuisse ejusmodi potestatibus & magistratibus, qui plenum & liberum jus non haberent, sed à populi nutu dependens, quique à populo constituti ab eodem etiam destitui poterant, qui postquam magistratu quem cum summo imperio gesserant abiissent, privati rursus existebant. Sic reges etiam appellatos constat Suffetes Carthaginensium qui Iudices erant populi, & quorum potestas annua tantum fuit, ut Romæ Consulum. Iudices quoque Hebræorum, id est Suffetes, sive Sophetim, quamvis æqualem vitæ magistratum gererent, non plus potestatis quam illi Phœnicum annui habuerunt, quos tamen etiam reges in Scriptura nuncupatos scimus. Illud etiam certum est, Reges Lacedæmoniorum adeo non regiam potesta-

tem habuisse, ut etiam ab Ephoris in vincula conjici possent, cum tamen vulgo regis appellatione censerentur. E contrario, multos olim & hodie ita dictos principes videre est sub nomine non regio plusquam regale imperium tenuisse, ut de Romanis olim Imperatoribus constat, & de Duce hodie Moschoviæ, & aliis quibusdam Europæ Ducibus, qui libera & nulli obnoxia potestate regiæque simili prorsus imperant, cum tamen Reges non appellentur, Vnde possumus recte concludere, istos reges vere esse quamvis non dicantur, illos reges non fuisse quamvis sic dicti fuerint. Ad Regem Britanniæ Magnæ quod attinet, non quærendum est an Rex appellatus sit, cum nemo id neget, sed illud in quæstione est, utrum potestatem tali appellationi consonam habuerit, & an ex illorum regum genere fuerit quales habuit Lacedæmonia, qui in jus vocabantur, & causam dicebant coram Ephoris, & ab his vel absolvebantur, vel condemnabantur, prout de eorum innocentia aut reatu illis constitisset. Notat certè Aristoteles in omnibus ferme generibus status fuisse qui βασιλεῖς dicerentur, id est reges. Ideo non ponit inter genera status hoc nomen, cum ex æquo reperiatur & in statu populari & in statu optimate. Omnis enim legitimus magistratus qui cum summo imperio est, sive dux belli à populo creatus ut exercitum ducat, hac appellatione venire potest. Olim quippe plures civitates habuere ad bellum Imperatores, qui, quoad viverent, hoc imperium tenebant, quique reges etiam appellabantur, ut de Carthaginensibus notum est, duces quos ad bellum gerendum eligebant, ita vocasse. Nonnulli etiam populi totius Reipublicæ administrationem uni mandabant, quem quasi Reipublicæ prin-

principem faciebant, & regem ex lege. Κύριον δ' δυναστείαν vocat Aristoteles lib. III. de Republica cap. XVI. Et talem magistratum apud Epidamnios & Opuntios fuisse ibidem dicit, qui rex quodammodo erat. Idem & στρατηγίαν ἀΐδιον βίου, ducatum belli ad totum vitæ tempus, genus esse docet βασιλείας, id est regni. Verum de istis non quærimus nunc, sed de ea dominatione regali quæ tertium genus facit in his tribus generibus Rerumpublicarum quas veteres solas cognovere, cum definierunt quot modis respublica constitui posset ut recte regeretur. Μοναρχίαν βασιλικὴν Philosophus ille appellat, id est dominatum singularem regium. Hujusmodi singularis imperii plures quasi gradus dari necesse est ab illo qui maxime intensus est & in summo veluti fastigio plenæ potestatis locatus, ad illum qui maximè remissus habetur, & non in plenissimo & liberrimo imperio versatur. Quinque igitur species talis Monarchiæ statuit Philosophus, quarum una in summo cacumine posita est absolutæ potestatis, altera in imo clivo. Inter hæc duo extrema potentiæ Regalis & Monarchicæ, tres aliæ species interpositæ, magis temperatæ videntur, & partim plura jura habent meræ potestatis, partim pauciora, perinde ut ad summam illam propius ascendendo, ut ad infimam descendendo magis accedunt. Vt inter duas Zonas, calore nimio coctam & frigore nimio damnatam quæ mediæ jacent, temperatæ ita sunt, ut minus frigidæ vel calidæ habeantur, prout ad hanc vel illam magis vergunt. Quam in summo ponit ea est quæ ipsi παμβασιλείαν appellatur, & quæ ab eo definitur in qua πάντων αὐτὸς βέλησιν πάντα πράττει. Is ab eo vocatur proprie, βασιλεὺς, id est Rex. ἀεὶ ὁ βασιλεὺς τῶν κ τῶν

τῷ ἀυτὸ βέλτιστον πάντα φρόνοῦντα, ὃ τὸ λόγῳ ἐφάσκηνεν. *De eo rege qui omnia suo arbitrio facit, nunc sermo nobis institutus est.* Alio loco hanc dominationem regiam, ut singularem, hac definitione explicat, ὅταν ἓν πάντων κύριον εἰς ὦν, ὥσπερ ἕκαστον ἔδυνατο πόλις ἰκάστη τῶν κοινῶν τέλεσι μόνη καὶ τῷ οἰκονομικῷ. *Cum unus super omnes & omnia potestatem habet, ut & singulæ gentes & singulæ civitates cum dominantur, reipublicæ suæ administrationem habent, ad instar ejus quam paterfamilias in procuratione suæ domus gerit.* Nam, ut ibidem continuo subjicit: Quemadmodum rei familiaris procurandæ ratio, quæ οἰκονομικὴ vocatur, regnum quoddam domus est, sic regnum, civitatis aut gentis unius aut etiam plurium quædam est velut οἰκονομία, id est rei familiaris administrandæ ratio. Hæc vera est dominatio regia, similis patris familiæ dominationi, quam ut hic in propriam domum & rem familiarem habet, ita Rex in civitatem unam aut gentem, aut etiam plures, si plures illi regno subditæ sint. Hanc quintam speciem statuit regalis dominationis Aristoteles, in qua unus est omnium dominus, qui omnia ex sua libidine agit. Istam igitur quæ omnia potest quæ vult, & παμβασίλειαν ea gratia vocitat, opponit Laconicæ dominationi, quæ licet regio nomine censeretur, nihil tamen habuit potestatis regiæ præter nomen. Ideo Aristoteles στρατηγίαν eam definit καὶ ἀίδιον, ducatum militarem hæreditarium & perpetuum, potius quam regium dominatum. Nam semper ex eodem genere sumebantur isti duces belli, sive reges Lacedæmoniorum. Alio loco, nempe cap. XIV. eadem repetit, hoc regnum Laconicum fuisse merum στρατηγίαν αὐτοκράτορα & ἀίδιον, ducatum belli cum summa potestate & perpetuum, id est hæreditarium. Cur igitur

tur Autor vitæ Lysandri scribit post ejus mortem in domo ejus repertam esse orationem, *in qua suadebat Lacedæmoniis ut regia potestate dissoluta ex omnibus dux eligeretur ad bellum gerendum?* Atqui Aristoteles clare scriptum reliquit eos Lacedæmoniorum reges, duces tantum revera fuisse belli gerendi causa. Certè nihil aliud ea oratione voluit Lysander, quam regiam appellationem & successionem istorum ducum aboleri, & deinceps eos ex omnibus deligi qui quoad viverent id munus haberent, non vero suis posteris relinquerent, ut tum mos erat Lacedæmone. Nam & Philosophus horum ducatuum qui belli causa ad vitæ tempus erant in variis civitatibus instituti, duo genera statuit, unum hæreditarium, alterum suffragio dari solitum, nec ultra vitæ tempus duraturum, τῶν δὲ στρατηγιῶν αἱ μὲν βίᾳ, αἱ μὲν κατὰ γένος εἰσὶν, αἱρεταί. *Horum ducatuum militarium, qui vitæ æquales sunt, alii hæreditarii sunt, alii suffragio dantur.* Apud Lacones fuit hæreditarium hoc munus, quod mutare Lysander cogitabat. Æmilius Probus in Agesilao: *Mos est à majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos semper haberent reges, nomine magis quam imperio, ex duabus familiis Proclis & Eurysthenis qui principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt.* Cur igitur cum duces verius essent quam reges, & regio magis nomine quam imperio regnarent, Aristoteles regnorum veris generibus, quæ ab eo recensentur, illud accensèt, qui tamen fatetur calculum rectè ponendo, esse ducatum belli hæreditarium & perpetuum? Sciendum est duabus de causis id ab illo factum. Prima est, quod regio nomine ille ducatus Lacedæmoniis vulgo diceretur, secunda quod hæreditarius esset, sicut regia dignitas tunc erat in pluribus regnis, quæ duo reliqua-

rum civitatum ducatus non habuerunt. Tertia potest addi, quod ille ducatus belli tempore, & cum expeditio sumpta erat, summum habuit imperium, & jus vitæ & necis. Nam ubi extra fines Laconicæ eductus fuerat in hostem exercitus, tum plena & libera potestate, & plane regia illi belli duces potiebantur, adeo ut quemlibet occidere possent impune. Præterea quæ ad sacra spectabant isti reges procurabant, quod sollemne fuit omnibus antiquorum regibus. Vnde & concludit Aristoteles illam Laconicam βασιλειαν, fuisse οἷον στρατηγίαν τινὰ αὐτοκράτορα καὶ ἀΐδιον, *veluti quendam ducatum ad bellum gerendum cum summa potestate & perpetuum.* Subjicit continuo: Κλέναι γὰρ ἐν μόνῳ, εἰ μὴ κραδαίνει ὅπη τῷ ἀρχαίων ἐν ταῖς πολεμικαῖς ἐξόδοις ἐν χειρὸς νόμῳ. Non ille potestatem necis habuit nisi, bellicæ expeditionis tempore, ita ut quem morte dignum judicarent, statim occiderent; ἐν χειρὸς νόμῳ, id est eo jure quod in armis & manu positum est. Exemplum ibidem adfert Agamemnonis, qui in concione militum sæpe eorum maledicta & convitia patiebatur, extra concionem jus vitæ ac necis habebat. Is *Rex regum* appellabatur, cum revera esset *Dux ducum*, sed cum potestate regia. Romani quoque belli duces ac proconsules olim, & postea præfides provinciarum, & legati Cæsaris, cum in expeditione erant jus vitæ & necis habebant & sine provocatione judicia in milites exercebant, pœnas & præmia quibus vellent ex merito decernebant. Verum hæ στρατηγίαι Romanorum non fuere ἀΐδιοι, sed ad certum tempus. Regnum autem illud Laconicum cum sui generis esset, & nullum in tota antiquitate simile habuerit, neque nunc habeat, non potest conferri nec comparari cum ullo quod hodie in Europa notum sit, quia nullum

ad

ad hoc exemplum reperiri potest. Nisi si cui placeat huic simile fuisse regnum Arragoniæ, Celtiberia fuit, antequam in regis Hispaniæ potestatem cessisset. Is enim privilegia eorum abolevit. Quamdiu sub regibus suis stetit, inter regem & populum judex erat institutus, qui de querelis populi contra regem & regis contra populum cognosceret. In eo inaugurando nomine populi aliquis dicebat, populum tam bonum esse quam rex esset, ut æqualitatem inter utrumque testato confirmaret. Sed ille judex inter populum & regem quasi medius arbiter, non magis regem capitis condemnare potuit quam populum ipsum. Ipse rex populum ad comitia convocandi jus habuit, non populus regem. Sic majorem habuit potestatem rex ille quam Laconicus. Non vere, ut dixi, hoc regnum fuisse vel illud ostendit, quod duo semper in eo fuere reges. At Rex non est, nisi unus sit & unicus. Non enim parem habere potest, non superiorem in suo regno, siquidem rex vere habeatur. Vbi verò duo sunt, alter alteri parem habet potestatem. Tametsi autem regibus Lacedæmoniorum, quos negat Aristoteles πάντων κυρίους fuisse, id est plenam potestatem in omnibus habuisse, dies dici posset ab Ephoris, ac in vincula publica conjici eos liceret legibus quibus utebantur, non tamen morte multari, & capitali supplicio affici illos fas fuit. Vnum Agidem damnatum & necatum ab Ephoris ex omnibus Regibus quos Lacedæmon habuit, tradit Plutarchus in ejus vita. Quod factum omni detestatione execrandum visum esse populo Spartano ibidem narrat. Ne in prœliis quidem & certaminibus quæ cum Græcis gesserunt Lacedæmonii, quibus reges eorum quia duces quoque belli erant, interesse

oportuit, temere quenquam ab hostibus interfectum in acie memorat, propter reverentiam regii nominis, ac majestatis. Βασιλεῖ γάρ, inquit, λακεδαιμονίων οὐδὲ οἱ πολέμιοι ῥᾳδίως ἐν ταῖς μάχαις ἐπιτιθέασι προσιόντες τὰς χεῖρας ἀλλ' ἀπετρέποντο διδόντες καὶ σεβόμενοι τὸ ἀξίωμα. *Neque enim regi Lacedæmoniorum hostes ipsi in acie occurrentes, facile iis manus inferebant, sed avertebantur quod timerent & revererentur regiam majestatem.* Vnum itaque narrabant ex omni memoria ante Philippi ætatem ictu lanceæ transfossum in pugna Leuctrica occubuisse. Hodie ne subditi quidem in Anglia regum suorum capiti sic pepercerunt, ut olim hostes, in ipso pugnæ ardore, regum sibi bellum inferentium, & arma infesta contra se tenentium, suo lateri forsitan hæsura, vitam servare studuerunt, sola permoti regiæ dignitatis reverentia. Sed sepositio hoc genere regalis regiminis quod solo nomine sine potestate viguit, nihilque omnino commune habuit cum regia dominatione & μοναρχικῇ nisi titulum, sive tempora antiqua respiciamus, sive nostra, de aliis generibus ab Aristotele recensitis videamus, quæ vere ad hanc formam & appellationem μοναρχίας βασιλικῆς pertinere videantur. Quatuor omnino genera numerat Monarchici & Regalis status Stagirita ille Sophus, quæ legitima sint, & à tyrannico imperio sejuncta. Vnum ex his, ut dixi, in summo gradu collocat in quo unus omnium dominus est, & omnia ex libito facit in tota civitate vel populo, eadem prorsus ratione qua paterfamilias supremam in domo sua potestatem habet ad agenda quæ vult omnia, & quo vult modo. Primum igitur ponit, quale fuit Heroum temporibus, quod in volentes imperium sumebatur, sed certis rebus definitum, ὅτι πολιν ἀρεσμένοις, Hi ad bellum gerenten-

rendum, exercitus ducendos, jus reddendum & sacra procuranda summam habuere potestatem. Tales fuere & Iudæorum reges, excepto jure circa sacra, quod solis sacerdotibus competebat. Sed dicit Aristoteles, illos reges Heroicorum temporum potestatem habuisse circa sacra, & sacrificia ὅσα μὴ ἱερατικὰ, quæ non erant muneris sacerdotalis. Et certum est talem quoque potestatem regibus Iudæorum competisse. Quinimmo & aliquando in eo populo reges eosdem constat & Pontifices fuisse. Qui verò ex his sacerdotium cum regno junctum non habuere, ipsos etiam sacerdotes ad libitum dejiciebant. In aliis, ὅτι πᾶν ὡρισμένοις, quædam ex legis præscripto gerere tenebantur. Iustitiam administrabant subditis, eos ut fratres regere debebant, jus vitæ ac necis habebant cum certo temperamento. Et tamen licuit his bella sponte suscipere ad fines imperii extendendos. Legem Dei in omnibus observare debebant. Vxores plures habere non licebat, nec plures equos nisi qui necessarii essent. Divitiis amplificandis operam dare etiam illis nefas. Sed si in vetita niterentur inultum tulere, nec propterea cuiquam actionum rationem reddere debuere, nec in judicium citari eo nomine eos fas fuit. Ægyptiorum quoque reges, ut diximus, pluribus legibus obstricti erant, prandentes, cœnantes, cum uxore concumbentes, ambulantes, judicantes & alia quæcumque agentes. Si tamen has omnes leges violarent vivis impune id fuit, à mortuis pœnas reposcebant ejusmodi, ut non laudaretur defunctorum memoria, & legitima ac solemni pompa funeris fraudarentur. Secundam speciem Monarchiæ memorat quam appellat βασιλείαν, & definit esse, ἀρχὴν ἐπὶ γένους δεσποτικὴν καὶ νόμου. *Imperium hæreditarium, despoticum, id est quale* domi-

dominorum in servos, & legitimum. Regendi modo tyrannicum esse ait, sed ideo legitimum, quia ex lege successionis manaret, & minime indignantibus sed facile ferentibus imponeretur. Custodia autem uti solitos non mercenariorum militum, ut tyrannis in more fuit, sed ex civibus, quam propterea vocat βασιλικὴν φυλακὴν, non τυραννικὴν. Tali generi dominationis assuetos fuisse dicit Asianos populos, item Græciæ & reliquæ Europæ Barbaros. Assyrii, Medi, Persæ, ad hunc modum instituta regna tenuere. Longe tamen magis despoticum hodie est Turcicum. Nam & possessionum omnium dominus alius non est nisi ipse. Ideo mortuo qui ab eo jus possidendi impetravit, si filius & hæres superstes sit, ut possidere possit, hanc veniam iterum petere tenetur, ut beneficio principis paternum hæredium habeat. Avorum nostrorum ævo multi privati Toparchæ in Galliis hoc idem jus in subditos suos tenuere, qui tanquam *Adscriptitii* propterea censebantur. *Manus mortuæ coloni* vulgo vocantur. Sunt & hodie reliquiæ hujus despotici dominii in aliquot locis Galliæ, & in Burgundia præcipue. Omnes subditos suos Turcarum Imperator quasi adscriptitios habet, tributarios & colonos, vel plane servos, vel non plene liberos. Si in minoribus dominiis & privatis & quidem sub regno tales subjecti reperiantur, non est absonum in majoribus imperiis & tales haberi. Turcicam monarchiam Aristoteles legitimam pronuntiaret, quia πατρικὴ est, & hæreditaria, eoque differat à tyrannide. Tertio loco numerat inter genera Monarchiæ regalis, eam dominationem quam vocatam Græcis scribit, Αἰσυμνήτειαν, & explicat αἱρετὴν τυραννίδα, nempe dominatum tyrannico, quantum ad potestatem, similem, sed suf-

ſuffragio mandari ſolitum, & hoc ipſo legitimum. Ex quo prorſus liquet, etiam in regnis quæ deferuntur per ſuffragia populi, ſummum & non limitatum regnandi jus eſſe, quod duret cum vita ejus qui electus eſt, nullo caſu & nulla cauſa eripiendum niſi exitu fatali. In veris quippe tyrannis vis imperium conſervat, ſicut vi acquiſitum eſt, ſed in legitimis quales illi ſunt quos populi voluntas liberis ſuffragiis delegit, jus ipſum electionis ſalvam eam poteſtatem cuſtodit uſque ad finem vitæ. Duo genera tamen facit hujus electilis, ut ita dicam, tyrannidis, Ariſtoteles: Vnum quod perpetuum & vitæ æquale fuiſſe dicit, quo caſu non poterat ante mortem ei, qui delectus erat, auferri; Alterum quod ad certum tempus dabatur, & ad res certas gerendas. Re confecta cujus gratia fuerat inſtitutum, aut tempore, quod præſtitutum erat, finito, privatus fiebat qui talem poteſtatem acceperat. Certum quoque eſt in regnis quæ populus ſuffragio ſuo mandat, quæque αἱρετὰ Philoſophus appellat, tales conditiones imponi poſſe à populo, quas ſervare teneatur is qui imperium accipit. Et ille quidem ſi cogi poſſit ut fidem pactam cuſtodiat, bene eſt, ſed in jus eo nomine appellari, aut judicio capitali puniri nequaquam poteſt, præcipue ſi ad vitam datum ſit imperium. Nam cum non habeat parem in regno rex electus, non poteſt ab inferiori poteſtate conveniri. Nulla eſt autem niſi inferior. Si ad tempus tantum electus ſit, ubi tempus venit quo abire debet poteſtate, jam privatus factus poteſt ob res male geſtas in imperio conveniri & poſtulari, ut in iis ſummis magiſtratibus fieri ſolet quos populus creat, ubi magiſtratu deceſſerunt. Tum enim ratio geſtorum ab iis repoſcitur. Quarto loco

eidem

eidem Aristoteli Laconica regum dominatio memoratur, de qua jam diximus. Quinto eam ponit quam œconomicæ patrisfamilias dispensationi comparat. Præter unam Laconicam regendi rationem, quæ nec plene nec plane regiam potestatem habuit, cum solo nomine censeretur, cæteræ quatuor summam & liberam dominationem exercuere, cum jure vitæ & necis, sine quo jure rex non est, cum etiam illi Laconici, quando in expeditione bellica extra limites Reipublicæ versabantur, eandem necis potestatem haberent, ut omnes olim qui belli gerendi causa duces constituebantur, habuisse constat. Componamus nunc Regni Anglici jura cum uno ex illis quatuor ab Aristotele recensitis generibus, ut videamus an hodie regnum aliquod in Europa & inter Christianos tale extet, quod sub regia appellatione, re & effectu regalis potestatis careat. Nam si tale est Anglicanum, ut rebelles & parricidæ qui regis sui sanguine carnificis securim tinxere, conantur omnibus persuadere, ne scilicet videantur regis cervicem desecuisse, multo etiam minor hujus regis potestas fuerit, quam regum Lacedæmoniorum. Illi saltem cum bellum gerebant extra fines, militiam cum summo imperio administrabant. Duo illi fuere, ut Monarchia dici non possit eorum regnum. In Anglia unus semper fuit. Ostendant olim aliquod regnum fuisse, aut nunc esse, sub unius imperio qui regis nomine dictus sit, cui non potestas etiam eo nomine digna adjuncta fuerit. Excepto Laconico, cujus forma peculiaris fuit & omnino unica, omnia alia plane μοναρχικὰ fuere, & cum absoluta potestate, quæ in quibusdam tamen magis remissa erat, in aliis magis intensa. Ad Laconicum etiam quod attinet, non semper ita fuisse certum est, sed primo

æquè

æquè τὸ μοναρχικὸν habuit, ut aliàs tunc temporis regiæ dominationes. Postea per Lycurgum facta remissior, participata cum Senatoribus regni regali potestate. Centum demum & triginta annis post Lycurgum sub Theopompo rege Ephoros accepit, qui frenum Monarchiæ injecerunt, & in eam formam redegerte quam narrat Aristoteles, cum στρατηγία potius esset quam μοναρχία, ducatus ad bellum gerendum, quam regia dominatio. Nunc nulla talis est Monarchia & olim nulla fuit præter unam, quam & verè talem esse bini reges pro uno vetabant. Hodierna Christianorum principum regna, ut illa antiquorum, plus aut minus de Monarchia despotica retinent, sed quæ vel minimum hujus habent, cum singulare obtineant imperium & planè Monarchicum, hoc jure suo etiam sibi vindicare possunt, ut à nemine judicentur eorum reges, solo Deo minores sint, nullum parem aut superiorem in regno suo agnoscant. Quod de illis præcipue regnis dici debet quæ hæreditaria sunt & patria, & quorum initia ignorantur qua ex causa producta sint, vel si liqueat, armis & bello quæsita esse constet. Non enim possunt talia acquiri, nisi cum summo plenissimæ & liberrimæ potestatis jurè. De Anglicano cum sit nunc quæstio, videndum quo jure hactenus à regibus illius magnæ Insulæ id possessum fuerit. Hæreditarium esse negari non potest, cum res ipsa sole clarior, id testetur. Britanniam quippe semper à Regibus gubernatam fuisse certa est fides, & iis quidem regibus quorum licet interruptiones sæpe passa sit hæc insula, & mutationes frequentes; ex crebris irruptionibus exterorum hostium, nunquam non sub regno manfit, & quidem hæreditario perpetuoque. Nam dominorum mutatio numquam immuta-

vit

vit statum Reipublicæ, qui semper regalis in ea terra fuit, & semper hæreditarius. Si ad primam, quæ nosci queat, recurramus antiquitatem, cum Cæsar in eam insulam venit, reges eam tenebant plures. Strabo lib. IV. scribit de Britannis, δυναστεῖαι δ' εἰσὶ πολλαὶ παρ' αὐτοῖς. Quibus significat principatus plures in ea insula fuisse, regulorum scilicet. Cassivillanus cum Cæsar eam insulam ingressus est, inter eos præcipuus fuisse videtur, cujus regni fines à maritimis civitatibus Tamesis flumen dividebat. Ei tunc imperii bellique administrandi summam cæteri permiserant. Pomponius Mela: *Fert Britannia populos, regesque populorum.* Tacitus de Britannis sui temporis ait: *Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur.* Cæsar tamen lib. IV. de Bell. Gall. *Principum Britanniæ* meminit, qui sunt illi Dynastæ Straboni memorati, quos regulos constat fuisse, qui singuli aliquam ditionem potestate regia obtinebant, alii majorem, alii minorem. Ipse Tacitus principes à regibus ita distinguit, & principatum à regno, ut Imperatores Romanos nomine Principum intellexerit. Ita enim Hist. lib. I. *à regibus usque ad principes*, id est Cæsares. Sub Nerone Prasutagus rex fuit Icenorum in eadem insula, qui Tacito auctore lib. XIV. Ann. moriens Cæsarem hæredem duasque filias scripsit, *tali obsequio*, ut idem auctor scribit, *ratus regnum & domum suam procul injuria fore. Quod contra venit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur.* Quæ verba indicant hæreditarium illius Reguli fuisse regnum, ut & reliquorum quibus tam Britannia regnabatur. Idque etiam indicatur verbis Taciti de Bondicea Prasutagi uxore, quæ tunc præ se ferebat, *non ut tantis majoribus or-*

tam

tam regnum & opes, verum ut tnamè vulgo, libertatem amissam se velle ulcisci. Idem Tacitus in vita Agricolæ refert paulo ante Vespasianum, *domitas in Britannia gentes, captos reges, & monstratum fatis Vespasianum.* Facit ibidem mentionem Cogiduni regis Britanniæ cui donatas à Romanis quasdam civitates scribit. Deinde addit: *Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit, vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & reges.* Domitiano imperante Arviragus in Britannia regnabat, ut testatur Iuvenalis:

——— *Et de temone Britanno*
Excidit Arviragus.

Circa illud tempus penitus à Romanis subacta & in provinciæ formam redacta, Imperatoribus subjecta est. Cum sub illo imperio esset, aliquot etiam mutationes pertulit, pluresque tyranni jugum Romani Imperatoris excutere conati sunt: sub Gallieno, Lollianus, Victorinus, Posthumus & Tetricus: sub Aureliano Bonosus & Proculus: sub Diocletiano Carausius: sub inferioribus imperatoribus plurimis populis ad prædam patuit, idemque fatum sensit quod aliæ multæ provinciæ Romani imperii. Sic tandem Romanis erepta per Saxones & Anglos, mox istis per Danos. Iterum à Danis ad Saxones rediit. Postremo Normanni Saxonibus eam abstulere duce Guilielmo Notho, cognomento Conquæstoris, qui eam ita subjugavit ut regnum inde sibi fecerit & suis. Atque hactenus dominati sunt pæne sexcentos per annos. Sive armis ergo eam occupavit & jure belli quæsivit, sive legitimæ successionis titulo tenuit, & beneficio concessionis à cognato ejus Eduardo Confessore factæ, à quo per adoptionem hæres regni institutus

tutus fuerat, ut in ipsius charta scriptum est, certè quocunque modo imperium Britanniæ accepit, vel hoc vel illo, vel etiam utroque junctim, non potest videri nisi summo jure ac regio illud obtinuisse. Sed armis & vi regnum Angliæ eum sibi comparasse vel cognomentum *Conquæstoris*, indicio est, ut alia præteream, quibus se gessit ut victores solent erga populos vi & bello subactos. *Provinciales adeo nutu suo substravit*, verba sunt Guilielmi Malmsburiensis lib. III. *ut sine ulla contradictione primus censum omnium capitum ageret, omnium prædiorum in tota Anglia notitiæ suæ per scriptum adjiceret, omnes liberos homines cujuscunque essent conditionis, suæ fidelitati sacramento adigeret.* Nonne hæc sunt argumenta victoris, plena & integra potestate imperantis, in populo jure belli subjugato? Henricus Huntindonensis lib. VII. *Divisisse* eum *terram militibus suis* dicit; *Misit autem*, inquit, *dehinc Rex potentissimus justiciarios per unamquamque Scyram, id est provinciam Angliæ & inquirere fecit per jusjurandum quot Hydæ, id est jugera, uni aratro sufficientia per annum, essent in unaquaque villa, & quot animalia. Fecit etiam inquiri quid unaquæque urbs, castellum, vicus, villa, flumen, palus, sylva redderet per annum. Hæc autem omnia in chartis scripta delata sunt ad Regem, & inter Thesauros reposita, usque hodie servantur.* Deinde addit continuo de sacramento fidelitatis ei ab omnibus hominibus insulæ præstito his verbis, *Deinde recipiens omnium terrariorum Angliæ, cujuscunque feudi essent, juramentum etiam fidelitatis recipere non distulit. Super Angliam solus regnaverat, ita quod nec ibi una sola Hyda inerat, de qua nesciret cujus esset & quid valeret.* Paria scribunt cæteri Angliæ Historici Rogerus Hove-

Hovedenus, Matthæus Paris, & Thomas Walsinghamus. Ex quibus Hovedenus ait, de unaquaque Hyda, sive jugero terræ, per Angliam sex solidos, nomine tributi scilicet, accepisse. Matthæus autem Paris tradit eum, *commilitonibus suis Normannis qui in bello Hastingensi patriam subjugaverant, terras Anglorum & possessiones ipsis expulsis manu distribuisse affluenti, & modicum quod illis remaneret sub jugo perpetuæ posuisse servitutis.* Nunc quæro cum ista sic se habeant, & generis autor regnique conditor talem potestatem sibi manu fecerit, posterisque etiam suis acquisierit, an ejus successores, quibus hodie jure hæreditario regnum competit, pro Senatus tantum Anglicani principibus habendi sint, & locum duntaxat habere videantur magistratus populi primarii. Et an populus Angliæ instar figuli sit, Reges autem qui Guilielmo hactenus successere, quique ex ejus prosapia orti sunt, ceu vasa vilia censeri debeant ad libidinem populi, qui ea formavit, confringenda? Sed insanum esse oportet figulum, hunc populum, qui nobilissima quæque & maxime pretiosa vasa à se facta, qualia reges esse videri necesse est, tam facile nulla de causa conterat ac comminuat. Hæc sunt dictata perditorum nebulonum, qui Carolum primum, Normannica stirpe Guilielmi Conquæstoris, id est Angliæ domitoris & dominatoris editum, regno & vita spoliarunt tanquam publicum plebis ministrum, filium autem ejus Carolum secundum successione paterna per tot avos atavosque ab ipso Guilielmo ad se devoluta expulsum exulare cogunt. Vt hæredium paternum transit ad hæredes cum suis causis, ita regna hæreditaria non minus, nec minori cum jure transmitti debent ad successores. Si quis autem prædecessorum Regum,

Regum, factionibus procerum vel seditionibus plebis coactus aliquid de suo jure remiserit, id non potest successori obesse. Quinimmo ipse qui passus est autoritatem suam imminui, laesae majestatis reus est, & filius vel propinquus qui in regno ei succedit jure suo potest quod dominatum aut deterius factum culpa priorum regum fuerit, resarcire & recuperare, iterumq; id sartum tectumque sibi vindicare. Quod ad leges attinet in quibus rogandis aut abrogandis principalis pars regalis potestatis posita est, certum est Guilielmum Normannum familiae in Anglia regnatricis primum autorem, cum ad imperium venit, partim novas constituisse veteribus abolitis, nonnullas etiam antiquitus receptas confirmasse. Quod utrumque fecit eodem potestatis jure. Nam qui vim reddit veteribus regni legibus quas poterat abolere, idem est ac si novas statuat, quia vigorem legis ab eo de novo accipiunt. Ejusdem quippe potestatis est novas condere, & antiquas renovare, sive ratas facere & validas. Gervasius Tilburiensis perhibet illum, *propositis legibus Anglicanis secundum tripartitam earum distinctionem, hoc est Mercenaga, Denelaga, West-saxenaga, quasdam reprobasse, quasdam autem approbantem transmarinas Neustriae leges quae ad regni pacem tuendam efficacissimae videbantur, adjeciisse.* In libro de priscis Anglorum legibus adjectae sunt & Guilielmi Nothi leges, tam quas ipse denuo sancivit, quam quas ab aliis regibus sancitas confirmavit. Inter quas praecipue, leges Boni Eduardi plurimas ratas fecit. Enimvero de Guilielmo isto qui ante sexcentos plus minus annos Angliam subjugavit, quique in eo regno etiam aliquid juris habuit ex cognatione & adoptione Eduardi illius Confessoris qui sine prole

prole obierat, nemini dubium esse potest quin Rex summo cum imperio & potestate illius insulæ fuerit. Nam eodem jure cœpit institui hoc regnum in ejus familia, ut antea fuerat in Danorum & Saxonum domo, immo & Imperatorum Romanorum, quandiu Britanniam, ut imperii sui partem & provinciam, tenuerunt. Omnia certe regna quæ nunc in Europa jure & statu regio niti videntur, non alio modo cœpere, nec aliam originem habuere quam hoc Britannicum. Quid ergo causæ afferri potest ut Rex Britanniæ hodie debeat haberi pro magistratu tantum regni præcipuo & Senatus principe, qui autem alia regna in Christianitate obtinent, pro veris ac legitimis Regibus plena & libera potestate pollentibus habeantur? Sanè ex quo Guilielmus regnum sibi illud quæsivit & posteris reliquit hæreditarium, successoribus ejus proximis numquam controversia facta est sui juris & suæ potestatis. Immo nunquam in tota successionis serie quæ per sexcentos circiter annos à Guilielmo prædicto usque ad Carolum Martyrem, nuper sacrilega & parricidali conspiratione sectariorum, quibus Independentium nomen est, extinctum, nemo regio nomine caruit, nemo etiam visus caruisse potestate, quæ huic appellationi convenit. Sunt qui dicant ut favere videantur immani sicariorum factioni, quæ vult videri se regem verum non sustulisse, sed simulacrum vel umbram regis, Guilielmum non tota sua potestate usum esse cum imperium in Anglia arripuit. Quod quam sit falsum & ridiculum, ex his quæ supra attulimus appareret. Cur nulla igitur mutatio vel imminutio juris regii in tam longa regni successione à prima ejus institutione facta est, quæ Regi nomen suum

abstulerit, & regendi modum mutarit? Primus Reges plerique successores hoc nomen præscripserunt suis edictis & constitutionibus cum hoc adjuncto, *Dei gratia.* Quæ duæ voces regiam potestatem, non ab alia nisi divina dependentem, & ab eadem constitutam designant. In plerisque præterea regni statutis, ut sub Henrico III. & Eduardo primo, *Dominus noster Rex*, & *supremus noster Rex* passim appellatur. Quomodo & infimi imperii temporibus Imperatores suos appellare soliti sunt Romani, *Dominus noster Rex.* In præfatione Statuti Mertonensis facti XX. Ann. Henrici III. habentur hæc verba; *Provisum in curia supremi domini nostri Regis habita Mertoni.* Item in præfatione statuti vocati, *Articuli super Chartas*, tempore Eduardi I. sic expressum est; *Dominus noster Rex ad petitionem suorum Prælatorum, Comitum & Baronum congregatorum in Parlamento constituit certos articulos.* Item in Statuto Escheatorum facto XXIX. ann. Eduardi ejusdem ita scriptum est. *In Parlamento supremi domini Regis illius concilium convenit, & ita præceptum est ab ipsomet.* In quibus vides non solum regem Angliæ *supremum dominum* appellari, sed etiam *Parlamentum Regis*, vocari, & quod in eo constitutum fuerit, id ab eo præceptum intelligi ac dici. Quo solo retundi possunt improbæ voces facinorosorum sectariorum clamantium Regem Angliæ non esse regem, sed caput Parlamenti. Ergo si rex est tantum Parlamenti pars, non *Parlamentum regis* appellari potuit, qui in eo tantum præsidis vel primi titulo potitur. Quis enim Parlamentum præsidis primi dixerit? Certè Regis est, ut *Concilium Regis* etiam vocatur in eodem statuto. Et cur non Regis, cum ab eo convocetur, & quæ in eo sanciuntur Regis

gis leges & Statuta nuncupentur? Sic in Statuti Mertonensis præfatione, *Curia Regia* appellatur, quæ postea Parlamenti nomine dicta est: *Provisum in Curia supremi Domini Nostri Regis.* Enimvero rex, quatenus est rex, etiam Parlamenti caput habetur. Sed non tantum primus est Parlamenti, cum prærerea etiam Rex sit. Nam quo tempore Parlamentum non habetur, etiam plenè planeque totum regni statum regio jure gubernat. Cujus administrandi & hæc pars non minima est, ut Parlamentum quando lubet ipsi, congregari jubeat ad deliberandum de rebus gravioris momenti quæque salutem reipublicæ spectant, & ad leges condendas, & alia magna negotia decidenda. Illorum omnium, cum jussu ejus convenere quos convocavit tam de proceribus quam de plebe, ipse caput est. At capitis est imperare, non pedum nec manuum. Nam ad capitis arbitrium & nutum pedes eunt, manus agunt, totum corpus movetur, quod sine capite iners & exanimis truncus est. Idem est de Parlamento sine Rege, quia semetipsum movere, & quoquam venire & coire non potest absque regis, id est capitis sui vocantis, jussione. Sic merito *Parlamentum Regis*, *& Curia Regis*, & *Concilium Regis* vocatum est. Hinc & falsum probatur quod sicarii asserunt, majestatem in ipso Parlamento residere, non in persona Regis. Ergo, si ita est, Parlamentum semetipsum convocandi & congregandi jus habet, & Regem citandi ad suum conventum. A Parlamento suam potestatem & jus majestatis rex mutuatur, non à Rege Parlamentum, autoritatem quam habet. Si hoc est, tum Parlamenti majestas dicenda dictaque est, non Regis. Sed quis Parlamenti Majestatem unquam audivit? Cum populus Romanus do-

minabatur in Republica libera, majestas populi erat, ubi cuncta in unius potestatem cessere, majestas Imperatorum dici cœpit. Vt sciamus cujus partis majestas propria sit, utrum Parlamenti an Regis, videndum est utrum Parlamentum, primum ex domo Normannica regem fecerit, an Rex ipse Parlamentum instituerit. Nam si Parlamento regnum suum debuit Guilielmus tum ab eo majestatem acceperit. Sed ne sic quidem majestas esset Parlamenti. A Parlamento in Regem translata, non amplius erit cujus fuerat, & esse incipiet ejus qui eam non habebat. Sed hoc inspiciamus, an Rex Angliæ à Parlamento creatus sit Guilielmus ille cognomento Conquæstor. Sed quid opus? Nonne jam satis notum est ab armis jus suum accepisse, non ab ullo Senatu qui tunc fuerit, aut qui hoc potuerit? Ad originem igitur Parlamentorum qui & Senatus, si recurramus, in genere primum videmus omnia cujuscunque generis sint, à regibus ipsis fuisse instituta, non ab ipsis reges ullos constitutos, sive reges eos cogitemus qui à populo electi sunt, sive illos qui semetipsos reges manu fecerunt, & regnum sibi vi pepererunt. Cum populus aliquem suffragiis suis regem deligit, dum in eum potestatem suam transfert, ut lege Regia Populus Romanus in Augustum eam contulit, inter alia jura hoc etiam dat, ut non solum Magistratuum omnium creatio ad ipsum pertineat, sed etiam ut quos sibi velit à consiliis esse, ipse legat, cum quibus de summis regni rebus deliberare queat. Certè populus non dat Senatum Regi à se electo, non dat consiliarios, sed ipse de populo quos vult accipit, ut eorum opera utatur. Cum enim unus qui ad regimen constitutus est, per se omnia providere & curare non possit, necesse est ut plures sibi sumat

mat adjutores, qui in partem sollicitudinis veniant & eum adjuvent. Quod & Aristoteles vidit lib. III. De Republica his verbis: ἀλλὰ μὴν ἁδὲ ῥᾴδιον ἐπορᾶν πολλῶν ὄντα, διὸ δεῖ ἄρχειν πλείονας εἶναι τοῦ ἑνὸς καὶ ἂν εἷς γένηται μόνος ἄρχοντας, ὥστε ἡ ἀλήθεια τοῦτο ἐξ ἀρχῆς διδοὺς ἐπιδείκνυσιν, ἢ τὸν ἕνα κατασήσειν. *Iam vero haud in procliui est unum multa procurare, plures itaque ab eo qui rebus curandis præsint necesse est constitui. Quare quid interest hoc statim ab initio esse, aut unum hoc modo plures gerendis rebus præponere.* Certè nihil interest utrum hoc an alio modo fiat, statim ab initio sint qui Regi adesse queant an ab ipso tales constituantur. Sed magis usitatum est ut ipse postquam electus est, eligat vicissim per quos in administranda republica juvari possit. Ita Romulus Senatum ipse sibi legit ex centum senioribus populi viris. Galba postquam Imperator consalutatus est à legionibus, *è primoribus prudentia atque ætate præstantibus, velut instar Senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referret, instituit.* Adeo nimirum hoc naturale est, ut cum unus omnia non possit prospicere, de quibusdam videat sumendis quorum consilio & opera utatur ad res gerendas. Si tales reperiat jam constitutos, ut Romani Imperatores Senatum, tum ei jus est, ut ex Lege regia liquet, eum convocare, ad eum referre, convocatum dissolvere, Senatusconsulta per relationem discessionemque facere, ei permittere ut de causis reorum cognoscat. Nam Senatus ipse non minus principi subjectus est quam populus, sive offenderit jam factum, sive ipse fecerit. Romulus fecit, reliqui reges factum offenderunt, ut & Cæsares qui Rempublicam liberam regno mutarunt, ac Senatum Populumque Romanum sibi subjecerunt. Cum Rex Iudæis datus est,

habuere illi Senatum sive Synedrium ex septuginta compositum populi senioribus. Non novi illi reges veteri Senatui subjecti fuere, nec ejus judiciis obnoxii facti sunt. Immo contra Rex supra Synedrium semper fuit, donec tandem Herodes quamvis precarium à Romanis Imperatoribus regnum Iudææ obtinuisset, totum illum consessum abrogavit & sustulit. Si Senatus in Anglia fuit quo tempore Guilielmus eam sub jugum misit, tam Senatum quam populum Angliæ subjectum habuisse dici debet, & ab utroque pariter sacramentum fidelitatis exegisse. Si non fuit, vel ab eo primum institutum vel ab aliquo successorum oportet, nisi, ut dixi, ab antiquis Saxonibus & Danis regibus acceperit. Quodcunque horum verum sit non Parlamentum supra Regem, sed Rex supra Parlamentum. Si prius, quia cum populo parlamentum subegit. Si posterius, quia Parlamentum ab ipso Rege constitutum, non Rex à Parlamento. Falsum certè est quod sanctæ Independentiæ cultores asserunt, Parlamentum à populo fuisse institutum. Quod ita veritati contrarium est, ut alia omnia quæ in regem impie dixere bipedes istæ belluæ omnium mortalium mendaciissimæ. Nullum omnino unquam regnum fuit sine aliquo consilio seniorum, qui Regi adessent in rerum majorum deliberatione capiunda. Persarum reges quamvis absoluta & liberrima potestate regnarent, habuere suos judices sive consiliarios, quos Herodotus βασιλήϊοι δικασταὶ appellat. Hos Rex consulebat cum quis nodus vindice dignus occurreret, de quo scire eorum sententiam expetebat. Nam Cambyses cum vellet in uxorem ducere sororem suam germanam, an liceret id sibi facere eos rogavit. Cum nullam legem quæ

id

id permitteret extare dicerent, ad aliam legem confugerunt, qua dixere regi Persarum licere id quod vellet facere. Non igitur in argumentum trahi potest imperii vel regni potestate populari temperati, quod in eo vel Senatus, vel Parlamenta reperiuntur, cum summa autoritate judicandi & leges ferendi. Hanc enim autoritatem omnem ab ipso rege mutuam acceperunt, ut Luna lucem à Sole fœnerat. Viceversa malè de statu Romanæ reipublicæ, cum libera erat, ex Aristocratico & regali genere eam compositam esse contendere voluit Polybius, quod in ea Consules essent potestate regia, & quod Senatores, quasi statum optimatum referrent. Cum enim tam consules quam reliqui magistratus à populo crearentur, populus imperium planè habuit non mixtum, sed plenè meracum, nec ulla alia potestate temperatum, quia ipse omnia poterat. Idem est & in regnis quæ Parlamenta habent, & Senatum sine provocatione judicantem, aut secundam à Rege autoritatem obtinentem. Nam cum eam, quam habet à Rege totam acceperit, nihil sibi inde adrogare debet, quo imminuatur regis potestas. Siquidem sæpe reges de suo jure summo remittunt, atque ut cum bona gratia populi regnent, multa ei largiuntur, quæ repetere possunt ac revocare, si populus à Rege per nimiam indulgentiam aut facilitatem concessis abutatur. Solet enim illa bestia, quæ *Populus* vocatur, non raro ex uno semel concesso plura trahere concedenda, quæ & pervim interdum extorquere pergit, si nimis prolixam bonitatem principis sui experiatur. Certum quidem est optimos principes debere non omnia velle quæ possunt, sed si præter æquum indulgentes plebi se præbeant, & autoritatem suam

calcandam ei tradant, vix posse postea quod imminui de jure suo & majestate passi fuerint, tam facile recuperare, quam facile eam projecerunt. Ita sæpe & paterna non moderata clementia, filii immodestiam suam & immorigerum animum in tantum exaugent, ut in nervum tandem erumpat, & ad parricidium usque per inveteratam inobedientiam veniant. Neque ergo justo duriora Regum imperia, qui Patres patriæ sunt, neque æquo remissiora decet esse, sed imitari debent patrum verorum temperamentum, quos nec nimia lenitas contemptos filiis reddit, nec nimia severitas facit exosos. Exordia regnorum, præcipue quæ armis occupantur, asperiora esse consuevere, quia recens domiti, ut fræni adhuc impatientes ac jugum jactantes, pressius sunt tractandi. Ita post Guilielmum Conquæstorem mansit in aliquot Regibus proxime succedentibus purum putum jus μοναρχικὸν, ut sub Guilielmo secundo, Henrico primo, Stephano, Henrico secundo, & Richardo primo. Iohannis regno aliquid titubatum est circa plenam potestatem, postulantibus Nobilibus antiqua jura & privilegia sibi restitui, in quibus libertatem suam sitam dicebant. In paucis articulis ea consistebant, quæ nihil supremæ autoritati derogabant. Hæc enim semper & sub omnibus inviolata duravit usque ad hæc tempora, quibus demum violata est à perjuris & perduellibus subditis. Sub regibus ante Guilielmum, nulla *Parlamenti* mentio extat. Rex cum optimatibus de rebus ad publicum bonum pertinentibus deliberabat. Notavit Guilielmus Prinnius in Historica collectione de antiquis Parlamentis Angliæ, à regno Æsuvini & Kentuini, circa annum Domini IↃ C I XXIII. usque ad Iohannem, anno nimirum Christi

cIↃ

CIↃ CC XVI. id est, per annos quingentos quadraginta tres, regium Senatum, quod Parlamentum postea dictum est, compositum tantum fuisse ex Rege, Principibus, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Nobilibus, Baronibus, quæ infimo ævo *Domus Parium* appellata est, absque ulla domo inferiori, qualis *Communium* nunc vocatur, quæ constat ex equitibus provincialibus, & civibus urbium à populo deputatis. Sed quod ait de Ducibus Comitibus & Baronibus ne eorum quidem appellatio cognita fuit sub prioribus regibus qui ante Guilielmum in Anglia regnarunt, & satis longulo tempore post Guilielmum eorum nomen non auditum est. Ipse Guilielmus, postquam regnum adeptus est cum leges condere vellet quæ ad statum firmandum facerent, dicitur, *cum principibus suis eas constituisse post conquisitionem Angliæ*. Sub antiquioribus Guilielmo regibus ex Saxonico & Danico genere nulla uspiam extat mentio Ducum vel Comitum, vel Baronum. *Sapientum Concilium* vocatur sub Ethelredo rege. Is dicitur in legibus Saxonicis *habuisse sapientum Concilium promovendæ pacis causa Wodstoci Merciæ*. Is regnare cœpit anno DCCCCLXXIX. Canutus quoque rex Anglorum & Danorum, *Concilium Sapientum* vocat in legibus suis. Senatus vocatur in legibus Edgari quas dicit se sanxisse, *frequenti senatu ad Dei gloriam, regiæ majestatis ornamentum, ac reipublicæ utilitatem*. Hic Senatus, Parlamentum fuit tunc regis, cujus senatores à consiliis regi videntur fuisse ordinarii, iidemque optimates ac præfecti regni. Nam olim semper Senatus regum compositus erat ex primariæ nobilitatis viris, ut etiam apud Romanos, & in aliis imperiis. Saxonice dicuntur Ealdormani, id est *Aldermanni*, quod ab ætate

factum est vocabulum, quasi *seniores*. Qua voce etiam *proceres & domini* in Europæis linguis quæ à Romana fluxere, significantur. In legibus Ætelsthani regis circa annum Christi Ioccccxxiv. fit mentio Episcoporum, Senatorum & præpositorum regis. Senatores vocantur in Saxonico *Aldermanni*, præpositi sive præfecti *Graphiones*. Aldermanni pro comitibus sunt in singulis comitatibus, Graphiones pro vicecomitibus. Notant quippe Aldermannum proprie fuisse comitem provinciæ, Graphionem vero vicecomitem. In singulis enim provinciis, sive comitatibus, duas præcipuas constat fuisse dignitates, *Aldermanni* & *Graphionis*, quasi Comitis & Vicecomitis. Ideo in Legibus Anglosaxonum Regum post Episcopos nominantur Aldermanni, & post Aldermannos Graphiones. Quamvis nomen Graphionis etiam de Comite usurparint. Vtrique ad conventum de rebus maximis agendum à regibus vocabantur, & præter hos, si qui erant in populo doctrinæ fama & legum jurisque prudentia spectabiles. Qui *Sapientes* nominantur in iisdem legibus. Qua voce doctos & scientia celebres viros istæ linguæ è septentrione designant. In legibus Inæ Regis circa annum Ioccxx. isti sapientes juncti reperiuntur cum Aldermannis, id est Senatoribus, in conventu à rege convocato, his verbis: *Suasu & instituto Cendredi patris mei, Heddæ & Erkenvaldi Episcoporum meorum, omnium Senatorum meorum, & natu majorum sapientum populi mei.* Vbi notandum *Episcopos suos* à rege vocari, & *Senatores suos*, quia à rege creantur, non autem de sapientibus populi idem dicere. Quia qui tales sunt, rex non eos facit. Mentio est & in legibus Aluredi regis, qui regnare cœpit anno DCCCLXX. *Senatoris regii.*

gii. Si quis cum ſenatore regio in frequenti plebis concione dimicarit. Nulli ergo tum regis Senatores præter nobiles & optimates, qui à rege de corpore nobilium ſumebantur, quique ſenatum ejus, quod poſtea fuit parlamentum, componebant. Cum quibus etiam aliquando convocare ſolebat majores natu è populo, ſcientia legum ac doctrina ſpectandos. Vt autem in aliquot legibus cum his ſenatoribus ſapientes è populo evocantur, ita in legibus Æthelſtani optimates & ſapientes, *Decreta actaque hæc ſunt omnia in celebri Grantaleone conſilio cui Wulhelmus interfuit Archiepiſcopus, & cum eo optimates ac ſapientes ab Æthelſtano evocati frequentiſſimi.* Poſt Guilielmi tempora iſti optimates, ſive Senatores, in varios dignitatum titulos diſcreti ſunt, Ducum nominibus, Comitum, Vicecomitum & Baronum, quos omnes dignitatum titulos concedebat Rex, eodem ferme modo quo Imperatores Romani conſularia & prætoria ornamenta, & poſtea Conſtantinus varios comitivæ gradus, quibus Comites fiebant primi ſecundi & tertii ordinis. Parlamenti igitur ſub regibus, qui ante Guilielmum in Anglia imperarunt, nullum reperitur veſtigium. Errant qui ſub Edgaro rege volunt Parlamentum bis in anno convocari ſolitum, idque eſſe manifeſtum ex legibus ejus in quibus legitur Titulo de Comitiis, oppidana ter in anno haberi, celeberrimum autem ex omni Satrapia conventum bis ſingulis annis agi. Sed illo capite non agitur de Comitiis, vel conventu regni generali qui à rege convocabatur, ſed de cujuſlibet provinciæ, ſive comitatus, ſive ſatrapiæ, conventu, quem bis in anno tunc coire ſollemne fuit. Quod ſequitur id clare oſtendit, cum jubet ejuſmodi conventui Epiſcopum illius diœceſeos & ſenatorem

intereſſe, hoc eſt Aldermannum, ſive comitem, ſive judicem ſæcularem, quorum alter jura divina, alter humana exercere debuit. *Comitatus Curiæ* vulgo vocabantur hujuſmodi conventus, *Countie court*. Qui duorum erat generum. Vnus nomine generis proprie vocatus eſt, qui ſingulis menſibus agebatur à vicecomite, aut ejus deputato, alter bis quotannis in feſto Paſchatis, & Divi Michaelis. Hic dicebatur Anglicè *The Turne*, quod in orbem & per vices in ſingulis centuriis, ſive centenis in quas comitatus dividebatur, convenire ſoleret. Sed Centuriarum, *Hundreds* vocabant vernacule, Curiis abolitis, à temporibus Eduardi tertii, in principali civitate comitatus agebantur. Senatus autem regni convocandi non ſtatum fuit tempus, ſed cum ejuſmodi negotia emergerent ad quæ tractanda Rex judicabat Optimates & Satrapiarum præfectos convocandos, ut ex eorum conſilio quid agendum ſuper his foret, ſtatuere poſſet. In his generalibus regni conventibus ſoli Nobiles regis edicto adeſſe conſueverant. Plebis deputati, neque ſub anterioribus Guilielmo regibus, neque etiam ſub primis aliquot ejus ſucceſſoribus, unquam ad ea comitia vocati fuere. Soli, ut dixi, proceres ad ea evocabantur mandato regis, interdum & ſapientes aliqui ex plebe, id eſt juris & legum patriarum periti. Poſt Guilielmum diu altum ſilentium Parlamentorum fuit. Reges qui ei ſucceſſere quando viſum erat, & quos volebant ex proceribus evocabant ad conſultandum de magnis negotiis more ſuperioribus regibus uſitato. Conſeſſus ad hunc modum convocatus, vocabatur *Regis Curia*. Hoc nominis habuit ſub Henrico tertio Ioannis filio, qui per vim coactus fuerat relaxare rigorem Monarchiæ,

narchiæ, qualis à Guilielmo usque ad suam ætatem tenuerat. Sic enim in Præfatione Statuti Mertonensis facti vigesimo anno prædicti Henrici tertii scriptum habetur. *Provisum in Curia supremi nostri Domini Regis habita Mortoni coram Guilielmo Archiepiscopo Cantuariensi & aliis Episcopis & majore parte Comitum & Baronum Angliæ ibidem congregatorum ob coronationem Regis & ejus Reginæ, ad quam omnes erant vocati, ubi actum fuit de publico bono Regni.* In hac Curiæ regiæ convocatione, Archiepiscopi & Episcoporum, Comitum, & Baronum tantum fit mentio, non etiam communis plebium. Vocati hi omnes fuerunt ad sollemnia coronationis Regum, atque etiam ut obiter in ea curia de publico bono regni pertractaretur. Ne sub Eduardo quidem primo, qui nonus fuit à Guilielmo Nicatore, ducentos fere per annos alia ratio convocandi Parlamenti fuit, nec alia forma hujus cognita usque ad Eduardum III. & inferius, quam ut plene ejus congregandi jus à regis voluntate penderet. Si quid esset majoris momenti de quo cum proceribus suis tam Ecclesiasticis quam sæcularibus deliberare vellet *Parlamentum* Regis ac *Curia* vocabatur. Exemplum extat antiquissimum litterarum quæ quidem notæ sint, quibus rex evocabat Episcopos & Optimates ad Senatum, quod posteà Parlamentum, sub Iohanne, anno regni ejus sexto, quarum forma ita concepta est ad Episcopum Sarisburiensem missarum: *Mandamus vobis rogantes quatenus omni occasione & dilatione postposita, sicut nos & honorem nostrum diligitis, ad nos apud London die Dominica proxime ante Ascensionem Domini nobiscum tractaturi de magnis & arduis negotiis nostris & communi regni utilitate, quia super his quæ à Rege Franciæ per nuntios*

Suos nobis mandata sunt, unde per Dei gratiam bonum speramus provenire, vestrum expedit habere consilium, & aliorum Magnatum terræ nostræ, quos ad diem illum & locum fecimus convocari. Vos etiam ex parte nostra & vestra Abbates & Priores conventuales totius diœcesis citari faciatis ut concilio prædicto intersint, sicut diligunt nos & communem regni nostri utilitatem. In his litteris nulla fit mentio communium, sive plebis deputatorum, quia nondum eo tempore quisquam ex plebejorum ordine ad eos conventus à rege solebat evocari. Sub Henrico III. ut jam diximus, non aliter se res habuit. Rerum Anglicanarum periti existimant, sub Eduardo III. primum contigisse, ut communes, ita vocantur, domum per se constituerint separatam. De quo tamen dubitari potest, an tum vocari primum cœpti sint plebeii ad illos conventus. Sed quocunque tempore id fuerit institutum, nunquam tamen ad hoc usque tempus, judicandi potestas penes hanc domum fuit, sed semper penes solam domum Parium mansit. Paulo post Eduardum III, ut videtur, in domum superiorem optimatum, & inferiorem communium, corpus Senatus divisum est. Nulla ne tunc quidem regi necessitas erat imposita alios vocandi, quam quos ei placeret vocari, interim plures, interim pauciores è plebe cum proceribus, sæpe & nullos: quod olim semper fuit, idque pari semper potestate, qualis sub prioribus obtinuerat regibus. Nondum institutæ illæ duæ domus fuerunt, quæ totidem essent Parlamenti partes, id est unius corporis, cui Rex tanquam caput præesset, & sine quarum consilio nullas novas leges condere poterat nec veteres abrogare. Sed hæc duarum domuum Parlamenti institutio, superioris è prælatis & optimatibus regni con-

constantis, & inferioris ex plebeis aut minorum gentium nobilibus, nihil etiam ad supremam Regis potestatem imminuendam aut delendam pertinuit. Nam ut semper liberum fuit anterioribus regibus quos vellent ad Curiam, quæ regia dicebatur, convocare, sine ulla distinctione superioris aut inferioris ordinis, quem utrumque necessario congregari oporteret ut esset legitimum Parlamentum: ita ab ipsis regibus certum est constitutam fuisse hanc novam Parlamenti formam quæ ex utraque domo composita erat, quasi ex duobus membris quibus Rex tanquam caput imponeretur. Vt autem hic novus Parlamenti status, quem ad hoc instar formaverant, melius procederet, diversi Reges plura oppida hoc privilegio donarunt, ut ad Parlamentum, si quando vocarentur Regis mandato, suos deputatos possint mittere. Non enim unius regis concessio & beneficium fuit, qui aut quot ex oppidorum civibus vocarentur. Primo indefinitum fuit quot vocandi essent & in Regis positum arbitrio. Atque ita diu observatum. Postea singulos constat vocatos è singulis comitatibus, ut apparet ex præfatione Statuti Stapli vigesimo anno Eduardii tertii facti. In eo Statuto Rex *magnum suum concilium* vocat, quod antecessores ejus reges *Curiam suam*, & *Parlamentum* suum nuncuparant. *Eduardus Dei gratia, quoniam matura deliberatione habita cum Episcopis, Ducibus, Comitibus, Baronibus & Magnatibus Comitatuum, id est de singulis civitatibus pro toto comitatu vocatis ad magnum nostrum Concilium West-monasterium.* Notandum est, in hoc constituto, sub Eduardo III. facto, nullam etiam fieri mentionem civium sive Burgensium, ut vocant, è comitatu deputatorum ad Senatum, sed magnates tantum comitatuum, qui è singulis civita-

vitatibus pro toto comitatu citabantur. Quidcunque fit, poſt mutatam Parlamenti formam, nihil imminutum de Regis poteſtate, quin etiamtum *Concilium ſuum* & *Parlamentum ſuum* vocare potuerit & vocaverit, conventum illum, qui juſſu ejus & mandato congregabatur. Poſtea ſtatutum fuit, à quo niſi à rege? ut duo equites de ſingulis provinciis, duo cives de unaquaque civitate, & duo municipes de quoque municipio, vocati adeſſent Parlamento. De qua re & decretum factum eſt anno ſeptimo R. Henrici IV. Sic ſemper ad Regis arbitrium ſpectavit minuere vel augere numerum vocandorum ad ſuum magnum Concilium, quod nunc Parlamentum dicitur. Quod vel ex hoc argumento maxime clarum eſt. Regis eſt de vico municipium facere, de municipio civitatem. Ita conſtat ex Regis beneficio qui privilegium municipii vel civitatis vico indulſerit, numerum augeri domus inferioris. Idem etiam equites facit. Ergo & illos creat qui conſtituunt corpus plebeji ordinis, ſive domus inferioris. Nonne etiam ad regis poteſtatem pertinet Duces, Comites, & Vicecomites creare, atque etiam Barones, & ſic corpus ſuperioris domus quod compoſitum eſt ex procerum & optimatum variis generibus, multiplicare? Cum etiam ex comitatibus ſive provinciis deputarentur cives & minores nobiles, ad comitia, cui dubium eſt quin à regum nutu & arbitrio penderet plures in regno comitatus facere, hoc eſt plures provincias ſive præfecturas, rectoribus ab ipſo conſtituendis, Comitum titulo ac jure regendas? Volunt quidam primum Alvredum Angloſaxonem regem, qui regnare cœpit anno DCCCLXXVIII, regnum Angliæ diſtribuiſſe in comitatus. Quod cum verum ſit, neſcio, qui pro certo poſſim affir-

affirmare, non ante comitatus, id est præfecturas comitum, institutas fuisse, quam comites feudales & patrimoniales facti sunt. Tales comitatus vix notos putem fuisse ante Guilielmum Normannum. Antea quidem constat, Angliam & Britanniam totam in plures provincias fuisse distinctam, quæ singulæ à rectoribus gubernabantur, sub Romanis quidem nomine *consulatium* & *præsidum*, tunc enim sex fuere, sub Anglosaxonibus vero per *Heretoghios*, *Aldermannos* & *Graphiones*, id est præfectos qui instar Ducum, Comitum & Vicecomitum fuerunt. Ipsas Provincias sive Satrapias vocabant sua lingua *Kole*. Tam *comites* autem provinciarum fuisse certum est, quam civitatum, & quam etiam pagorum. Nam sub infimo imperio, vocabulum *Comes* de quolibet & cujuslibet rei, regionis, vel officii præfecto usurpatum est. Sic majores Comites iidem fuere cum provinciarum rectoribus & ducibus, minores cum urbium præfectis. Postea quæ præfecturæ erant tantum & præsidatus, beneficio & indulgentia regum in dominium ac possessionem pari titulo ac jure tenendam, & hæredibus transmittendam iis qui eas regebant, concessæ fuere. Quod sub Ottonibus in Germania factum esse inter omnes convenit, in Gallia sub Carolidis tentatum, postremo sub Hugone Capeto id plene effectum est. Ad hoc exemplum videtur Guilielmus Normannus cum Angliam subjugavit, & regni jure invasit, talem feudorum formam introduxisse, cum expeditionis suæ comitibus terras & agros victorum Anglorum divideret, partem etiam veteribus colonis relinqueret. Ab illo igitur, aut ab aliquo proxime succedentium regum videntur esse Comites feudales instituti, ut & Barones, quorum mentionem tantum

tum reperire est sub Normannis regibus, non sub Anglosaxonibus. Primi ergo comites non fuere sine comitatu, id est sine aliquo territorio vel ditione quam jure ac titulo comitis tenerent. Inde enim *Comitatus* in Anglia nomen accepere. Sed dubitandi causa est an à Guilielmo tales instituti fuerint. Certe de illo omnino constare debet, sub anterioribus Guilielmo Anglosaxonum regibus non fuisse notos istos comites, nisi quis velit nominibus *Aldermannorum* & *Graphionum*, de quibus supra diximus, eos esse intelligendos. Vt dignitas & officium horum & illorum non disparile fuerit, res tamen cum nomine diversa. Nam illi quidem præsides & rectores provinciarum, aut civitatum fuere quoad viverent, isti verò hæreditarii & feudales earum possessionum domini quas titulo *comitum* tenebant. Vox ipsa comitum Latina à Normannis cum corruptione retenta. Nam *Comitis curtem*, sive curiam, dixere, *Counzie court*. Quæ appellationes sub Anglosaxonibus & Danis incognitæ. Ergo & comitatuum sic propriè dictorum divisio, aut sub Guilielmo cœpit, aut etiam post Guilielmum. Certe non ante feudorum institutionem cogniti isti comites fuere, ut neque Barones feudales. Cujus nominis *Baro* generali notione comprehendebantur Duces, Comites, Marchiones, Vicecomites, & omnes omnino Vasalli majores qui a rege feuda sub his titulis immediate tenebant. Inde in veteribus litteris Dux Burgundiæ Philippus secundus *Honorabilis Baro* appellatur. *Honorable Bers*. Hinc & sub regibus qui Guilielmo proxime successere, *Baronum* appellatione omnes magnates quos rex suis literis evocabat ad Parlamentum, designari solebant. Atque ut olim sub Saxonibus *Aldermanni* & *Graphiones* noti sunt, id est Optimates

mates qui his nominibus à rege per litteras ad Senatum citabantur, ita sub Normannidis *Barones*, id est omnes magnates, sive vasalli majores & capitales, qui ejusmodi feuda à rege ipso, ceu capite, dependentia possidebant, qui & ex eo *Parlamentarii Barones* vocabantur. Stricta tamen appellatione inter Comitem feudalem & Baronem hic propriè appellatum, hæc fuit differentia, quod Comites dicebantur qui terras & reditus possidebant ad æstimationem comitatus, quæ definiebatur viginti feudis unius militis, Galli vocant *Chevalier*, quolibet feudo taxato viginti librarum reditu, hoc est quadringentis libris in totum. Barones autem hi erant qui tredecim feuda & tertiam partem feudi militaris tenebant, cum eadem singulorum feudorum æstimatione. Cum igitur ejusmodi Barones quorum etiam generali appellatione Comites comprehendebantur, hoc juris & privilegii se habere intenderent, ut regiis litteris vocandi essent ad Parlamentum, quoties ejus convocandi necessitas regi ingrueret, ex majorum rerum, de quibus esset deliberandum, occasione, inde ob autoritatem quam ex eo sibi arrogabant, sæpius contra reges suos cornua extollebant, crebraque propterea bella & discidia inter regem & Barones regni nascebantur. Quo fiebat non raro ut rex eos Barones in conventu regni congregando præteriret, alios vero qui Barones non erant eorum loco citari curaret. Hoc enim semper regibus licitum & liberum fuit quoscumque vellent ut convenire ad Senatum juberent. Quibus rebus contingebat, ut à rege ad Senatum vocati nomen & dignitatem Baronis acquirerent, eoque titulo in posterum fruerentur. Id magnates sub Iohanne qui veri & antiqui Barones erant, gravatim ferentes, bello lacessitum

eum

cum coëgere pactionem secum facere sigillo magno Angliæ firmatam, ut Archiepiscopos, Abbates, comites & majores Barones regni peculiaribus litteris evocaret ut Senatui interessent. Hoc vi ab illo extortum, non jure, non diu etiam tenuit. Nam Henricus tertius ejus filius & successor in regno hanc legem cui se pater subdiderat adeo contempsit ut ex ducentis quinquaginta Baronatibus qui tunc numerabantur in Anglia, viginti tantum & quinque Barones ad Comitia mandarit venire. Quem morem etiam sequutus est filius ejus Eduardus primus, multis eorum præteritis quos pater vocaverat, pluribus vocatis qui Baronii dignitate carebant. Atque hæc consuetudo sub omnibus sequentibus regibus ad hæc usque tempora invaluit, ut quoscunque regi placitum esset ad concilium regni vocare, pars essent domus dominorum ac procerum, eoque ipso Barones fierent, quamvis non essent. Sic tandem exolevit antiquorum & feudalium Baronum autoritas & pro iis duplex genus Baronum introductum: *Codicillares*, id est quos titulo Baronis rex codicillis donabat, & qui eo quo diximus modo creabantur, evocatione nempe regis ad majorem domum. *Rescriptities* Barones hos vocant rerum Anglicanarum autores. Comitum quoque antiquorum & feudalium abolita est in Anglia dignitas, & soli remansere quos rex Comitivæ, ut ita dicam, insignibus & titulo per codicillos decoraret. Non alii igitur domum superiorem Parlamenti constituebant, quæ sola judicialem potestatem habuit, quam qui à rege facti erant Comites vel Barones. Vt inde mendacium impudentissimum independentium Ducum patescat, qui in defensione scelerati sui facti quam divulgandam sub nomine *Declaratio-*

nis

nis curarunt, affirmare non dubitant Parlamentum à populo creari. Quia deligantur scilicet à populo qui Parlamentum componunt. Atqui omnes istæ dignitates vel dignitatum tituli quibus qui donati sunt in Senatum ingrediendi jus habent, & jurisdictionem summam accipiunt, à rege ipso proficiscuntur, quibus velit eas concedente. Nam populi non est Duces, Comites aut Vicecomites facere, & alios denique quicunque aliqua nobilitatis prærogativa potiuntur, hoc privilegio beare. Vnde enim populus daret quod non habet? Quomodo nobilitatem concederet ignobilis? In populari statu origo nobilitatis non alia habita est, quam quæ ex censu proveniret. Hinc Senatores & Equites in Romana republica qui Equestrem & Senatorium censum haberent. Nunquam sub Republica Consularia, aut Prætoria, aut Triumphalia ornamenta cuiquam qui non triumphasset, aut qui Consul aut Prætor revera non fuisset, legimus data. At sub Imperatoribus passim id obtinuit, & honorariæ plures dignitates codicillis Imperatorum privatis quos fic ornare vellent, datæ sunt. Idem in Anglia factum. Etiam minores nobiles, hoc est equites vel scutigeri, qui inferiorem domum Parlamenti complebant, à rege fiebant, si qui ab origine tales non erant. Et fic à rege, ut ita dicam, nobilitati, locum inter nobiles illius domus habuerunt. Eant igitur & dicant perfidiosi & scelerati sicarii Parlamentum à populo constitui, & fieri. Sed quis eos fecit id quod sunt? A quo potestatem & imperium quod nunc possident, acceperunt? Vis, violentia, jus armorum & scelus hoc eis dedit. Ducem quoque & Marchionem eodem modo rex faciebat, ut Comitem & Baronem. Apud nos de Barone Comitem, de Comite Marchionem, de Marchione

chione Ducem Rex creat, & terras ipsas quas tenent, titulis Baronatuum, Comitatuum, & Ducatuum donat. De Eduardo tertio narrant Anglorum Historiæ, filium eum suum Eduardum Cornuwalliæ Ducem creavisse, atque inde plures hæreditarios duces ad illud exemplum factos fuisse. Marchionis dignitatem, quæ secunda est à Ducatu, à Richardo secundo primum institutam fuisse memorant eædem historiæ. Vicecomitis appellationem & dignitatem primus Henricus sextus proceribus quibusdam detulit. Sic omnes majores nobilium dignitates cum à Rege concedi certum sit, non minus id verum est, ut diximus, de minorum gentium nobilitate. Hos omnes pro arbitratu suo Rex creat. Ita nemo ferme est ex nobilibus tam superioris quam inferioris ordinis qui utramque domum componunt, quin à rege creari possit, qui & per hoc beneficium jus accipiunt quo pars esse possunt inferioris aut superioris domus Parlamenti. Præterea juris est apud Anglos ex omni temporum memoria indubitati & minime controversi, potestatem penes Regem esse, & semper fuisse, Parlamentum quoties liberet convocandi, & quando vellet dissolvendi. Si aliqua lex esset quæ sanciret Regem arbitrio populi creari posse & abdicari, nemo foret quin ex hoc argueret populum supra Regem esse. Nunc cum sit certo certius Regem Magnæ Britanniæ arbitratu suo Parlamentum congregare solitum & dimittere, quis non inde adstruat Regem supra Parlamentum esse, & non Parlamentum supra Regem? Quod ita demum esset verum, si Parlamentum potestatem haberet semetipsum convocandi, & postea ubi convocatum esset per eum qui tunc consessui præsideret, Regem ad se pro imperio citandi, tunc certè merito dici pos-

set

set superius esse rege Parlamentum. Nam semper hoc obtinuit in omnibus Rebuspublicis, ut major potestas minorem ad se venire juberet, & quæ minor esset majorem coram se conveniri non posset pati. Papam supra concilium esse non ante creditum est quam etiam hoc ei jus ab affectis suis arrogatum est ut soli potestas esset concilii convocandi. Quod Imperatoribus olim Romanis, & postea Regibus in sua cuique ditione ac regno sub primis Christianis tantum licuit. Hoc enim summæ potestatis tam in Ecclesiastico quam in civili statu argumentum. Vbi Papæ regium, immo majus regio imperium sibi vindicarunt, tum jus illud quoque arripuerunt quod Regum & Imperatorum erat proprium. Ex his quæ supra dicta sunt, luce clarius liquet mendacium esse non ferendum quod in principio suæ defensionis parricidæ Anglicani posuere, Parlamentum Angliæ à populo electum & constitutum esse ad boni publici procurationem. Quid fidei habendum est illis impostoribus, qui in re tam clara tam impudenter, & improbe coram toto orbe mentiuntur. Non minoris impostura est, qua dixere regnum Anglorum esse electivum. Reges porro Angliæ Parlamento majus imperium habuisse alio quoque argumento probari potest, eoque invincibili. Regis potestas perpetua est & ordinaria, quæ & per se sine Parlamento regnum administrat, & populum sibi subjectum gubernat. Parlamenti extraordinaria est autoritas, & ad certas tantum res constituta, nec sine Rege quicquam ratum ac validum statuere idonea. Quod semper est, suapte vi nititur, nec ab alio, ut sit, potestatem accipit. Quod non semper est, ut aliquando sit, ab alterius virtute pendet. Nam si à sua penderet semper esset, cum subinde res emer-

gant

gant in regni statu expediendæ, quæ potestatem ordinariam & perpetuam, qua dirigi queant & ordinari, necessario requirant. Quæ potestas igitur semper manet, non mutuatur vim suam vel jus suum ab ea quæ interim est, interim non est, sed contra. Sol perpetuo lumine fulgidus non mutuam accipit lucem à Luna, sed ille potius huic fœnerat id quo lucida est, ideoque non semper ea fulgorem habet. Si Parlamentum alterum regni caput est, ut fanaticis placet merum monstrum de illo regno fabricantibus, duo capita habebit quorum alterum semper vivit, alterum per vices vitam accipit & moritur. Nam ubi dissolutum est Parlamentum cessat vivere, cum Regis potestas semper vivat & vigeat. Hoc etiam telo confoditur, quod ajunt iidem Enthusiastæ & phrenetici, majestatem non esse in Rege, nisi quando ipse est in Parlamento. Quid ergo? Vtrum dicent majestatem Parlamento regem, an Parlamentum Regi conferre? Si Rex eam confert, propria Regis est. Si Parlamentum Regi illam dat, Parlamento propriè competit. Sed Rex Parlamentum convocat. Ergo majestatem Parlamenti Rex creat hac ipsa convocatione. Eadem dissoluto & misso à Rege Parlamento rursus evanescit. Ita Rex solus in causa est, ut majestas illa oriatur & extinguatur. Oportet igitur aliquid majus esse in rege quam ipsa est majestas, cum ejus excitandæ & solvendæ vim habeat. Præterea cum Rex sine Parlamento regnat qua potestate id facit? Cum summam eam esse constet, an diversum quid est à majestate? An nulla fuit in novem Regibus majestas qui Guilielmo Normanno succesere, quia tum Parlamentum nullum fuit ex duabus domibus, quasi membris, compositum ut postea factum est?

Mira

Mira igitur & planè monstrosa Anglicani regni forma sub posterioribus regibus extitit, quod utique regeretur à majestate, quæ alternis cadit & resurgit. Quo tempore cessat, dormit fortassean tantum, & postea excitatur velut è somno. Sed Rex est qui illam in soporem dat ubi satis vigilavit, & rursus eam de somno suscitat cum satis ipsi dormisse visa est. Sic semper Rex dominus erit talis majestatis quam ad arbitratum suum modo sensu omni ac motu privat, modo cum vult ita vegetat, ut vitam statim recipiat amissam. Sed sibi non constant in somniis suis miseri homines, atque dum regiam potestatem destruunt ut eam populo adstruant, inter se dissident & sæpe contraria alii aliis dicunt. Quod bene convenit prodigiosæ eorum sectæ quæ singulis dat plenam libertatem etiam in religione sentiendi quæ velit, & docendi quæ sentiat. Quidam ex his affirmant, ut jam dictum est, Regem adeo populo suppositum esse & infra eum abjectum ut vasis instar sit, populus quasi figulus haberi debeat qui conterit vasa sua ut libet, fingitque & refingit ad placitum. Hæc impuri Coci sententia est, juxta quam Parlamentum supra regem tanto intervallo debet elatum videri, ut major non sit intercapedo qua cœlum altius terra est. Nam ut sub pedibus figuli est vas quod frangere destinat, ita rex cum vas sit ad populi arbitrium quasi figuli sui frangendum, nihil habet quod hiscere contra eum possit, haud magis quam vas ubi figulus de eo confringendo cogitat. Nonnulli horum modestius de rege sentiunt, & saltem cum Parlamento passibus æquis posse ambulare eum existimant. Ferunt quippe, ut eorum utar loquutionibus barbaris, cum sint mente & animo quam loquela barbariores, non

esse Parlamentum Regi *subordinatum*, sed *coordinatum*. Tres quippe esse ordines Parlamenti, nulla re inter se differentes, non jure, non autoritate, non potestate, Regem nempe, Domum superiorem, & Domum inferiorem. In his tribus ordinibus nullum dari altero altiorem aut humiliorem: æquales inter se esse. Tali mixtura invicem teneri, ut unum esse videantur corpus, personis non distinctum. Portentum hoc sane est quale nunquam pictum vel fictum quisquam vidit, nisi ipsi qui finxere in cerebro suo, vel in somniis viderunt cum ægrotantes delirarent. Secundum hęc sanè, non jam figuli instar populus habet, Rex vasis, sed tria vasa sunt, vel certè tres figuli, Rex, proceres & plebs. Monstrum sanè triceps & tricorpor, vel unum corpus potius, cujus quot membra sunt, totidem capita videri debeant. Sed ex his tribus capitibus unum semper oculis apertis vigilat & excubat ad regni curam, duo alia modo somno premuntur, modo vigilias agunt, sed quando placitum est alteri capiti semper vigili hæc duo de somno suscitare. Hæc doctrina de tribus regni capitibus, qua cerberum aliquem, Stygium canem depingere nobis videntur voluisse, Independentium deliriis adprime convenit, qui ita nullum caput agnoscunt, nec in Ecclesia, nec in republica, ut totidem capita velint esse quot personæ sunt. Ad se regendum cuilibet satis à Deo & natura datum esse opis & præsidii, sivé id curam corporis, spectet sive animæ. Non enim de religione aliter sentiunt, cui & multa capita tribuunt & nullum. Magistrum sibi esse posse unum quemque & doctorem & præceptorem idoneum, ut non aliorum opera opus habeat. In republica tamen regenda aliud dicunt, aliud faciunt. Aliter præcipiunt, aliter vivunt. Verbis regem populo

subji-

subjiciunt, re ipsa populum sibi. Ideo sectam in secta exsurgentem oppressérunt, quæ omnia exæquari vult & omnes. Illi sunt fortasse qui tres ordines regni pares esse contendunt. Quod istis displicuit qui populi figlinam adstruunt, & Regem vas ad ignominiam factum esse, velut opus figuli ebrii, jactant. Sed quæ comparatio est figuli cum vase, id est populi cum Rege, eadem est figuli ministri cum domino qui ejus ministerio utitur ad vasa fingenda. Qui nunc regnat in Anglia, quem nuper sex albæ equæ currui triumphali junctæ in expeditionem Hibernicam vexerunt, dominus est figuli, id est populi, ut figulus est vasis, id est, populus regis. Sed ne iste quidem figulus vas à se formatum frangere potest sine consensu domini sui. Si faciat, plagas accipiet & removebitur à ministerio. Si jubeat dominus figulo ministro vas quod fecit abjicere & solo illidere, tenebitur obedire. Nonne ad hunc modum dominus figuli, id est Tyrannus ille qui nunc populum Angliæ servitio premit, per eum curavit regem solio & vita expellendum, ut figulo Magister officinæ imperat vas quod non probavit pedibus conterere, aut ad parietem jactare? Non vident homines mente perditi & capite perdendi, quam dant populo, quasi figulo, potestatem adversus Regem suum legitimum qua eum perdat, quasi si vas esset fictile, meliori jure in semetipsos concedi debere eidem populo, quia tyranni sunt ac Reipublicæ perturbatores, usurpatores & invasores? Caveant ergo sibi, si populus resipiscere incipiat, & verba in jugulum reditura parcant fundere contra regiam majestatem, cum suismet ipsi pennis capi queant, ut qui doctrinam capessant nulli magis quam sibi pernicioſam & exitialem. Quæcunque enim in reges etiam justos & pios

ex penu profanæ & impiæ disciplinæ deprompta evomunt, quanto magis in tyrannos populi germanos, quales reipsa se præstant, retorqueri possunt? Nec minore imperitia quam insania objectant, potestatem Regis in Parlamento non esse regalem, sed politicam. Quid istis phreneticis facias qui quod ad Regem jure regio pertinet, non esse regale autumant? Quod Rex ex propria potestate facit, an non id est regale? Quid ergo est? Politicum. Væ miseris parricidis, ita usum sensus communis etiam cum mente amiserunt. Quasi gubernatio Regis non sit politica, nec ad ullum genus πολιτείας referri possit. Atqui tria esse genera πολιτείας didicisse eos oportuit, nec ullum esse statum reipublicæ bene constitutæ, quin ad unum ex his tribus genus politicum revocari queat. Vt non miscenda miscent isti turbones, ita non separanda distrahunt. Tantopere quippe insaniunt, ut personam Regis à potestate ejus sejungant, & politicum in eo corpus aliud faciant à naturali corpore. Quod prodigium est omnibus portentis opinionum quas umquam fanatici induerunt, monstrosius. Inde concludunt, cum Apostolus *potestatibus non esse resistendum* præcipit, non de persona Regis, sed de ejus corpore politico in quo potestas residet, id esse accipiendum. Bicorpor igitur est rex omnis, & aliud corpus habet naturale, aliud politicum. Naturale corpus ejus, hoc est persona sive ὑπόστασις, caret omni potestate. Cum occiditur, non plus in ejus cæde committenda criminis versatur, quam si homo de media plebe necaretur. At politicum ejus corpus non potest occidi, non vulnerari. In eo hæret potestas illa ipsa cui monet Apostolus non esse repugnandum. *Nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Sed velim scire si potestas à per-

persona quæ potestatem habet, separabilis sit, quomodo ei possit resisti, aut non resisti? Res est imaginaria plane & chimærica potestas sine subjecto. At persona sine potestate sæpe reperitur ut omnes qui privati sunt & magistratum non gerunt. Sed de his Apostolum non loqui plusquam manifestum est. Nihil autem facilius est quam illis resistere qui potestatem non habent, quia metuendi non sunt. Solus magistratus hac potestate, quæ timetur, præditus est, quo eam libere exercere queat sine cujusquam rebellione & contumacia. Ideo Apostolus ei resisti vetat. Potestas hac notione in concreto accipitur pro persona quæ potestatem habet. Qua loquendi forma nihil tritius est Græcis Romanisque scriptoribus. Sic *potestas* apud Iuvenalem pro magistratu:

Malim Fidenis Gabiorumque esse potestas.

Id est, magistratus. Inde hodieque in plerisque Italiæ urbibus *Potestas* dicitur de rectore qui urbi præest. Ita passim Græcis ἀρχαὶ & κυριότητες & ἐξουσίαι, δυνάμεις, de Angelis & Dæmonibus, quorum ὑπόστασις non distinguitur à potestate qua pollent. Λόγιον pro Rationali, id est eo qui rationibus privatis Principis præpositus est, legimus apud Strabonem. Sic *conjugium* pro conjuge, *servitium* pro servo. Ita *Majestatem* vulgari usu dicimus, de eo in quo majestas est. Sane qui Regem dicit, non intelligit nisi personam quæ cum regia potestate est. Si illa privetur, tum potestas illa ab ejus persona separatur. Ita *magistratum* Romani dixere de persona quæ in magistratu constituta est. Si magistratu abierit, tum persona evadit privata, & potestate caret quam habuerat. Sed quandiu Rex imperium obtinet regium, aut magistratus potestatem sibi à Rege vel populo commissam, corpus politicum & naturale

unum est in utroque, nec potest dividi potestas a persona. In crimine læsæ Majestatis cum in Regem committitur, quæro quid majestatis nomine significari velint? Vtrum personam tantum, an ejus potestatem sive dignitatem? Atqui certum est cum persona regis violatur dicto aut facto, huic crimini quo læsa dicitur majestas, locum esse. Ergo majestas in persona ostenditur & in majestate persona. Et majestas quidem in persona læditur cum regis ipsius persona injuria afficitur aliqua, vel contumelia, vel verberatione, vel incarceratione, vel etiam morte. Nam qui hæc committunt contra personam regis, crimine Majestatis tenentur. Immò qui mortem regis machinantur non tantum majestatis rei sunt, sed etiam perduellionis. Ad personam quoque Regis pertinet cum bellum ipsi infertur, aut cum inferentibus quis se socium addit. Sed & cum majori natu ejus filio insidiæ quibus opprimatur, struuntur. Quæ omnia in crimen læsæ Majestatis cadunt. Acto Parlamenti xxv. anno Eduardi III. Statuas & imagines principis confringere vel conflare etiam quodammodo regis personam spectat, & qui hæc admiserint lege Iulia Majestatis tenebantur, ut ex Digestis sub eo titulo notum est. Monetæ falsæ percussio etiam videtur regis personam respicere quadantenus. Vnde & vulgo *alapam regi incutere* dicuntur, qui adulterinos nummos cudunt forma regis percussos. In majestate autem persona lædi existimatur per ea commissa quæ non directè personam regis tangunt, sed quibus dignitas ejus violatur. Qui Regis injussu bellum gerit, qui in ejus regno delectus habet, aut exercitum comparat præter ipsius voluntatem, quamvis non contra ipsum id bellum susceptum sit, majestatis tamen reus est leg. vi.

D. ad

D. ad legem Iuliam majestatis. Lædit Regis majestatem, qui aliquid ejus nomine facit quod vetitum ab eo sit, vel etiam quod non jussum sit. Legatus qui falso ferret mandata nomine Regis sui ad extrarium principem aliter quam rex dedisset, hoc crimen incurreret. Qui privatus se pro potestate magistratuque sciens dolo malo gesserit, tenetur hac lege. Multa hujus generis memorari possent quæ nunc lubens omitto. Quæ attulimus satis evincunt in persona regis majestatem ejus offendi, & in majestate personam, ac proinde non dissociabili vinculo hæc duo invicem connexa teneri, corpus regis naturale & politicum, personam ejus & potestatem, personam & majestatem, personam & coronam. Sub Rege Eduardo II. duo Spenceri, ut proditionem suam tegerent, ex illa divisione corporis politici & corporis naturalis seorsim in una regis persona considerati, has consequentias regibus regnisque perniciosas eliciebant; Quod cum subjectio quæ regi debetur, corpus ejus politicum magis respicere videatur quam personam, ideo regem, si impotenter & injuste agat, removeri à subjectis posse, & si lege id fieri nequeat, per vim esse faciendum. Quæ consequentia pessima ex falsa propositione deducta est. Illa autem ideo excogitata ab illis perduellibus & inventa, ut specioso prætextu ad nutum subditorum reges sceptrum & vitam possint deponere. Sed cum regis potestas separari non possit ab ejus persona, si crimen aliquod admittat, non potest puniri ut privatus, quia majestas ab ejus persona inseparabilis est. Sin autem in ejus personam peccetur, non impunitum id esse potest ei qui commiserit, sed reus læsæ majestatis peragitur, quia quicunque personam ejus lædit, etiam majestatem ejus violat.

Inde est illud vulgare apud Anglos in eorum legibus, *Regem non posse facere injuriam.* Injuria id omne est quod non jure fit, & quod jure vindicatur in eo qui commisit. Cum vero regi liceat facere & quidem impune quod libet, ideo non est injuria quam facit, quia non in eo punitur, sicut in alio plecteretur. Criminibus adulterii, homicidii & aliis capitalibus non tenetur rex, quia legibus solutus est quibus ejusmodi criminum rei conveniuntur. Rex igitur tanquam privatus non potest propter ullum crimen lege postulari, quia non discedit ab eo majestas sua, sive dignitas regalis. Ideo in lege Anglicana dicitur, *regem Dei esse vicarium, & non posse ullum malum facere*, ut habet Ienkinsius judex in principatu Walliæ in libro cui titulum fecit, *Lex terræ.* In magistratibus, qui à Rege, vel à populo cujus dominatio est, creantur, aliter se res habet. Quia enim potestatem suam amittere possunt, vel ea excidere ob criminis causam, idcirco persona eorum distingui potest à potestate. Majestatis quippe rei fieri possunt, quod non cadit in regem qui ipsa Majestas est. Cum igitur qui in Magistratu est, adulterium committit aut homicidium, tanquam civis & privatus, stupri causam dicet & cædis, non tanquam magistratus. Si vero dum magistratus est aliquid fecerit contra dignitatem potestatis quam gerit, tum majestatis læsæ reus fit. Si contra leges faciat, si judicia vendat, si autoritate publica utatur aliter quam debet, si de capite innocentis pactus sit, tunc tanquam magistratus peccat, & lædit majestatem, vel regis qui eum creavit, vel Reipublicæ. In tali itaque homine qui magistratus est, persona distingui potest à potestate, quia interdum peccet tanquam civis, interdum tanquam magistratus qui potestate sua

abuti-

abutitur. Sed in rege hæc divisio personæ & majestatis recipi non potest, quia non potest delinquere tanquam privatus, cum in ordinem redigi non queat privatorum. Non peccat tanquam rex, quia rex non posse peccare intelligitur, quia peccatum ejus pœna non consequitur, quia denique legibus solutus est quæ pœnam delicto statuunt. Potestate autem quam habet nulla ex causa privari potest, quia ipsi inhæret per jus genituræ, per naturam, per Dei legem & regni. Reges enim à Deo constitui ex verbo Dei supra probavimus. Qui verò hæreditarium regnum tenent, lege successionis illud obtinent, quæ *lex* est *terræ*, ut appellant. Fiduciarium itaque non est regis officium in Anglia, nec delegata quædam potestas, non magistratus est publicus primarius, vel populi ministerium, ut hariolantur rebelles fanatici, quibus hæc ita credi expedit, ne majestatis læsæ divinæ & humanæ, immo perduellionis atrocissimæ omnium & immanissimæ quæ umquam fuit ab ullo commissa, convicti teneantur. Cum hac absoluta potestate quæ ita regiæ personæ adhæret ut avelli ab ea non possit, an Rex supra Parlamentum sit, frustra quæritur, de quo dubitare nemo nisi qui sit fanaticus potest. Convocat Parlamentum, quod jussu ejus convenire tenetur, non ab eo convocatur, nec adesse quamdiu durat cogitur. Præterea sic illud convocare solet, ut non tanquam præsidens vel princeps Senatus id facere possit videri, sed tanquam autoritatem habens & imperandi jubendique potestatem, quæ non nisi supremo rectori convenit. Hæc enim solemnia verba sunt Codicillorum regiorum sive Brevis, quo rex *Communia* Regni Anglicani ad Parlamentum suum convenire jubet. *Rex* N. N. *Salutem; Quia nos de admonitione & assensu consilii*

filii noſtri, pro quibuſdam arduis & urgentibus negotiis, nos, Statum noſtrum, & Defenſionem regni noſtri Anglicani ſpectantibus, quoddam Parlamentum noſtrum apud B. teneri ſtatuimus, & ibidem cum prælatis & proceribus dicti noſtri regni Colloquium habere & Tractatum, tibi præcipimus firmiter injungendo, ut facta proclamatione in proximo comitatu tuo poſt receptionem ejuſdem brevis, duos milites gladiis cinctos eligi facias ad faciendum, & conſentiendum his quæ tunc ibidem de communi noſtro Conſilio Anglicano, favente Deo, contigerit ordinari ſuper negotiis ante dictis. Vbi vides Regem ita *Parlamentum ſuum* appellare, & *Regnum ſuum, ut Conſilium ſuum.* Præcipit iis quos convocat, & firmiter injungit ut veniant. Si talibus verbis Parlamentum uteretur, regis ad ſe evocandi gratia, non dubitarem tunc dicere & credere Parlamentum eſſe ſupra regem & poſſe ſtatuere pleno jure & tota libertate de quibuſcunque rebus vellet, etiam citra regis aſſenſum, ſicut hodie væſani Independentes affirmant. Et ſane probabili admodum ratione niterentur ad hanc aſſertionem defendendam. Nunc cum omnia contraria vera ſint, jus quod habent, quod habere ſe dicunt, in armis & vi tantum ſitum eſſe confiteantur neceſſe eſt. Codicilli Regii per quos Proceres ad Parlamentum à Rege vocantur, iiſdem ferme verbis concepti ſunt, ſed in ipſa formula præcipiendi aliquantum variant, ſic enim habent: *Vobis ſub fide & homagiis quibus nobis tenemini firmiter injungendo mandamus ut perſonaliter*, & quæ ſequuntur. In reſcriptis ad prædictos Regis Codicillos, *Parlamentum Domini regis* appellatur. Si rex *dominus eſt ſupremus Parlamenti*, ut in aliis Actis & Statutis variorum Parlamentorum paſſim nominatur, non eſt diſquirendum an ſuppoſitum ſit regi Parlamen-

lamentum, cum res ipsa id indicet. Nec ambigendum sane foret subjici regem Parlamento ipso jure debere, si uspiam mentio extaret in vasariis publicis Regni Anglicani, in qua Senatus *Regis dominus* nuncuparetur. Nunc tanta rerum nominumque permutatio viget apud illos Sectarios, ut servus pro domino exeat, dominus pro servo. Tyranni multi pro rege uno legitimo imperent. Πολυαρχία cum ἀναρχία sit mixta. Regnum Christi cum regno mundi sit idem. Respublica consistat sine libertate, Religio sine fide, Enthusiasmus sine veritate, Ecclesia sine disciplina. Omnia in ea inversa ac perversa; omnia monstruosa, capite in pedes dejecto, pedibus in caput erectis. Infima summis, dextra lævis, recta pravis, religiosa profanis mutata. Merum denique omnis generis confusionum Chaos. Hic status est regni Anglicani sub dira & immani Independentium tyrannide.

CAPUT IX.

DEmonstravimus superius ex convocatione Parlamenti, ex convocandi modo, ex iis personis quæ evocantur quibus eæ dignitates à rege conferuntur, cum earum gratia ingressum habeant ad Comitia, regem esse supra Parlamentum, quia ejus indicendi potestas penes illum sit, non autem in potestate ipsius Conventus ut regem ad se evocent. Quis vero nescit eum cui jubendi jus est, majorem esse illis qui jussa accipere & facere tenentur? In his quippe subjectio, in illo imperium per hoc denotatur. Nunc ex rebus ipsis propter quas ea Comitia indici solent, & rerum fini quæ in iis tractantur & statuuntur, proclive est ostendere

penes quos ſumma autoritas reſideat. Vtrum ſit in convocante an in convocatis, cum tamen vel ex ſola horum verborum differentia rei utriuſque natura ſatis ſit perſpicua, quæ non minus eſt manifeſta quam inter jubentem & juſſa capeſſentem, inter vocantem & vocatum, inter imperantem & imperio parentem. Primum ſciri debet, non eſſe ordinarium conventum eum de quo hic agimus, quod *Parlamentum* vocatur, nec perpetuum. Ex quo & illud neceſſario conſequi neceſſe eſt, non ad omnia quibus adminiſtratio regni conſtat, ſolere congregari, ſed ad majoris tantum momenti negotia, cum illa nimirum incidunt, in quibus regni ſalus & populi verſatur. Vt cum cavendum eſt, ne quid detrimenti Reſpublica capiat: cum leges aliquæ novæ condendæ ſunt aut veteres abrogandæ: cum res ad religionem pertinentes procurandæ: cum pecunia ad exercitus conſcribendos imperanda eſt: cum alia ejus generis quæ ad ſummam rem pertinent, tum regis jus ac munus eſt conventum ex tribus Regni ordinibus ad ea diſcutienda convocare. Si quid præterea ſit in quo populus de communibus ſuis privilegiis queratur & ea reſtitui ſibi petat, rex ejus poſtulatis annuens & ſatisfacere cupiens, Senatum hunc ex Epiſcopali ordine, Optimatum & populari, jubet convenire ut res examinentur & componantur ex deſiderio populi, ſi ratione niti videatur. In tribus præcipuè capitibus ſua privilegia conſiſtere populus hujus Inſulæ contendit, ne vectigalia ſibi imponantur nova niſi decreto ipſius Senatus, ne leges novæ niſi in illo conventu ſanciantur, & ne aliter abrogentur quam conſenſu ejuſdem Senatus. In iis tamen omnibus conſultandis quæ in Senatu proponuntur, atque in aliis quibuſcun-

cunque quorum gratia hic cœtus congregatur, nihil fit nisi Rex assensum suum præbeat, quem exprimere his verbis solet imperiosis, *Rex ita vult.* Si rejiciat proposita, nec quicquam ex his concludi velit, non planè & absolute negat sibi placere ea de quibus deliberatur, sed molliore responso, ea differre & eludere suevit per hæc verba, *Rex videbit.* Potest & statim cœtum dissolvi jubere, si ita ei visum fuerit. Ad summam in omnibus quæ ibi consultantur aut decernuntur, nihil ratum aut validum esse potest, nisi à rege confirmetur. Nec sanè mirum, cum neque ea Comitia coire fas sit, nisi regis mandato. Quippe cum & quos velit ad illa admittendi aut inde abjiciendi jus habeat, & plebeji ordinis homines, si eos evocet ut sint Pares superioris domus, eo ipso Baronum titulo & dignitate insigniantur, ut jam supra diximus, eamque posteris suis transmittant. Nunquam etiam controversi juris fuit in illo regno, quin Rex habuerit plenam liberamque potestatem augendi numerum utriusque Domus, aut etiam minuendi. Præterea si lex aliqua adprobantibus & consentientibus omnibus ordinibus in eo Senatu sancita fuisset ut executioni mandaretur ad solam potestatem Regis pertinebat, qui & legis gratiam poterat facere, & legi contravenientibus vel indignationis suæ metum denuntiare, vel veniam commissi dare, eaque omnia diplomate, *Litteræ patentes* vulgo vocantur, expedire, citra consensum ordinum ex quibus Senatus componitur. Leges à Senatu ad hunc modum latæ, ab ipso Rege censebantur rogatæ, quia domus utraque caruit potestate condendæ ullius legis nisi regis accedente assensu, nec ulla definitio ab ipsis prolata vim & vigorem legis habuit,

antequam ratam Rex esse voluisset. Fatendum interim est neque regem posse in Senatu novas leges statuere aut veteres abolere, nisi consentiente utraque domo. Sed in eo regis potestas superior & plenior apparet, quod in rejiciendis de lege nova sancienda utriusque domus postulatis potest libere pronuntiare, vocemque in his, ut vulgo loquuntur, absolutè negativam habet. Quod enim ajunt regiæ autoritatis hostes & tyrannidis popularis patroni, Regem per vim compelli posse ad perferendas leges sibi in Senatu ab Ordinibus propositas, id non magis justum ac verum est, quam Regem citari ab ipso Senatu posse, & ad causam capitis dicendam cogi. Sine Rex quidem cum amplissima illa & summa sua potestate, jure potest utramque domum adigere ad legem approbandam, quam ipse latam vellet, an rationis est ut qui Senatus princeps est & caput, à cæteris ejus membris potius cogatur, quam ut membra à capite? Nisi quis dixerit subditos non subjici debere regi, sed regem subditis, qui pro rege exinde subjectus evadat. Rectè itaque Nobiles superioris domus qui à rege facti sunt Duces, Comites, Barones, regem à quo sunt creati & cui suas dignitates debent, in verba sua dare jusjurandum subigent, tuti ipsi à tali per regem patienda necessitate. Ita minor potestas majorem compellet ad faciendum quod volet, non major minorem. Quod contra jus gentium & legem naturæ esse nemo non dixerit. Iudæorum reges plenum habuisse & absolutum jus potestatis ne ipsi quidem perduellium patroni negant. Atqui vel teste Iosepho nihil illis licuit quod alicujus esset momenti agere δίχα γερουσιαζῶν γνώμης, nisi de Synedrii magni sententia. Imperatoribus Romanis, quamvis ea potestate in imperio regendo uteren-

uterentur, quam omnes norunt, non potuere tamen Senatores condemnare aut morte multare sine Senatus consensu & autoritate. Senatusconsulta ipsa vim semper legis habuere, quamvis facta non essent ad relationem principis, & Senatus ejus vocatu non coactus esset. Ius feciſſe Senatusconsulta etiam libera stante Republica Pomponius scriptum reliquit in Tractatu de jure. Alii auctores id disertè negarunt. Vtut sit, certè mirandum est, hoc jus ferendarum legum quod Senatus Romanus vix habuit florente Republica id sub ipsis Imperatoribus planè habuisse, eorum nempe facilitate & indulgentia. Nam cum populus dominabatur, quod Senatus justissset & constituisset pro lege non habebatur, nisi à populo probatum foret. Rogatione ad populum facta tum demum quod Senatus decreverat, vim legis accipiebat. At sub Imperatoribus Senatusconsulta pro legibus valuere, idque jus postea Senatui ademit Leo Philosophus. Regnum Galliæ non esse optimate statu temperatum, sed mere regia dominatione gubernari palam est, Edicta tamen Regis tamdiu censentur irrita & invalida, donec à summis tribunalibus regni, quæ & ipsa vocantur *Parlamenta*, recepta fuerint & adprobata. Eorum etiam scita, quæ vocantur *Arresta*, legum instar valent. Sed hanc ipsam potestatem legum faciendarum & sine provocatione judicandi à Regibus adepti sunt. Comitia quoque generalia ex tribus regni ordinibus congregata, clero, nobilitate & plebe plurimum olim potuerunt ad res quæ summam rem Status spectabant decidendas & constituendas. Nunc nulla convocantur. Ipsa quinetiam imperia Orientis olim, quæ δεσποτικὴ fuisse tradit Aristoteles, & Senatum habuere, ad quem de magnis rebus re-

referebant, quemque adeo consulebant in negotiis difficilibus & dubiis dignisque vindice. Certis etiam legibus obligabantur, quæ tanquam regni leges censebantur. Iosephus de rege Artaxere in Historia Vastæ; Ἀγλαγῆναι τῇ Οὐάστῃ διὰ τὸν νόμον οὐκ ἠδυνάτο. *Reconciliari Vastæ, quia lex obstabat, non poterat.* Cambyses quamvis regum impotentissimus & τυραννικώτατος, tamen cum vellet sororem germanam in uxorem ducere, consuluit regios judices, id est Senatum regni, an ulla lex esset quæ id permitteret. Nolebat nimirum quicquam feciſse contra leges videri, & cupiebat esse legem aliquam qua tueri factum posset, id quod facere destinabat. Nemo certe fuit Rex, nec in Oriente olim ubi maxime autocratorica potestate pollentes potentesque erant, nec in Europa nunc est, qui in Senatu & conventu generali ex omnibus Ordinibus regni coacto, plus solidæ & mere veréque regalis autoritatis habuerit habeatve quam Rex Angliæ. Id eludere, vel elidere potius, omnibus modis conantur, qui de rebellione artem facere contendunt. Nihil intentatum reliquerunt quo illam omnibus suis numeris perfectam reddant, adeo ut regem nolint esse regem, sed aliquam potestatem imaginariam & prioribus sæculis inauditam, nostro incognitam, quæ nomen habeat sine re, à populi nutu suspensam, quæque regi potius quam regere debeat. In quo imperitiam sæpe summam cum pari improbitate conjunctam produnt. Nam quæ destruere volunt, adstruunt, & plus regi largiuntur quam ipse sibi possit sumere. Dum omnia argumenta conquirunt quibus regi autoritatem quam in Senatu à se convocato de jure habet adimant, suo semetipsos telo confodiunt, quo jugulari putant causæ regiæ defenso-

res.

res. Ajunt Senatum Anglicanum ſupremum eſſe regni tribunal. Regem ubicunque corpore ſit, quamlibet à Senatu illo abſentem, in eo tamen cenſeri præſentem vi poteſtatis. Quod *virtualiter* dicunt tam lingua quam mente barbari homines. Ergo quodcunque in illo Ordinum conventu per abſentiam regis agitur, geritur, decernitur à rege ipſo actum, geſtum, decretumque intelligi. Accipimus quod dant. Non poteſt id eſſe quod volunt, niſi concedatur ſupremam eſſe regis in illa prima regni Curia poteſtatem, ſed ipſam non alia potiri, quam vicaria & delegata à Rege. Sic in aliis Curiis in quibus jus nomine regis redditur, rex quamvis abſens, ſemper præſens habetur, ſed virtute ejus poteſtatis, qua ſemel à rege accepta, in juſtitia nomine ejus adminiſtranda utuntur, ita ut non opus ſit in ſingulis cauſarum judiciis ad regis autoritatem recurrere, & ejus aſſenſum requirere. Ad eundem plane modum qui duces exercitus à Rege vel Imperatore deligebantur belli gerendi gratia, quamvis eo à quo miſſi fuerant abſente, auſpiciis tamen ejus ductuque copias contrahere, in hoſtem ducere, pugnare, vincere cenſebantur. Nec minus togata militia quam ſagata auſpiciis principis exercetur, qui duces & judices inſtituit ſuos ad utramque adminiſtrandam. Hinc & in ſummis Galliæ tribunalibus, cum rex non adeſt, regis tamen nomine quaſi præſentis, omnia Senatuſconſulta concipiuntur, quia adeſſe ſemper exiſtimatur, non corpore ſed nomine, non re ſed poteſtate. Si idem eſt in generalibus AngliæComitiis & ſuprema regni Curia, ut præſentia regis non corporalis ſed *poteſtativa*, ut loquuntur, tantum videatur neceſſaria, ex eo concludetur, non niſi delegatam poteſtatem & fiduciariam

in

in illo conventu hærere. Nec potest aliter statui. Cæterum quocunque modo præsentia regis in illis Comitiis ad confirmationem Actorum videbitur requirenda, sive *virtualis*, ut barbare cum barbaris loquar, sive *realis*, sine rege non posse Senatum illum quicquam agere aut statuere quod firmum ratumque sit, plane inde colligi necesse est. Nam si Rex non sit, neutra sua præsentia potest assensum præbere iis quæ in Senatu acta fuerint aut constituta. Sed quia assensus regis, ut firma habeantur quæ gesta sunt, necessario requiritur, hoc argumentum est non sufficere præsentiam qualis intelligitur in illis Curiis & Tribunalibus quæ justitiam administrant regis vice & nomine. Nam ubi semel ad actus omnes justitiæ celebrandos, aut ad militiæ armatæ functiones perficiendas, Rex alicui vicem suam ac potestatem commisit, tum ad singula actionum momenta non postulatur ejus assensio, ut rata sint quæ fiunt. Vbi verò potestas alicujus corporis vel ordinis quasi pari passu cum regia ambulat, sed cum hac restrictione ut nihil statuere queat quod legis vim habeat rege dissentiente, quia majus illius est imperium, tunc consensio ejus vel præsentis exigitur, vel si absens sit, rescripto sub magno sigillo dari debet, quæ æquè valet ac si constituendo & firmando decreto adesset. Adeò vero præsentia regis in Parlamento, primis saltem diebus & ultimis, necessaria semper fuit visa, ut si causa aliqua sontica adesse impediretur, deberet tres ex numero procerum nominare, qui suam vicem parlamento interessent, quibus hanc provinciam mandabat rescripto, magno Angliæ sigillo firmato. Ita Elisabethæ regni anno XXXI. cum per morbum adesse non posset, tribus mandavit qui pro se adessent, Archiepiscopo Cantuarien-

rienſi, magno Angliæ Theſaurario & Comiti Darbienſi. Ad præbendum etiam aſſenſum iis, quæ Parlamentum ſtatuiſſet, præſentia ejus utique neceſſario requirebatur, vel ſaltem reſcriptum. Ergo quicquid in Parlamento decretum fuerit præter Regis voluntatem & aſſenſum, nullius erat autoritatis. Sic ex his ità poſitis conſtat, ſi Rex non ſit, non eſſe Parlamentum, quandoquidem ſine Rege nullus eſt Parlamenti conventus, ut ſine capite corpus eſt truncus, non corpus. At perduelles Rege ſublato & Parlamenti præcipua & principali parte dempta, quod inde reliquum manet, pari jure Parlamentum nunc vocant, ac ſi ſerpenti capite ablato cum majore corporis parte, ſerpentem eſſe vellent quæ cauda eſſet tantum, aut ſi hominem appellarent truncum hominis, qui ſolis cruribus ac pedibus reliquis, nec caput, nec etiam corpus alvo tenus, haberet. Qui mutarunt faciem Reipublicæ hac etiam parte debuerunt totam innovare, ut Parlamenti amplius nullam facerent mentionem, cujus forma non poteſt conſtare in minimo ſui membro, quod caudam vel pedes liceat Parlamenti nuncupare. Quas igitur leges nunc poteſt ſancire, quod jus facere, in quo nec præſulum ordo comparet, nec optimatum, nec Rex etiam præeſt, qui anima fuit Comitiorum, qui vim legibus eorum dabat, qui trium regni ordinum caput habebatur, ex quibus illa Comitia componuntur, Eccleſiaſtici, Optimatis & Popularis? Deſiſtant igitur nominare Parlamentum, quod militare eſt conſilium, vel plebeculæ imperitæ, ſtolidæ, ſeditioſæ & rebellis conciliabulum. Ad Acta Parlamenti redeamus. Iure & more quo ſemper uſa eſt Anglia perpetuo recepta fuit differentia inter Actum, ut vocant, Parlamenti & Ordi-

Ordinationem. Actum dicitur quo novæ leges ſanciuntur, aut veteres confirmantur vel explicantur, aut nonnullæ earum abrogantur, quas uſus & experientia parum commodas eſſe monſtraverit, & quæ in deſuetudinem ſponte abierint. Quod Acta attinet, nullum eorum vim legis poteſt obtinere, ita ut obliget vitam aut fortunas ſubditorum, niſi Rege, Eccleſiaſtico ordine, nobilibus & plebejis conjunctim & unanimi conſenſu ſubſcribentibus. *Ordinationes* quæ dicuntur, privatim ſpectant directionem utriuſque domus peculiarem in his quæ ambarum conſenſu ad nonnulla ordinanda ſtatuuntur, eaque pertinentia ad ipſarum ſtatum. Ad hæc Regis conſenſus & approbatio non deſideratur. Sed in his quæ publicum bonum concernunt, & legum ſanctiones quibus omnes ſubditi tenentur, non poteſt quicquam à Parlamento conſtitui niſi rege adprobante & conſentiente. Trium generum illa ſunt quibus tanquam firmamentis & fundamentis ſtat regni Anglicani Monarchia: Acta Parlamenti, leges regni, & jus municipale. Hoc ultimum conſiſtit in conſuetudinibus locorum. Leges Regni veteres, conſuetudines ſunt ipſius Status antiquitati æquales, in quibus tota regiminis regii ratio fundatur. Vnde & *Lex Fundamentalis* & *Lex Terræ* nuncupatur. Acta Parlamenti quæ eſſent jam diximus. Acta vel ſtatuta non ſunt nec dicuntur quibus rex non adfuerit ac præfuerit. Primis diebus adeſſe tenetur vel ipſe, vel ſi id fieri non poteſt, tribus ex procerum numero vices ſuas committit, & ultimis, aliis non item. Is ergo ultimo conſeſſus die purpureo paludamento amictus & ſtipatus ſpiſſa Procerum corona, intra cancellos ſuperioris domus, editiore ſuggeſtu, in throno reſidens,

fidens, ſub aureo cœlo, Communes accerſi jubet, quibus ingreſſis, Acta confirmanda, à Clerico coronæ ſingulatim proferuntur, & Rege annuente clarè pronuntiat, *Rex id vult*. Quibus peractis, & interdum brevi aliqua oratione à Rege habita, Orator cum univerſi populi multitudine ad ſepta ſtans, gratias ei agit ſenatus populique nomine, quod eam boni publici rationem habere voluerit, ut eos ad ardua regni negotia ſtabilienda & reformanda convocare, & ſtatuta ſuper his communi Senatus populique conſenſu facta aſſenſu ſuo comprobare dignatus ſit. Quæ clare oſtendunt eandem in his fuiſſe poteſtatem regis Angliæ ſupra populum & Senatum quæ olim fuit populi Romani cum imperium habebat. Nam conſules in legibus ferendis orabant populum in concione, ut vellet & juberet legem illam adprobare quæ rogabatur, *Velitis, jubeatis, Quirites*. Advocatus infamis parricidarum cum non poſſet negare effatum abnutivum, *vocem negativam* vulgus appellat, regem habere in Parlamento, affirmavit locum ei tantum eſſe in negotiis parvi momenti, interim rem ſe aliter habere ubi ſalus populi periclitatur. Strenuè ſunt impudentes in mentiendo iſti perfidi perditique Sicarii. Cocus ille reſpondeat, ſi tantillum pudoris reſtat in ore ejus ferreo & animo cruento, an ea quæ in Parlamento tractabantur, & propter quæ à rege convocabatur exigui eſſent momenti? Hoc refutatur ipſis ſollemnibus verbis Codicillorum, ſive Brevium regiorum, quibus tam populus quam optimates ad Parlamentum evocari ſolebant. His enim expreſſe declaratur, Regem ibi tractaturum eſſe de quibuſdam arduis & urgentibus negotiis ad ſtatum & defenſionem Reipublicæ & Eccleſiæ Anglicæ pertinentibus.

Ad

Ad has ergo ipſas res tanti ponderis conſultandas & decidendas per litteras Regis vocabantur, & in repudiandis aut comprobandis quæ decreta forent, Rex aſſentiendi aut diſſentiendi poteſtatem habuit. Hoc Coqui mendacium alio etiam longe majoris & confidentioris improbitatis ſuperatur, quo novæ Reipublicæ Fanatici fundatores primum verſum Declarationis ſuæ concipere voluerunt in hæc verba; Parlamentum Anglicanum electum eſſe à populo quem refert, & ab ipſo autoritatem ſuam & poteſtatem omnem accepiſſe. Quid de cæteris quæ ea Declaratione continentur ſperare veri poſſis, cum prima ſcripti nefandi periodus tam deteſtandam & horribilem impoſturam præ ſe ferat? Vnde oſtendent Parlamentum à populo eſſe electum? Cur igitur populus ad ejus conventum non eos accerſit qui tenentur adeſſe? Cur non citantur nomine populi, ſed Regis? Quis ille populus eſt de quo intelligunt? An domus *Communium* ut appellant? Ergo ea ſemper poteſtatem habuerit Regis ipſius convocandi ad Senatum, ut præcipuum ſuum miniſtrum: deinde poſt eum reliquos Proceres qui ſuperiorem domum, quæ & *Dominorum* dicitur, componunt? Ergo populi eſt creare nobiles quibus ea domus conſtat, Duces, Comites, Vicecomites & Barones? Contrarium ſupra demonſtratum eſt, omnes eos nimirum à Rege ipſo creari & ſuas illi dignitates ferre acceptas, quarum beneficio jus in illo conſeſſu ſedendi & ſuffragii ferendi adipiſcuntur. Parium omnium, ut vocantur, honor ac decus, regii eſt beneficii & muneris, qui domum *Dominorum* dictam conſtituunt. Nemo eorum à cæteris duobus Parlamenti corporibus creari poteſt. A ſolo rege creantur. Ipſi præſules, qui in ea domo conſidendi quoque

quoque jus accepere, non aliunde illud habuere quam à Rege. Eant nunc novi & veridici ſancti, & dicant Parlamentum à populo electum eſſe, & ab eo omnem quam habet poteſtatem nactum eſſe, cum certo certius conſtet ex his quæ diximus, Parlamenti convocationem, continuationem, diſſolutionem, numerum & qualitates convocandorum, loci & temporis definitionem ad quem & quo coire vocati debeant, à Regis arbitrio pendere? Sed cum horum regni Comitiorum, congregandorum aut dimittendorum, ubi aut quando aut quoties placeret, Rex poteſtatem habuerit, extraordinarius ſanè hic confeſſus fuit, & non omnis temporis. Quid ergo interim Rex fecerit, quomodo Rempublicam rexerit cum Parlamentum non erat, an alia tunc poteſtas ad regnum adminiſtrandum cognita fuerit, videndum. Si nullam aliam poſſunt dicere eo tempore fuiſſe, quid de rege ſunt dicturi? An, ut populus Parlamentum ex Fanaticorum ſententia eligit, ita & regem regno regendo præficit, cum Parlamentum dimiſit? Qui regem nihil tale meritum potuerunt infami capitis ſupplicio addicere, poterunt tanto facilius de jure ejus & poteſtate falſâ omnia confingere & comminiſci, quem arceſſitis & alienis pluribus criminibus eum nefarie obruerunt. Melius igitur ſacrilegos iſtos non audire, ſed quod omnes audiant aut legant, ex veracium Angliæ monumentorum fide, rerumque ipſarum & autorum certis teſtimoniis quæ nemo refutare poſſit, depromere. Ceſſante itaque à ſeſſione Parlamento, ſi Rex fuit, atque ita verè dictus eſt, quem pro rege non habuerunt, qui capite damnatum obtruncandum carnifici dederunt, regio more ac jure debuit imperare, atque omnia cum ſumma poteſtate adminiſtrare.

niſtrare. An ita regnaverit, quærendum, & an à ſuis prædeceſſoribus regibus talem regendi morem acceperit. Ariſtoteles lib. III. de Repub. cap. XIV. in regnis Græciæ antiquæ, quæ hæreditaria fuere, & πάτρια vocat, tres partes facit regiæ poteſtatis in quibus adminiſtratio imperii verſabatur, belli ducatum, ſacrorum curam, & juriſdictionem. Tradit enim priſcos illos Græcorum reges fuiſſe, Κύριος τῆς τε ἐπὶ πόλεμον ἡγεμονίας, καὶ τῶν θυσιῶν ὅσαι μὴ ἱερατικαί, καὶ πρὸς τέτταρας τὰς δίκας ἔκρινον. *Erat penes eos belli gerendi & exercitus ducendi poteſtas, item ſacrificiorum cura quæ ad ſacerdotale munus non attinebant, & præterea jus reddebant & judicia exercebant.* Eaſdem prorſum habet & totidem ſtatuit regalis officii ſive adminiſtrationis partes Diotogenes Pythagoricus in libro de Regno: Ἔργά τε βασίλεως, inquit, πέρα, τό τε στρατηγεῖν, καὶ δικαιοκρινεῖν, καὶ θεραπεύειν θεούς. *Tria ſunt opera regis, exercitus ducere, jus reddere, & Deos colere.* Vnde & in ſequentibus concludit, perfectum regem debere eſſe bonum belli ducem, judicem & ſacerdotem. Imperandi autem artem in bello non poſſe tenere, niſi bellum gerere ritè ſciat. Neque judicandi ſcientiam habere qua ſubditorum cauſas audiat & diſceptet, qui non didicerit juris & legum ſanctiones. Neque pie & ſancte Deos colere, niſi qui naturam & virtutem Deorum noverit. Dionyſius quoque Halicarnaſſeus ad munia quæ in rege ait deſiderari, adjungit etiam curationem ſacrorum lib. II. Eam ad ſe revocavit Romulus, cum & cæteras Reipublicæ partes ornaret & ordinaret. Omnes antiqui Reges in omnibus his ferme gentibus idem feciſſe conſtat. Rationem addit Diotogenes, cur præ cæteris cultus divini procuratio ex regiæ ſit dignitatis officio. Quia nempe decet opti-

optimum quod sit ab optimo coli, & summum à summo. In terris autem neminem supra reges esse, qui solo Deo minores sunt. Inde est quod apud plerasque gentes iidem reges & sacerdotes fuere. Virgilius: *Rex idem Anius Phœbique sacerdos.* Ægyptiorum antiquissimi reges, sacerdotes etiam erant. Scribit Herodotus trecentos & amplius colossos ligneos sibi in Iovis cella apud Memphim monstratos qui pro totidem regum eorundemque sacerdotum simulacris positi erant. Iudæorum post migrationem è Babylone maximi Pontifices, etiam regali potestate imperarunt. Primus inter eos Aristobulus etiam diadema sumpsit, & pro rege se gessit tam re quam nomine & habitu. Ante captivitatem omnes qui regnarunt tam Israëlis quam Iudæ reges in ipsos etiam pontifices supremam habuere potestatem, & eos deponere sacerdotium, aliquando & vitam, coëgerunt. Primus Salomon Abjatharum pontificem abire pontificatu adegit, & parum abfuit quin etiam occideret, in locum ejus subrogato Sadoco. Hoc jure alii reges post captivitatem etiam aliquoties usi sunt. Moses ipse cum civilis esset Magistratus, Aaronem consecravit ut summus esset pontifex. Hoc facto ostendit synagogam esse in republica, non rempublicam in synagoga. Idem dicendum, immo & dictum est, de Ecclesia Christianorum. Cum Aaron peccasset aureum vitulum fabricando, & nequitiæ populi morigerando, graviter à Mose hoc nomine increpitus ac reprehensus fuit. Moses autem regis officium semper fecit. Vnde & rex etiam, ut supra ostendimus, in sacra Scriptura vocatur, idemque jus successoribus suis, populi judicibus, & regibus porro qui judicibus succedere, transmisit. Non solum autem primi Romanorum reges

hanc curam ad se pertinere voluerunt, sed etiam posteriores Imperatores propter hanc rationem se Pontifices dici Maximos affectarunt. Servius ad illum poëtæ locum; *Sane majorum hæc erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos vel pontifex. Vnde hodieque Imperatores dicimus Pontifices.* Hoc jus transiit ad Christianos ipsos. Hinc & Constantinus se Episcopum esse extra Ecclesiam intendebat, ut est apud Eusebium. Hoc est κύριον εἶναι τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱεραπικαί. *Arbitrium habere sacrificiorum quæ non sunt sacerdotalis muneris.* Episcopus in religione Christiana, idem est qui Pontifex in pagana. Vnde & leges quæ Ecclesiæ bonum & sacra spectabant, Christiani Imperatores omnes à Constantino, & deinceps usque ad Iustinianum & sequentes, sancire jure suo consueverant. Qui successerunt Imperii Romani partibus in Occidente idem sibi sumpserunt, ut Carolus Magnus & Ludovicus Pius, sicut testantur Capitula quæ leges tam Ecclesiasticas quam civiles continebant ab illis Regibus promulgatas. Idem jus usurparunt eorum successores usque ad infima pænè secula. Concilia convocabant. Episcopis denuntiabant, ut ad Synodos venirent, inter eos lites obortas dijudicabant, Ecclesiarum & Monasteriorum curam gerebant, omnia Ecclesiastica munia administrabant ὅσα μὴ ἱεραπικὰ, hoc est quæ ad internum conscientiæ forum minime pertinere videbantur. Episcopos coërcebant delinquentes, & ab officio removebant, eos qui digni viderentur Ecclesiis dabant, aut electos confirmabant, non legitime ordinatos abjiciebant. Iuxta hanc ergo consuetudinem & jus tam gentilium quam Christianorum veterum principum, Reges Angliæ hanc quoque partem regii regiminis sibi semper vindicarunt, non solum Guilielmo

mo Normanno anteriores, ab eo tempore ex quo insula illa Christi fidem profiteri cœpit, sed etiam omnes Guilielmi successores. Alvredus Anglorum rex Dunewolphum litteris excultum Vintonienſi præposuit Ecclesiæ. Idem, ut Historici docent, neminem illiteratum ad quamcunque dignitatem Ecclesiasticam promoveri permisit. Idem plures leges de Ecclesia & rebus personisque Ecclesiasticas tulit, ut & ejus antecessores ac successores. Stephanus Angliæ rex anno cIↃ c xxxvi. Investituram prælatorum sibi reservavit, Matthæo Parisienſi teste. Quod etiam jus sequentes Angliæ reges habuere, ut ex monumentis Anglicis constat. Ita post & ante Reformationem religionis, jurisdictionem Ecclesiasticam semper obtinuere. Quinimmo & *Defensores fidei* se appellarunt, postquam Reformata in eo regno fuit Ecclesia. Eduardus Coke plura refert exempla jurisdictionis Ecclesiasticæ quam Reges Angliæ exercuerunt, à Guilielmo cognomento Conquæstore usque ad Elizabethæ regnum, sub quo vixit & scripsit. Ea regnante nemo in Anglia dubitavit subditorum ejus fidelium, quin omnis jurisdictio tam Ecclesiastica quam civilis autoritate & auspiciis regis exerceretur. Idque etiam Parlamenti sanctione confirmatum tunc fuit, quod omnis jurisdictio spiritalis & Ecclesiastica per quaslibet de Clero personas exercenda, vel re ipsa exercita ad jus regium pertineret, ita ut diplomate suo sub magno sigillo Angliæ potestatem habuerit designandi, nominandi & autoritate muniendi quos vellet quando & quoties, & quandiu sibi visum esset & hæredibus suis regnique successoribus, qui de causis omnibus Ecclesiasticis cognoscere possent, & executioni mandare quæ super his

decreviſſent. Quamvis autem procedendi & agendi formulæ ac modi in Curiis Eccleſiaſticis & de rebus ad Eccleſiæ jura pertinentibus ſub Epiſcoporum nominibus fierent, nihilominus illæ ipſæ Curiæ regis eſſe dicebantur, & leges quibus agebant in quamlibet perſonam Eccleſiaſticam & judicabant, Leges regis erant. Hoc multis probat Eduardus Cokius in quinta parte Relationum ſub Elizabethæ nomine. Nec ſecus res habuit ſub regibus qui Reformationem præceſſere quam qui poſt Reformatam Eccleſiam regnarunt. Anno XXXIII. Eduardi III. ſancitum fuit, *Reges ſacro oleo unctos eſſe juriſdictionis ſpiritalis capaces.* Eodem regnante ſæpius ſtatutum eſſe idem Cokius obſervat, omnes Epiſcopatos Angliæ per Regis prædeceſſores conſtitutos fuiſſe. Ideo advocationes eorum omnium ad Regem ſpectare. Ex lege quippe communi & generali regni Angliæ deſcendere, ſi Metropolitanus officium ſuum non faceret de novo Epiſcopo intra ſex menſium ſpatium in locum demortui conſtituendo, tum Regi licere paſtorem Eccleſiæ illi providere & nominare, tanquam ſupremo ordinariorum regni ſui, nec eam poteſtatem concedi Pontifici Romano. Per ſtatutum etiam factum anno XVII. ejuſdem Eduardi III. Rex perſonam quamcunque Eccleſiaſticam ab ordinarii juriſdictione poteſt eximere, atque etiam juriſdictionem Epiſcopalem ipſi mandare. Multa exempla ibi profert, ſupremæ regis juriſdictionis in Eccleſiam & perſonas Eccleſiaſticas in libro de jure Regis Eccleſiaſtico. Secundum eam poteſtatem ſpiritalem quæ Regibus Angliæ ſemper fuit legitima, Rex ſuo diplomate de canonicis ſæcularibus regulares facere potuit, & ſæpe fecit, quod nullo jure potuiſſet, niſi juriſdictionem

nem habuisset Ecclesiasticam. Statuto quod anno IX. R. Henrici VI. factum est, Rex solus, non alius, poterat licentiam dare in Angliæ regno, fundandi collegii vel corporis alicujus Ecclesiastici. Sub Henrico VII. definitum est statuto Parlamenti, Regem esse personam mixtam, quia tam Ecclesiasticam, quam sæcularem jurisdictionem habeat. Legibus Ecclesiasticis in Anglia cautum erat eidem sacerdoti duo beneficia habere non licere, nec eum qui ex legitimis nuptiis natus non esset, sacris initiari posse. Vtriusque legis gratiam facere in potestate Regis fuit. Si ab Episcopo cum collegarum assensu lata esset sententia de causa aliqua vel persona Ecclesiastica, non erat rata priusquam legis communis judices, id est regii, eam comprobassent. Et hanc esse receptam opinionem in omnibus libris Constitutionum regiarum idem Cokius tradit, nec minus usitatam fuisse in Ecclesiasticis Episcoporum Curiis sententiarum formam. Atque ita suo tempore observatum ait sub regno Elisabethæ. Et hæc Regina potestatem habuit exercuitque, vi prædicti statuti, delegandi judices ad causas Ecclesiasticas. Notatque ibidem statutum quod erat factum anno primo ejusdem Elisabethæ, de jurisdictione antiqua coronæ restituenda, super Statum Ecclesiasticum & Spiritalem, nihil novi juris regibus attribuisse, sed quod ante habuerant iisdem reddidisse. Causas recenset eo loco omnes Ecclesiasticas, de quibus decernendi, aut ad quas determinandas judices dandi potestatem penes Reges fuisse ostendit. Eas non opus est hic reponi, quæ apud Cokium videri possunt, in quinta parte Relationum de jure Regis Ecclesiastico. Sufficit dicere omnes qui ante Guilielmum Normannum reges & post

eum ad hæc usque tempora in Anglia fuere, à primis Christianæ fidei quam Britanni receperunt, incunabulis, hoc jure in Ecclesiasticis non minus quam in sæcularibus negotiis summo potitos fuisse. In legibus sancti & boni Eduardi qui Confessor dictus est, diserte habetur cap. de Regis officio & jure Coronæ regni Britanniæ: *Regem qui vicarius summi regis est ad hoc constitutum esse ut regnum terrenum & populum Domini, & super omnia sanctam veneretur Ecclesiam, eam regat & ab injuriosis defendat.* Inter ejus leges sunt, *De clericis & possessionibus eorum. De justitia Ecclesiæ. De universis de Ecclesia tenentibus. De reis ad Ecclesiam fugientibus. De fractione pacis Ecclesiæ.* In ea lege sancitur si quis pacem Ecclesiæ violavisset, Episcoporum esse justitiam. Quod si nocens sententiam eorum diffugisset, clamorem de eo deferri ad Regem post quadraginta dies, ut nempe executioni mandaretur, quod Episcopi in ea causa statuissent. Omnes antiqui Reges illius Insulæ qui Christianam fidem receperunt, leges de Ecclesia tulerunt, de personis & rebus Ecclesiasticis. Vt videre est in vetustissimo Codice Legum Saxonicarum ab Ina rege Occiduorum Saxonum; qui anno Christi regnare cœpit DCCXII. Sed Canutus sive Knutus Anglorum, Danorum & Norwagiensium Rex qui in Anglia paulo ante Eduardum confessorem regnavit, longe plures ad Ecclesiam pertinentes leges tulit, quæ habentur in eo Legum Saxonicarum Codice. Cum igitur suprema in Ecclesiam jurisdictio ab omni ævo Regibus Angliæ competierit, quid nunc fiet de religione & de Ecclesia eo statu rerum qui hodie obtinet sub tyrannide sectariorum militari, Rege amoto cujus auctoritate Episcopi Ecclesiasticam

cam & ſpiritalem juſtitiam exercebant? Epiſcopis etiam de medio ſublatis qui ſub Rege, & ex ejus arbitrio de cauſis eccleſiæ cognoſcebant, ad quos redibit ea cognitio, cum nec miniſtris Reformatis quidquam juris ad eas res relictum ſit? An militum erit omnis ſuper Eccleſiam, reſque ad eam pertinentes juriſdictio? Dabiturne potius plebi ſicariorum & ſectariorum? Nulli hodie præter eos in Anglia regnant. Cum religio hæc unica eorum ſit, plures habere, & omnes tolerare, & in Eccleſia nullum ſuperiorem agnoſcere; dijudicandum hominibus ſanæ mentis relinquo, an qui ita ſunt animati, inconſutilem Chriſti tunicam ſartam tectam recte conſervaturi ſint. Antea Reges ſoliti erant negotium dare Epiſcopis, iiſque injungere, aut quibus vellent aliis perſonis Eccleſiaſticis curam committere, de Apoſtaſiis, Hæreſibus, Schiſmatibus tollendis; Hodie vero quis ipſos cuſtodes cuſtodiet & coërcebit, cum illi qui imperium tenent Apoſtatæ ſint, Hæretici, Schiſmatici, aut Ἀποστατῶν, Hæreſeon & Schiſmatum fautores ac patroni unici & protectores? Sequitur altera pars muneris & officii regalis, quæ juris reddendi poteſtatem ſpectat. Hæc ita regum propria eſt, ut reges non eſſe videantur qui non habent juriſdictionem. Poteſtas quippe minor regali etiam eam habuit, ut judices Hebræorum, & duces in exercitu. Nam omnis juriſdictio à regibus, ſicut à fonte derivatur & manat. Eam ipſi mandant quibus volunt, judices dant, judicare jubent. Quæ omnia faciunt, tanquam qui jure ſuo juriſdictionem habeant, non alieno beneficio, ut hi qui delegati ſunt ad judicandum à Principe. Regis etiam eſt jus gladii concedere, & nominare qui ſua vice judicent ſine provo-

catione. Cum Israëlitæ regem à Deo petierunt, ad hoc eum sibi constitui velle dixere, ut judicaret, per se nimirum vel per eos quibus justitiæ exercendæ partes suo nomine concrederet. Judices quoque quos ante habuerant, ab hoc ipso juris dicendi munere dicti sunt, cum tamen & duces essent, atque ita etiam appellarentur, ab exercitibus ducendis & bello gerendo. Hos etiam Reges scriptura nominat, ut & ipsum Mosen cui succederet. In hac ipsa parte Reges Angliæ plenam summamque potestatem habuisse constat, judiciorum nempe exercendorum, tam in civilibus quam criminalibus causis. Et cum in Ecclesiasticis habuerint supremam jurisdictionem, ut supra monstravimus, tanto magis & in sæcularibus hoc jus illis competisse dicendum. Statutis plerisque Parlamentariis sub diversis regibus promulgatis hoc ostenditur. Sub Eduardo IV. sanctio facta est, Regem *posse erigere tribunal communium placitorum, in quacunque parte regni ipsi visum fuerit, per diplomata sua, Litteræ Patentes vocantur.* Ea sunt in quibus lites & negotia privatorum disceptari solent. Sub Henrico VII. sancitum est, *Regem habere plenam potestatem in omnibus causis justitiam administrandi quibuslibet.* Anno primo Eduardi VI. factum est statutum, quo declaratur; *Omnem autoritatem & jurisdictionem spiritalem & temporalem derivari à Rege.* Omnes Curiæ justitiæ quæ in regno sunt, potestatem judicandi habent à Rege, & nomine ejus jus reddunt, ideo & præsens in his semper esse existimatur. Præterea regem dare judices & commissiones, ut vocant, ad judicandum, per diplomata sua nemo inficias ire potest, & officia judicaturæ quibus velit conferre. Quod adeo verum est, ut inter crimina Regi

ob-

objecta à perduellibus, hoc etiam fuerit, mutasse illum formam Codicillorum quibus judices creare consueverat. Nam cum antea ejusmodi potestatem iis Reges se dare dicerent quoad viverent & quandiu se in officio recte gessissent; Carolus in diplomatis quibus dignitatem eam judicibus conferebat adponere solitus est, tandiu munus judicandi obituros esse, quandiu libitum ipsi esset. Quod cum gravatim tulisset Senatus, & Regem de eo admonuisset, ille pristinam formam revocavit. Et tamen, si res rectè æstimetur, judicibus ipsis Rex eo pacto consultum ibat, quos sine ignominia sic poterat dimittere, cum diceret sibi non placere ut diutius eo munere fungerentur. Antiqua autem illa formula dandorum à Rege judicum quæ obtinuerat, semper Rex poterat iis imputare quod male se gessissent, si quos in eo munere diutius nollet retinere. Cum cæteræ omnes Curiæ regni & tribunalia à regis summa jurisdictione penderent, fuit & proprius regis ad judicandum consessus qui ex eo *Bancus regius*, hoc est subsellium regis, dicebatur. In eo disceptabantur causæ publicæ ad jus regni & coronæ pertinentes, aut quas Rex ipse ibi vellet dijudicare. Atque hæc sunt quæ regum Angliæ in jure dicundo & justitia administranda summam & vere regiam potestatem testantur. Nunc restat tertia pars quæ circa militiam versatur. Regum omnium in aliis gentibus semper ea sic propria fuit, ut qui in cæteris duabus prioribus summum imperium non haberent, in hac tamen plenissima cum auctoritate & libertate imperarent. Stante Romana Republica quandiu penes populum fuit imperium, ipsi tamen proconsules qui provincias regebant, & bellum gerebant Reipublicæ nomine, summo jure exercitibus præerant, ac vitæ &

necis potestatem habebant. Apud Lacedæmonios cum reges eorum, nomine potius id essent quod dicebantur quam re ipsa, ad bellum tamen gerendum neminem superiorem agnoscebant, & summo cum imperio exercitus in hostem ducebant, & rem militarem administrabant. Iudices quoque Hebræorum cum in cæteris Synedrio subessent, in his quæ ad munera belli spectabant & ducatum copiarum militarium, nemini erant obnoxii. Multo magis qui reges fuere ejusmodi, quales αὐτοκράτορας Græci nuncupabant, & παμβασιλεῖς, cum nulla in re superiorem ullum aut parem haberent in militari exercitio & summa belli gerendi, sui juris omnimodo fuerunt, & potestatem habuerunt à nemine dependentem. Tales cum fuisse Angliæ reges ostenderimus, nec minus hanc quoque partem sine pari & æmulo tractarunt. Et omnino vel testimonio judicioque eorum ipsorum qui regi vellent omnia adempta jura regalia, ita esse oportet. Nam si, ut asserunt, rex protectionem debet subditis, ut subditi regi subjectionem, quomodo eos protegere poterit & defendere ab intestinis bellis & externis hostibus, nisi arma virosque habeat in sua potestate; adhoc ut delectus possit indicere, & exercitus comparare, tam ad hostilem vim propulsandam, quam ad internas civium seditiones coërcendas. Quo colore igitur, nisi sibi ipsi contradicere velint, perduelles fanatici negare possunt, militiam regni ad regem pertinere? Eodem jure hoc negaverint quo Angliæ regnum hæreditarium esse inficias eunt, & tam Senatum quam regem ipsum à populo eligi contendunt, illum ut boni publici procurationem gerat, hunc ut populi protectionem curæ habeat. Sed minimum est vitiorum quibus scatent, impudentia

in

in infitiando quod veritatis est non dubiæ. Hic primus gradus eorum, quibus ad summum scelus evaserunt. Cujus ergo erunt, arces, præsidia, castella, armamentaria, portus, naves & alia sine quibus munera militiæ non possunt exerceri, si militia regni ad regem non pertinet? Sane si hac parte deficiatur regiæ administrationis potestas, non solum manca erit, sed etiam nulla. Pacis & bellorum gubernatio non ab ipso dispensabitur, quia pax fit post bellum, & bellum fit pacis obtinendæ gratia. Si belli gerendi potestatem rex non habebit, ne quidem pacis faciendæ jus cum hoste habiturus est. Ejusdem quippe est hominis utrumque curare. At si militia & armorum jus ab alterius arbitrio pendebit, is bella pacemque geret, non rex. Si regi denegant rebelles jus armorum movendorum, cuinam illud dabunt? An Senatui? Ita sane oportet. Ergo subditi, non rex, plenum ad bellum indicendum, incipiendum, gerendum, finiendum jus obtinebunt. Ita subditi, reges sui regis, ac domini erunt, & rex subditus subjectorum & servus. Regni quippe potentia præcipuè in armis & militibus consistit. Certè Senatus ille vel Parlamentum totum ex subditis Regis constat. Superior enim domus Episcopos habet quos rex facit, Comites & Barones per regem fiunt, qui illius beneficio jus considendi in eo conventu accipiunt. Rex tam nobiles quam plebejos ad conventum illum regni vocat, nec convenire in unum possunt absque permissu regis. An ergo æquum videtur ut rex eos in concilium evocet qui sibi sint imperaturi, qui tanquam ducem mercenarium ad bellum ire jubeant, expeditionem in hostes sumere, arma cum volent deponere & pacem facere, præcipuè cum possit eos non vocare? Miram certè ac

novam Regis iconem nobis exhibent perduelles iſti, qui picturam tantum ejus inanem ſine re ac corpore eum volunt habere, & ſibi poteſtatem ſolis regis regendi reſervare. Iuſtinianus in principio Inſtitutorum præſcribit; *Imperatoriam, ſive regiam Majeſtatem, armis decoratam & legibus armatam eſſe oportere, ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè poſſit gubernare.* Permutavit utriuſque operis elogia, qui alterum alteri mutuas operas confert. Nam pacis æquæ ſine armis ratio iniri non poteſt, & bellum ſine legibus & jure injuſtum eſt. Ita legibus armata debet eſſe regis majeſtas, & armis decorata. Alterum ſine altero ſubſiſtere non poteſt, neque regia poteſtas ſine utroque conſiſtere. Non audent Perduelles apertè abjudicare militiæ ſummum imperium regi ſuo, ſed oblique illud detrahunt dicendo militiam non ſtare ſine pecunia, pro nervis belli eam eſſe, ſine qua non poſſit procedere. Pecuniæ autem ad bellum faciendum copiam Regi non ſuppetere niſi ex Parlamento. Inutilem proinde ei eſſe militiam, qui illam per ſe & ex ſe non poſſit inſtructam habere rebus neceſſariis, quique ad illa obtinenda quæ opus ſunt bello adminiſtrando, alterius opem implorare cogatur. Ponamus ita eſſe. Hæc ipſa cauſa ne Parlamento hoc jus tribuatur, prorſus efficere poteſt. Nam nec Parlamentum ſine rege, aut rege nolente, quicquam poteſt. Non pecuniam imperare, non tributa aut vectigalia populo imponere. Quid ergo proderit Senatoribus militiæ magiſterium habere, cum ne teruncium quidem ad eam ſuſtinendam queant de populo cogere? Cum nec ipſi in unum cogi poſſint niſi Regis mandato? Cæteris ergo paribus Regi potius adjudicanda quam Senatui, qui & Senatus convocandi jus habet, & regni neceſſi-

ceſſitates in eo proponendi, & pecuniam jure ſuo ab eo exigendi ad res & negotia id requirentia. Præterea reditus regni qui in regis ſunt poteſtate, alendis exercitibus magis idonei videntur; quam privatæ facultates eorum qui Parlamenti conventum componunt. Si ſinguli conſiderentur, regias opes ad hoc non habent, ut ſumptus ſuppeditare poſſint exercitibus ſuſtentandis. Si univerſi ſpectentur, prout in corpus conjuncti congregantur, nullum jus habent pecuniæ conficiendæ ex tributorum, portoriorum & vectigalium rationibus. Portoria ipſa ad Regem pertinent, atque inter ordinarios regni reditus computantur. Ex his collegiſſe dicitur Rex Iacobus initio regni trecenties ſexagies millenas libras. Patrimonium præterea regum Angliæ ampliſſimum fuit. *Domanium* vulgo vocant, & ſæpe ex eo ſolo maximas largitiones facere ſoliti ſunt, ſi qui inter illius Inſulæ Reges liberalitatis laudibus emicuerunt. Prædicare ſolebat Rex Iacobus nullum in Europa principem exiſtere qui tot & tanta latifundia coronæ ſuæ annexa poſſideret. Status ex eo reditus annuus fuit quingenties quadragies millenarum librarum cum ſexcentis ſexaginta. His accedebat ex Abbatiis & aliis domibus ſacris è quibus Rex Henricus monachos & moniales ejecerat, earumque proventus patrimonio regio adjunxerat, in millies quingenties millenis ſeptingentis quinquaginta libris duabus. Poſtremo legibus Angliæ Rex pupillorum tutelam, quam *cuſtodiam nobilem* appellant, ſuſcipit, & uſque eo ſervat donec vigeſimum primum ætatis annum attigerint, atque interim donec tutelæ ſuæ facti ſint, omnes eorum reditus percipit, certa tantum parte, quanta videtur neceſſaria, eorum alimentis deſtinata. Magna inde vis nummorum ad fiſcum

regis redit. Nec minima est quam ex recognitione feudorum recipit, quorum tantus est numerus, ut equestrium sexaginta circiter millia in censum referri velint qui de rebus Anglicanis scripsere. Nunc quæro, cum hæc ita sint, utrum Rex an Senatus majores de suo sumptus ad exercitus cogendos & alendos facere possit, cum præter hos ordinarios reditus etiam extraordinariorum subsidiorum facultas regi pateat, qua Senatus caret. Nam si quando bellum externum ingruat, aut alia quæcunque major vis aut necessitas, tum Rex Parlamentum indicit, ut ejus autoritate possit à subditis suis impetrare pecuniarium auxilium. Numquam id Senatus recusavit. Et duplici quidem genere hujusmodi subsidium regi concedebatur, vel æstimatis singulorum bonis, certa inde pensitatione regi solvenda tam ab indigenis quam advenis, vel impositione facta singulis civitatibus, oppidis, pagis. Et civitates quidem decimam taxationis bonorum, quæ generatim fiebat non viritim, pendebant, pagi autem decimam quintam. Fuere & aliæ multæ rationes quibus fiscus regis augebatur, qua ordinariæ qua extraordinariæ. Ex quibus omnibus constat ad militiam tuendam longe majores opes regi præsto fuisse quam Senatui, cum hic nullas habuerit nisi de arca singulorum depromi vellet jubere, aut de publico ærario sumi, cujus tangendi nullum jus illi fuit, ut nec quicquam oneris eo nomine populo imponendi. Erectio regii vexilli, *Standardum* appellant, quod specimen est exercitus imperati, ad alium etiam non pertinet, nisi ad eum qui summum imperium in militia obtinet. Atque ita semper etiam apud veteres Latinos in usu ac more fuit, ut nemo præter regem vexillum in belli signum ad

exer-

exercitum cogendum, & undequaque evocandos milites elevare posset. Virgilius:

Et belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit. ——

Vbi reddunt rationem veteres interpretes cur Turnus hoc officium tunc arripuerit, quod regi Latino debebatur, utpote qui summum belli & pacis haberet imperium. Quoniam Latinus rerum habenas reliquerat, & se domi abdiderat, Turnus ejus vicem quia summæ belli præerat, vexilli erectionem usurpavit. Negent ergo si possunt perduelles, vexilli ad bellum erigendi potestatem alteri in Anglia competisse quam Regi. Certe nec negare possunt, omnia mandata & imperia quæ dari solent delectus habendi gratia à Rege solo fuisse data. Omnes Equites ratione feudalis patrimonii quod possidebant, tenebantur arma sumere, & ad bellum exire quando Regi placitum erat, qui quidem libras viginti annuas ex agris perciperent, ut est in Statuto anni septimi Eduardi I. Idque sub omnibus deinceps regibus semper servatum, donec Carolus quem perduelles mactarunt, hujus obsequii gratiam illis fecit. Ratio porro ipsa prorsus evincit, regem non esse nec videri, nisi qui arma & militiam in potestate sua habeat. Non enim tutari auctoritatem suam sine armis potest. Inde satellites & corporis custodes armati semper regibus attributi sunt, tam tyrannis quam legitimis, cum hac differentia, quod tyranni ad corporis custodiam milite mercenario uterentur, legitimi reges è suorum civium & subditorum numero. Ipsi quinetiam antiqui populi Græciæ, qui Æsymnetas suos eligebant cum potestate plane tyrannica & infinita, satellites eis & stipatores armatos dabant. Nam, ut recte scripsit summus Philoso-

pho-

phorum, etiamsi talis princeps detur qui nihil ex proprio arbitrio faciat præter legem, ei tamen ex armis præsidium adsistere necesse est, quo leges tueri & executioni mandare possit. Εἰ γὰρ χρὴ νόμον εἶη κύριον μηδὲν πράττων χρὴ πλὴν ἀπὸ βάλλοντα φυλάξαι τὸν νόμον, ἀναγκαῖον ὑπάρχειν αὐτῷ τε πλώμενον ἢ φυλάξῃ τὸν νόμον. Omnino ergo oportet regem plus armis posse quam populum universum. Nisi hoc sit, regetur non reget. Rex erit sine auctoritate & potestate, quam vindicare læsam non poterit. Tunc omnia pessum abibunt, si arbitrio populi permittantur, qui leges non solet curare, si se iis superiorem esse videat. Militia itaque regis est, aut rex nullus est. Quid plura? Consuetudo constans regni & perpetuus omnium usus temporum, regumque Angliæ jus minimè controversum, militiam illis plena & summa semper potestate, asseruit, idque confirmatum pluribus Parlamentorum statutis & præcipuè statuto anni septimi Eduardi primi. Cum igitur in his tribus quæ maximè regiæ & absolutæ gubernationis officium constituunt, nempe in religione, justitia & militia, reges Angliæ omnes summo semper cum jure & imperio versati sint, non est quæstionis ambiguæ quo titulo majestatis suæ & dignitatis regiæ munus impleverint. Concedemus porro hanc vim majestatis parem quoque in Parlamento fuisse, si potestatem habuit in religionem, si jurisdictionem suo jure exercuit, si belli suscipiendi & vexilli militaris ad hoc erigendi licentiam sibi unquam sine regis jussu aut assensu arrogavit. Præter has tres partes, quas Aristoteles cum Pythagoricis, præcipuas & principales esse regalis imperii statuit, aliæ quædam nonnullis autoribus memorantur, eodem pertinentes, ut jus magistratuum creandorum, legum condendarum

tri-

tributorum imponendorum, monetæ cudendæ, & aliarum ejusmodi, quæ nonnisi ab eo fieri possunt qui supremam habet regendi potestatem. Sed bene calculum ponenti & rem ipsam ex veritatis merito æstimanti, omnia hęc apparebunt tanquam appendices & laciniæ trium quæ supra proposuimus capitum. Immo nullum horum est quod non revocari possit ad alterum genus ex duobus quæ ultimo loco explicavimus. Nempe ad justitiam sive juris dicendi summam autoritatem, & ad militiæ tractandæ supremum imperium. Primum, qui jurisdictionem suo jure habent, non alieno, nisi legum etiam ferendarum & abrogandarum potestatem simul habeant, haud rectè poterunt jura reddere, & judicia exercere plene ac libere, ut convenit illis, qui non fiduciaria nec delegata ad judicandum opera utuntur. Sæpe multæ causæ incidunt de quibus lex non est, aut si quæ est, interpretatione indiget, aut etiam incommoda videtur. Mutandæ aut novandæ legis arbitrium penes illum esse non potest qui secundum leges judicare cogitur, utpote qui judex ab illo datus est qui merum habet imperium & jurisdictionem suo jure obtinet. Qui legis gratiam facere potest, is etiam novam potest facere. Hoc vero proprium summæ potestatis & Regiæ vel Imperatoriæ. Αὐτοδίκας Græci vocant & αὐτογνώμονας, sui juris quasi dicas, & suæ sententiæ. Id est, qui sententiam ferre possunt quam velint, nec legibus obnoxii sunt, ne illis quidem quas ipsi sanxerunt. Vnde & contra leges non posse facere intelliguntur, quia sunt supra leges. Non injuriam etiam facere existimantur, quia jus est quodcunque decreverint. Inde Græci, ut exprimant civitatis liberæ summam & nulli obnoxiam potestatem, τὸ αὐτόστικον & αὐτόνομον conjunctim ei tribuunt, id est,

est, ut sit legum suarum & sui juris. Quia hæc invicem cohærent jus dicere, & leges secundum quas jus reddatur facere. Præcipue in eo, qui, ut diximus, jurisdictionem habet αὐτόδικον & αὐτόνομον, id est, sui juris, non alieni. Eas qui fert, etiam potest eisdem derogare, obrogare, & penitus easdem quoque abrogare. Hoc etiam habent Angliæ reges, leges condunt, conditas executioni mandant; contra leges etiam judicare possunt, dum legum pœnam nocentibus remittunt. Nec est quod quis hic objiciat, non posse eum leges ferre nisi in Parlamento, & sine utriusque Domus assensu. Id etiam in aliis omnibus regibus qui olim dominati sunt cum summo imperio, semper fuit, & in his qui nunc dominantur, videre est. Vt enim belli dux non fert leges militares in prætorio suo solus, sed tribunos militum & primos centuriones in consilium vocatos adhibet, ut cum his decernat, ita nemo unquam rex repertus est qui solus in cubiculo suo edicta formaret, rescripta faceret, legesque sanciret, resque ad publicum bonum pertinentes tractaret, sed semper hæc omnia ex consilio suorum Senatorum & Procerum facere soliti sunt. Quis Romulo βασιλεύτερον, *regalior*, ut ita dicam, fuit? Non ille à populo rex factus est, sed populum sibi fecit. Non rex à Senatu renunciatus est, sed ipse Senatum de senioribus populi quem asylo constituto adgregaverat, constituit. Cum tamen de legibus ferendis & majoribus regni negotiis expediendis quæstio esset, Curiatis Comitiis, de his agebat cum populo. Sic enim scribit Pomponius de Origine juris Romani, *Romulum populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit, propterea quod tunc Reipublicæ curam per sententiam partium earum expediebat. Et ita leges quasdam &*

ipse

ipſe Curiatas ad populum tulit, tulerunt & ſequentes Reges. Sed quid opus veteres memorias ad id excutere & exoleta exempla arceſſere, cum in promptu ſint & ad rem ipſam facta de qua agimus? Ipſe Guilielmus cognomine Conquæſtor, & ſummus generis auctor dominantium hodie Angliæ regum, non aliter poſt redactum armis in ſuam poteſtatem Britanniæ regnum, leges priſtinas emendavit & novas conſtituit, quam participato cum proceribus conſilio, & ſententia eorum exquiſita. Sic enim in legum principio, quæ nomine ejus editæ ſunt, habetur. *Hic intimatur, quid Guilielmus Rex Anglorum cum principibus ſuis conſtituit poſt conquiſitionem Angliæ.* Superiores omnes reges, Dani, Angli, Saxones idem omnino obſervarunt quod iſte Normannus, cum leges tulerunt, ut ex illarum procœmio conſtat, in quibus hoc perpetuo legas, *Conſulta ſanciviſſe ex Optimatum, & Senatorum & Sapientium conſilio. Aldermannos & Graphiones* appellant, ut ſupra notavimus, id eſt provinciarum præſides, & civitatum præfectos, & alios optimates qui poſtea ſub Normannis Comites, Vice-comites, & Barones fuere. Ita in Canuti legibus ſcriptum eſt: Sic *Rex Ethelredus concilium promovendæ pacis cauſa habuiſſe dicitur Vodſtoci Merciæ.* Sic Rex Edgarus, leges *frequenti Senatu ad Dei gloriam, regiæ majeſtatis ornamentum ac Reipublicæ utilitatem ſancivit.* Rex Edmundus, *ipſo ſolemni Paſchatis feſto frequentem Londini, tam Eccleſiaſticorum, quam laicorum cœtum celebravit.* Rex Æthelſtanus, ex prudenti Vlfhelmæ Archiepiſcopi, aliorumque Epiſcoporum ſuorum conſilio, ſe leges ſanxiſſe teſtatur. In legibus Alvredi in præfatione hæc habentur: *Atque in iſtis diſcernendis, ego Alvredus*

Oc-

Occidentalium Saxonum Rex, prudentissimorum è nostris consilio usus sum atque iis omnibus placuit edici, &c. Inas Rex Occidentalium Saxonum, qui anno Christi DCC. cœpit regnare, *Suasu & instituto, Cenredi patris sui, Heddæ & Erkenwvaldi Episcoporum suorum, omnium Senatorum suorum, & natu majorum sapientum populi sui se illa decreta sanxisse testatur.* Reges Normannidæ qui succesſere Guilielmo orbita ivere præcedentium regum, atque Episcopos aliosque præsules cum optimatibus regni semper convocarunt & consuluerunt, si quando de rebus majoris momenti & status salutem spectantibus aliquid statuere in animo haberent. Qui conventus cum antea nullo certo loco, tempore, numero convocandorum, solerent haberi & quandocunque regi placuisset, postea ex regum ipsorum bono placito in Parlamenti formam & nomen ut nunc sunt, & vocantur, concessere. Leges in his latæ, quamvis validæ & ratæ non haberentur nisi consensus utriusque Senatorum ordinis accederet, nihilominus *leges regis* dicebantur. Quia, ut Academia Oxonienſis nuper scripto publico affirmavit, *Consessus duorum ordinum alter ambove, jus non habent nec autoritatem statuendi, jubendi, transigendi sine rege, sed cum eo tantum super arduis regni negotiis colloquium habendi, tractandi & consilium impendendi. Vnde etiam,* inquiunt *factum existimamus ut in supplicationibus, admonitionibus & declarationibus suis aliisque publicis scriptis Magnum Regis Consilium se passim appellare soliti sunt.* Et sane, ut jam supra docuimus, reges omnes Angliæ, tam Saxones, quam Dani, quamque isti ultimi Normanni, *Senatum suum, Senatores suos, Episcopos suos, Concilium suum, Parlamentum suum, Curiam suam,* ut & *Populum suum* vocare

care in rescriptis suis & statutis etiam Parlamentariis consueverant; ut significarent æque sibi subjectos esse Senatores istos, & Episcopos, & utriusque Domus Parlamenti membra, quam de populo quemlibet. Ad convocationem Comitiorum quod attinet, cum eam Dionysius Halicarnasseus regii propriam muneris faciat, dependet etiam ab eo jure & imperio, quod rex habet in judiciis exercendis & in legibus faciendis summum. Cum enim leges non dictet, nisi communicata cum populi sui primoribus sententia, merito jus quoque eorum convocandorum ad comitia retinet, in quibus de rebus summis regni cum his deliberare, eosque consulere possit. Hinc videmus penes omnes reges Angliæ & omni tempore arbitrium fuisse convocandorum comitiorum. Magistratuum porro etiam creandorum potestas cum eadem potestate conjuncta est, quæ jus dicit & leges statuit. Cum enim Rex justitiam per se non possit omnibus administrare, necessario debet homines in certis regni locis constituere qui vice sua justitiam exerceant, & jus populo reddant: Inde sunt sub principibus hodiernis, Curiæ judiciales, summa Tribunalia quæ *Parlamenta* vocantur, in quibus jus redditur sine provocatione, Rectores provinciarum, consilia Status & aliæ jurisdictiones. Olim sub Romanis Imperatoribus, Præfecti Prætorio, Præfecti Vrbis, Præsides Provinciarum, Legati Cæsaris, & alii Magistratus, quos Imperator constituere & creare solitus erat, quibusque jurisdictionem mandabat suam. Nam ut populus Romanus in libera Republica magistratus omnes ad jus reddendum creavit, ita postea Imperatores, postquam ad eos translatum est Imperium. Sed & Reges antea idem fecerant. Re-

stat

ſtat de vectigalibus. Hæc quoque curationis ſunt regalis, ſed militiæ quadantenus adjuncta ſunt. Fruſtra quippe de militibus conſcribendis & educendis ad bellum ratio ineatur, niſi ſit unde victus & veſtitus & arma iis ſubminiſtrari queant. Vectigalia ad hoc & tributa populis imponi oportet, quæ nec gravatim ferre debet, quandoquidem ad ejus tuitionem militia pertinet. Vectigalia omnium rerum quæ importantur & exportantur, regibus etiam Angliæ debentur, quibus tam merces peregrinæ & exoticæ quam domeſticæ continentur. Cum Rex vellet imponere tributum, quod *Shipmoney* Angli vocitant, id eſt tributum in claſſem, ναυϊκὸν τέλος, conſuluit legum peritos regni ſui, num liceret hoc ſibi facere abſque Parlamenti autoritate? licere illi reſponderunt. Et ſanè nullus umquam rex fuit, cui non neceſſitate aliqua urgente fas fuerit tributa & vectigalia populo indicere, ad ſolemnia regni onera ſuſtinenda. Quæ ſive propria autoritate faciat, ſive convocato Senatu ut aſſenſum præbeat, poteſtatem ſemper eandem reſpiciunt, quam Græcorum nonnulli αὐτοτέλειαν appellant, & cum αὐτοδίκῳ & αὐτονόμῳ jungunt. Nam τέλος tributum eſt, vel vectigal. De bello & pace deliberandi jus, militiæ poteſtati adnexum eſt. Nam cujus eſt bellum indicere, ejuſdem quoque eſt paci leges dicere. Item fœdera ſancire cum externis populis & regibus, eaque diſſolvere. Qua in re etiam Reges Angliæ tam amplam habuere poteſtatem, ut ſi populus Britanniæ ictum fœdus cum Principe extero vellet rumpere, rege ſolo renuente, id ratum tamen maneret, ſicut pluribus Statutis confirmatum eſt. In his ergo tribus rebus principalibus quæ religionis & Eccleſiaſticæ juriſdictionis curam ſpectant, quæ juſtitiæ civilis adminiſ-

miniſtrationem, quæ belli paciſque gubernationem, cum Rex Angliæ nihil non poſſit, ex eo ſumma ejus & αὐτοκεφαλοκία, atque independens, ita dixerim, poteſtas arguitur. Quia autem ad hæc tria capita omnes aliæ partes regalis officii revocari poſſunt, ſingillatim eas expendere non eſt neceſſe, cum jam pleraque attigerim, & reliqua alii, qui pro regis cauſa ſcripſere, abunde exequuti ſint. Si quis teſtimonia inſuper autorum Anglicorum requirat, paucis, ſed idoneis, confirmare poſſumus, ſtatum regni Angliæ plane monarchicum fuiſſe & mere regalem, nec ulla mixtura alterius regiminis temperatum. Bractonus qui ante quadringentos annos vixit, temporibus Henrici III, in hæc verba de Angliæ Monarchia ſcripſit lib. IV. cap. XXIV. Sect. I. *Rex habet juriſdictionem ſuper omnes qui in regno ſuo ſunt. Ea quæ ſunt juriſdictionis & pacis, ad nullum pertinent niſi ad regiam dignitatem. Habet etiam coërcitionem ut delinquentes puniat & coërceat.* Idem lib. I. cap. VIII. Sect. V. *Et omnis quidem ſub Rege, & ipſe ſub nullo, ſed tantum ſub Deo.* Et ibidem paulo poſt: *Ipſe autem Rex non debet eſſe ſub homine, ſed ſub Deo.* Idem initio lib. II. de Rege: *Potentia vero omnibus ſibi ſubjectis debet præcellere; Parem habere non debet in regno, nec multo fortius ſuperiorem.* Item paulo infra: *Exercere rex debet poteſtatem juris ſicut Dei vicarius in terra & miniſter, quia ea poteſtas ſolius Dei Eſt.* In Statuto XVII. Richardi II. cap. V. declaratur: *Quod Corona Angliæ libera fuit omni tempore, & quod non habeat terrenam ſubjectionem, ſed immediate ſubdita ſit Deo in omnibus rebus quæ concernunt regalitatem ejaſdem Coronæ, & nulli alteri.* Acto Parlamenti XXIV. Henrici VIII. manifeſtè ſcriptum habetur; *Regnum Angliæ eſſe imperium & ita ab Orbe fuiſſe ac-*

acceptum. Per aliud Actum Parlamenti XXIV. Henrici ejusdem, Senatores Regem compellantes his verbis loquuntur; *Quod hoc tuæ gratiæ regnum, nullum superiorem sub Deo, sed solum tuam gratiam agnoscat. Fuit & est liberum à subjectione quarumcunque legum humanarum, solummodo earum quæ fuere factæ & ordinatæ intra hoc regnum ob felicitatem ejus aut aliarum quæ per tolerantiam tuæ gratiæ & tuorum Progenitorum populus hujus regni sumpserunt.* Statuto 1. Elisabethæ cap. 1. Corona regni Angliæ dicitur esse *Imperialis corona.* Clarius hoc etiam expressum est Acto Parlamenti, quod primo anno Iacobi celebratum est, cui titulus inscribitur; *Lætissima & justissima recognitio immediatè legitimæ & indubitatæ successionis & juris coronæ.* Ipsius Acti verba quia nimis prolixa sunt, parcam adscribere. Sed in eo agnoscit & declarat Parlamentum: *Vnionem magnam & illustrem factam esse duorum potentissimorum, illustrissimorum & antiquissimorum regnorum Angliæ & Scotiæ sub una imperiali corona in persona regia Iacobi.* Sed verba quæ clausulam faciunt illius Acti sine piaculo præterire non possumus, neque vero debemus, quæ sic habent ut regem alloquuntur. *Atque illi submittimus humillime & fidelissimè nosmet ipsos hæredes & posteros in perpetuum, usque ad extremam guttam sanguinis nostri exhaustam, & obsecramus tuam Majestatem hoc accipere ut primos fructus in hac summa Curia tui Parlamenti, nostri obsequii & fidei erga Majestatem tuam & regalem tuam progeniem & posteritatem in æternum. Quod si Majestati tuæ placuerit, in argumentum gratiosæ tuæ acceptationis, Majestatis tuæ regalis assensu condecorare, sine quo neque plenum neque perfectum esse potest, neque perseverare ad posteritatem secundum humile nostrum desiderium,*

rium, quasi monumentum principalis & teneri tui affectus erga nos, addituri id sumus reliquis tuis indicibilibus & inæstimabilibus beneficiis. Aliam, ut ex hac oratione apparet, linguam & aliam mentem habebant tunc temporis Parlamenta quam nunc habent, non majore, quod mirum, temporis intervallo, quam quod patuit inter Patrem & Filium. Parlamentum illud patrem Iacobum pro rege suo agnovit cum veneratione eique humiliter se submisit; istud filium Carolum pro sicario, latrone & proditore, securi per carnificem publice feriendum condemnavit. Parlamentum illud non solum patri, sed ejus natis & posteris in æternum fidem & obsequium se esse præstiturum promisit: istud non solum filium illius patris vita & regno privavit, sed etiam totam ejus posteritatem jure successionis exclusit. Saltem ex illius Parlamenti verbis luce meridiana clarius est, regem non subditum esse Parlamento, sed Parlamentum regi. Non enim ibi Rex Parlamento se submittit, sed contra. Non rex in eo acto se profitetur obsequentem & fidelem subjectum esse Parlamenti, sed è contrario Parlamenti illius Senatores, tam Ecclesiastici quam sæculares, unanimi consensu dicunt, *humillimo modo se obsecrare excellentissimam ejus Majestatem ut ad instar memorialis ad posteritatem omnem, inter recorda summæ ejus Curiæ Parlamenti, in perpetuum permanendi, suæ fidelitatis, obedientiæ & cordialis humilisque affectus, publicari & declarari possit in illa suprema Curia Parlamenti & ejusdem autoritate in Acta referri.* Vbi etiam notandum est, dixisse illos, *Summæ tuæ Curiæ Parlamenti.* Quod etiam ferè in omnibus aliis statutis & Actis Parlamentariis, quæ sub prioribus regibus facta sunt, observare est; Vnde igitur tanta tam brevi tempore

mutatio? An Rex Iacobus hæredem populum suæ potestatis fecit, sola regis appellatione filio relicta? Non enim jam quæstio est scilicet an Parlamentum sit supra regem, sed non amplius dubitatur quin populus, id est minuta plebes cerdonum & opificum, sit superior tam ipso rege quam Parlamento. Hæc non ipsius Parlamenti dictata sunt, sed sceleratorum Triumvirorum Soceri Generique, & ab his dependentis tertii, militum ducis summi. Hi quam olim Rex habuit in Parlamentum suum autoritatem, nunc rege sublato soli possident. Hi sunt qui negant regnum Angliæ hæreditarium esse. Nec ergo transmittent ipsi ad posteros suos eam quam usurparunt tyrannidem. Hi sunt qui populo summam potestatem tribuunt. Ergo populus ad eos quoque injusta possessione regni deturbandos sua potestate utetur. Hi sunt qui dicunt tam regem quam Parlamentum à populo eligi. Quis ergo eos elegit? Non sanè populus, non Parlamentum, sed ipsimet se vi & armis, oppressa populi ac Parlamenti libertate, in regis sede constituerunt. Malè partum cito etiam dilabetur. Sed interim omnia quæ supra produximus argumenta & testimonia prorsus evincunt, reges Angliæ, reges esse per inhærens jus genituræ, per naturam, per Dei legem, & per terræ legem. Meritoque omnes tam Saxonici Danicique, quam Normannici generis reges, se Dei beneficio & gratia reges esse in Actis & Edictis proscripserunt, non populi. Eo jure Monarchico non solum usi sunt qui à Guilielmo descenderunt, ut ex Actis & Statutis Parlamentorum diversorum supra probavimus, sed omnes Guilielmo anteriores, ut constat ex legibus Sancti Eduardi cap. XVII. Anno Christi cIↃ L. Vbi loquens de regibus qui ante Guiliel-

lielmum Conquæstorem regnarunt, ait, *Regem quia vicarius summi regis est, ad hoc constitutum esse ut regnum terrenum & populum Dei sanctamque ejus Ecclesiam regat.* In re quæ tot regum successione, qui eadem potestate & eodem jure imperarunt, comprobata est, tot & tantis testimoniis autorum Angliæ & Actorum Parlamenti confirmata, non necessaria conquirere argumenta stulti laboris esset, nisi negotium nobis esset cum Fanaticis hominibus & sceleratis, qui parricidale facinus haud alia ratione defendere possunt, quam negando regem esse regem, atque affirmando regium jus esse officium fideicommissarium & fiduciarium. Certè æquè sana mente inficiari possunt solem in cœlo lucere quem omnes vident, ut pernegant regnum Angliæ esse hæreditarium, & pertendunt electione & suffragiis dari solitum, quod aliquot supra mille annos sæculis nemo nescit à patribus in natos perpetua succedendi serie fuisse devolutum, & cum familias dominantes aliquoties mutaverit, semper tamen fixum & immotum jus hoc successionis in regnantibus durasse. Huic tamen falso fundamento de regno per electionem deferri in Anglia consueto, falsam etiam doctrinam novamque superstruxerunt, tradentes *Protectionem* ex parte regis, & *Subjectionem* ex parte subditorum invicem sibi respondere, & proinde ubi rex protectionem subditis non præstat, nec subditos subjectionem debere regi. Quod in regnis suffragio deferendis & vitæ ejus cui deferuntur æqualibus fortassean locum habeat, non in his quæ alia via acquiruntur, & quæ ad eumdem modum quo quæsita sunt, jure ipso transeunt ad posteros, & in hæreditate ejus manent qui primus ea adeptus est. Præterea non semper in rege culpa

hæret ne officium protectionis populo exhibeat. Sæpius ipſe populus in cauſa eſt; dum autoritatem imminuit regis ſui, dum poteſtatem ejus, quantum in ſe eſt, abrogat male parendo, obſequium denegando, rebellando, aut rebellioni principum ſuffragando. Pereunte quippe obſequio ex parte ſubditorum, intercidere autoritatem ex parte regis neceſſe eſt. Ea autoritate vel diminuta vel planè deperdita non poteſt rex protectionem quam debet præſtare, quæ verſatur præcipue in malorum coërcitione & bonorum defenſione. Ne hoſtem quidem externum poteſt repellere & bella inteſtina prohibere, ſi autoritas ejus in artum redigatur. Profecto ut malus ſit rex, non raro malitia & improbitas ſubditorum facit. Sæpenumero nimia principis indulgentia contumaces eos reddit. Ita cum nimis indulgentem nacti ſunt parentem liberi, facilitate ejus abuntur. Atque ubi ille autoritate ſua ſemel excidit, nati in omne nefas ruunt, ex conculcato patris imperio. Quod idem crebro populis certum eſt evenire, cum in bonitatis exceſſu peccantes dominos inciderunt. Ad hoc ipſum, nempe ut in officio contineatur immorigera plebs, arma etiam regi neceſſaria ſunt. Eorum ope pacem & quietem in regno tuetur, improbos coërcet, bonos defendit. Ideo & gladium eum geſtare, Paulus aſſerit. At gladium ſuo Regi eripuerunt qui militiam ei abſtulere, conſcii nempe ſuæ rebellionis eo gladio juſte puniendæ. Gladius, inquit Bractonus lib. I. cap. VIII. Sect. IV. *Significat defenſionem regni & patriæ.* Non malus eſt pater qui caſtigat liberos ſuos, nec malus Rex qui ad caſtigationem malorum ſubditorum gladii jure ſibi à Deo dati utitur. Sed quam-

quamvis male id agat, cum populi qui subjectionem quam debent, non præstant, protectionis in his vicem & quidem optimæ habet coercitio. Hæc enim prohibet populum contumacem, ut oris tenacis equum, in præceps ruere. Insanus interdum filius dementiæ patrem accusat. Et populus interdum non præstitæ protectionis & maletractationis regem suum arcessit, quam ipse provocavit. Testes sint Angli qui reum læsæ majestatis Carolum fecerunt, quod crimen ipsi commisere, quale in regem non cadere certum est. Leges enim omnes humanæ divinæque constanter sanciunt, regem etiam male imperantem, nulla protectionis non impletæ vetante conditione, ferendum esse. Pactio quam fingunt inter regem & subditos intercedere, non minus futilis est. Certe nulla est in imperiis vi armorum partis, qualia sunt hodie ferme omnia. Nihili quoque est, immo ridiculum est argumentum quod afferunt, regna ante reges fuisse, quasi dicas lucem ante solem extitisse. Non enim reges à regnis, sed regna à regibus. Pone populum vagum, dispersum, liberum, in unum coisse ut consultet de rectore habendo. Inter dissidentes sententias, si pluribus unicum habere placuerit, is rex erit, & regius status talis Reipublicæ, regnumque, ditio vel tractus terræ intra quem potestatem exercebit, appellabitur. Si paucos ad gubernandum deligi sederit, is optimatum erit status: si plures qui in commune debeant consulere, popularis habebitur. Ergo reges ante regna, non contra, fuerunt. Vt tandem hoc caput concludam, qui regem in comitiis regni viderunt, solio excelso sedentem, sub aureo & serico cœlo, cum omnibus summæ potestatis insignibus, sce-

ptro, corona, gladio, manu juſtitiæ, ut vocant, miror eos in dubium vocare potuiſſe, utrum penes regem an penes Parlamentum majeſtas ſit. Quod ſi penes Senatum eſſet, Monarchicum Angliæ imperium non foret, quale tamen eſſe inter omnes legum prudentes & autores rerum Anglicarum convenit. Eduardus Cokius quem *oraculum legum* vulgo nuncuparunt, in libro de jure regis Eccleſiaſtico ſic ſcribit: *Iuxta igitur leges hujus regni antiquas, hoc Angliæ regnum abſolutum eſt imperium. Ex uno capite videlicet Rege, & corpore politico compacto & compoſito ex membris diſtinctis plurimis & fere infinitis, nihilominus inter ſe cohærentibus conſiſtens. Quæ omnia lex bifariam in Clericos & Laicos dividit, qui utrique proxime & immediate ſub Deo, ſuo capiti ſubjiciuntur & obſequuntur.* An aliquis eſt qui jam defendere velit aut poſſit, Parlamentum caput eſſe regni, regem ei ſubjici debere tanquam ſuo capiti & obſequi? Hoc præter fanaticos & rebelles nemo dicturus eſt. Bractonus lib. 1. cap. VIII. Sect. IV. ſcribit, *Eſſe & alios potentes ſub rege qui dicuntur Barones, id eſt robur belli.* Hi ſunt Barones qui olim ſoli Parlamentum Angliæ ſummum conſtituebant, & poſtea ſuperiorem Parlamenti Domum. Paulo poſt ibidem ait eſſe & ſub rege milites, & eſſe liberos homines, & omnes ſub eo eſſe ipſum autem ſub nullo. Camdenus ſummus rerum Anglicanarum autor in libro de Britannia ſcribit, *Rempublicam Anglicanam conſtare ex Rege ſive Monarcha, nobilibus, civibus, ingenuis & opificibus.* Deinde ſubjicit, *Rex quem Saxonico verbo majores noſtri* Cyninge, *nos contractius* Kinge *appellamus, ſupremam poteſtatem & merum imperium apud nos habet, nec in imperii clientela eſt, nec inveſtituram ab alio quovis acci-*

aceipit, nec præter Deum ſuperiorem agnoſcit. Qui plura ad hujus quæſtionis definitionem, eorumque quæ diximus probationem requiret, in medio flumine aquam poteſt quærere, & in medio ſolis lumine lucem.

CAPVT X.

HActenus viſum ſatis, ſatiſque dictum eſt, regem fuiſſe, quem Angliæ perduelles, nefario parricidio, infando judicio, inaudito exemplo, indefenſum & inauditum, publico ſupplicio per carnificem ſecuri percuſſerunt. Eam nempe regiam Majeſtatem ſic tractarunt, quam ex legibus divinis & humanis nefas erat ullo dicto vel facto violari. Cujus nomen ſanctum magnumque apud omnes gentes ſemper fuit, vel ab ipſis orbis conditi primordiis. Quam Deus ipſe tam in vetere quam novo Teſtamento à ſe conſtitui & per ſe regnare dixit. Quam per Apoſtolos ſuos honorandam præcepit. Quam primi Chriſtiani veſtigiis magiſtri inſiſtentes, & mandato ejus obſequentes, quamvis tyrannico dominatu religionem, cui ſacramentum dixerant, perſequentem, non ſolum tulerunt, ſed etiam coluerunt. Pro cujus ſalute & diuturno imperio Deum ſolemniter & publice ſemper precati ſunt. Cui denique in ipſo prælii certamine arma, forſitan lateri ſuo hæſura, ferenti hoſtes ipſi armati apud gentiles parcere conſueverant, quia ſcelus eſſe credebant regem vel hoſtili animo manuque infeſta contra ſe pugnantem interficere. Cæſar juvenis adhuc & Quæſtor, quamvis in Republica natus & educatus, cum amitam defunctam laudaret pro roſtris,

ſtris, dixit, *In genere ejus eſſe & ſanctitatem regum qui plurimum inter homines pollent, & ceremoniam Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges.* Huic regum ſanctitati duæ hodie ſanctitates in orbe Chriſtiano infeſtæ maximeque infenſæ reperiuntur. Papalis & Independentalis. Papalis hoc ſaltem iſta melior, quod eos retinet & conſervat quos ſibi addictos eſſe cognoverit. Independentalis, ſine diſcrimine omnes bonos maloſque tollit, & nullos ſuos eſſe vult. Et hæc hodie eſt Anabaptiſtarum opinio, ut ex eorum confeſſione fidei apparet, nullum poſt Chriſtum in terris admitti regem debere præter ipſum & ab ejus adventu ceſſaſſe inter Chriſtianos officium Regale. Eadem fanatica & impia doctrina imbuti Independentes, Regem ſuum ſuſtulere cum totum generis regii extirpatione, qui regnum populo non debebat ſed generi, quem non electio ſolio impoſuerat ſed hæreditas, cui jus ſucceſſionis hoc dederat non ſuffragium Senatus nec judicium exercitus. Qualem illi ſancti Rebelles regem trucidarint, morte ipſe melius declaraviſſet, quam vita videri poſſet ſignificaſſe, niſi & vitæ teſtimonium mors ipſa reddidiſſet. Sic moriens non innocentiam tantum ſuam mundo approbavit, ſed nocentes judices ſuos fecit. Non autem aliter potuit, quamvis nocentiſſimus fuiſſet, niſi pro inſonte perire & iniqui judicii crimen ſuis condemnatoribus impingere, qui nec defenſus nec auditus periit. Carolus ſane qui ita mortuus eſt, non potuit hanc de ſe opinionem relinquere quod male vixerit. Mortem plane egit vitæ reſpondentem. Qui perduellibus ſuis tam facile tam hibenter ignovit, cui homini videri debuit male imperare voluiſſe? Quam ſollicitum

ſe

se esse ostendit de salute ingrati populi ac rebellis, novissimis verbis quæ de infami pegmate pronuntiavit? Si homines illum adeo pie & sancte extrema sua disponentem & tam constanter tam secure animam creatori suo reddentem spectassent, aliquo non dicam pietatis affectu, sed humanitatis sensu tacti, ad tale spectaculum inhorruissent. Sed belluæ & feri molossi hominum facie & habitu, sub carnifice expirantem iisdem oculis & eodem animo viderunt, quo ignominiosam mortem immerenti, & quidem regi suo, ipsi subditi irrogarunt. Nunc ad eam quæstionem pervenimus qua tractandum est quinam fuerint rebellionis illius & condemnationis præcipui autores, quæ Anglis, Scotis & Hibernis optimum regem pessimo facinore abstulit, & tria hæc regna magnæ Insulæ sub uno rege florentia quondam & beata, tot ruinis, stragibus & incendiis miscuit. Nam si constaret ab universis trium horum ditionum populis unanimi consensu regem vita & regno fuisse decussum, vix Caroli defensores haberent, unde memoriam ejus à calumnia male administrati imperii vindicare possent. Nam persuadere cuiquam difficulter posset, non illum multis criminibus & sæva tyrannide populorum suorum odium meruisse, qui sic omnium judiciis premeretur. Tunc non alia suppeteret ejus defendendi ratio præter generalem illam, quæque competeret etiam male & injuste dominantibus principibus, ut dicatur ex divinæ legis regula regi quantumvis tyrannicè imperanti subjectos omnes dicto obedientes esse debere. Non licere, ne quidem contra tyrannum, arma populo capere & bellum ei indicere, aut quicquam facere vi vel dolo, quo gubernacu-

lum regni ipsi extorqueatur. Præter hanc justissimam verissimamque, atque omnibus regnantibus communem defensionem, alia peculiaris ac propria Carolo regi debetur, quæ ne ipsi quidem, tametsi de regio suggestu in privati conditionem redigeretur, denegari posset. Ea nempe est qua contendi jure potest, ne privato quidem ad necem & capitis condemnationem nocere illa potuisse, quæ sunt objecta regi crimina. De quo postea videbimus. Id ergo quæri jam dignum est: Cur Rex planè innocens, populi sui amans, cætera pius & sanctus, pro nocente condemnatus sit & supplicio affectus, cum in hanc condemnationem non centesima pars populi, non millesima consenserit, non centena millesima. Primum de tribus regnis quæ uni parebant, unum tantum culpam hujus necis sustinet. Deinde regni illius Senatus, cum ex tribus ordinibus esset compositus, Ecclesiasticorum, nobilium sive optimatum, & plebejorum, nullus Ecclesiasticorum assensum suum huic rebellioni accommodavit. Quin è contrario hic ordo primus hujus rebellionis furorem sensit, ab ipso Senatu ejectus, proscriptus atque è regno exterminatus. Senatus alter ordo, autoritate & dignitate potior, qui in proceribus consistebat, id est Ducibus, Comitibus, Vicecomitibus & Baronibus, etiam statione sua dejectus est, nec aliam partem in conspiratione rebellionis habuit, quam quæ in patiendo non in faciendo versatur. Regem non condemnarunt, sed cum rege condemnati sunt. Si unam omnes illi nobiles cervicem habuissent, statim post regem, securim illam infamem carnificis trunco impositi sanguine suo cruentassent. Quod potuit fieri, latius sparsum est in plura capita supplicium, & quomodo potuit.

Aliis

Aliis exilium & fuga pro ſecuri fuit, aliis ipſa ſecuris contigit, alii ad plebeitatem redacti dignitatis ac bonorum detrimento vitam redemerunt. Tertia & infima Senatus pars plebeia & vilia capita habuit, & cum his minorum gentium aliquot nobiles, ab urbibus deputatos. An omnes ex hoc inferiore ordine & loco Senatores ſubſcripſere capitali ſententiæ, quæ Regem carnificis ferro ſuppoſuit? Etſi omnes ſubſcripſiſſent, ne ſic tamen juſta vel æqua videri potuit. Non una quippe nec deterrima portio Parlamenti hanc poteſtatem ſibi vindicare debuit regis ſui judicandi & condemnandi, cum nec totus Senatus ex tribus regni ordinibus collectus id juris per leges quibus regnum ſtat, & ſemper ſtetit, habuerit. Atqui ne tota quidem hæc ipſa pars ad ſententiam de regis capite ferendam admiſſa eſt. Multi ex his expulſi, fugati, in carcerem tracti. Partis hujus pars aliqua tantum remanſit quæ ſelecta eſt ac deſtinata huic funeſto & parricidali operi perficiendo. Sed quis eam ſelegit? quis deſtinavit? quis de illa tantum potuit, & tantam ei potentiam attribuit, ut contra totius Senatus conſenſum, contra populi votum, nobilitatis voluntatem, audax & deſperandum facinus aggredi poſſet & perficere? Hoc vero eſt quod quærimus. Nec ſane diu quæremus. Nam in promptu eſt, & vel non quærentibus occurrit, exercitum Anglicanum fuiſſe, qui hæc omnia peregit. Qui regem in poteſtatem ſuam primum redegit, qui captivum deinde modo hoc modo illo carcere incluſit. Qui Senatus ſuperiorem domum, ex nobilibus & proceribus conſtantem occluſit, atque hunc ordinem ſuſtulit è Republica. Qui inferioris domus ordinem quam plebeji generis homines componunt, decimavit. Qui quod vo-

luit postea fecit. Qui tribunal summum instituit & erexit ut de regis accusatione cognosceret, & manditum & indefensum postremo condemnaret. Qui sententiam in eum latam executioni mandavit. Qui nunc regnum possidet. Qui Senatui quasi captivo imperat, & cum tyrannicam dominationem in Anglia exerceat, populo tamen persuadere conatur libertatem se illi multo sanguine suo comparasse. Qui cum Rempublicam non tractim, sed uno veluti ictu, exhauserit, vult tamen videri se ejus conservatorem sospitatorem ac custodem esse optimum & fidelissimum. Cæterum ut sæpe in collegio unus qui cœtui præsidet totum conventum ad id quod cupit movet ac ducit, ita in exercitu quod à militibus fit merito semper ipsis ducibus imputari solet, qui gregarios & manipulares incitant per tribunos & centuriones quos in potestate sua habent. Dicendum ergo de isto exercitu & de ejus ducibus, quomodo ad tantam pervenerint autoritatem ac potestatem, ut regem primo, deinde & Senatum, postremo & regnum universum subjugum mittere, sibique subjicere potuerint. Ex quo hominum genere collectus sit, cujus sectæ homines sint qui tunc militiæ nomen dederunt, quam religionem tam ipsi, quam eorum duces profiteantur, commemorabimus. Sic enim ex illis præcognitis occasio mirandi multis adimetur, qui factum sit ut tanta rerum conversio in Anglia acciderit. Causæ quippe veræ sic eorum motuum aperientur quæ hanc mutationem induxerunt. Dicetur quomodo Rex à subditis suis bello lacessitus, victus, deditus, in carcerem conjectus, è carcere ad causam capitis dicendam tractus, supplicio affectus, regnum quadraginta tyrannis reliquerit. Hi sunt qui

populo

populo illudentes & insultantes, libertatem vocant quæ tyrannis est. Qui pro beneficio illi imputant datæ publicæ salutis, quod in propriæ dominationis bonum fecerunt. Exercitus hic rebellium subditorum fuit, qui ad bellum regi inferendum conquisitus & comparatus est à Senatu Angliæ, ut regem suum in ordinem cogerent, atque autoritate regali, id est majestate, nudatum ac pæne privatum constituerent, planeque destituto similem. Longa est injuria, longæ ambages, quæ melius in Annalibus hujus regni legentur. Ea tantum hic persequi statui quæ ad causam pertinent, ac summa tantum rerum fastigia tangere, ex quibus perspicuum fiet, penes quos præcipue crimen hæreat regis interempti, & tam fædo supplicio addicti. Qui priores bellum illud contra regem suum moverunt, non eum fortasse finem animo proposuerant quem dedit eventus. Hic ut non responderit eorum votis, ut tamen talem exitum res & Rex fecerint, in causa ipsi fuerunt. Ita libet sane credere. Quod aggressi sunt contra regem, si id in voluntate eorum stetisset, citra mortem ejus, constitisset. Fortassean nec regno eum depulissent, si libertatem pergendi, ut cœperant, retinuissent. Quemadmodum autem avis ubi viva capta est, acciſis pennis avolare prohibetur, ita & regem, ne tota sua autoritate uti posset, parte aliqua eam imminuere in animo habuerunt. Et quoniam non videbatur libenter hoc eis concessurus, quo vel invitus id pati cogeretur, vi & armis sint tentandus. Quæ ab eo petebant, modica erant & mollia nimirum, nec difficulter à rege impetranda, ut militiam dimitteret, eamque in Senatus potestatem traderet, ut Parlamentum perpetuum esse permitteret. Episcopos jam contra

ejus desiderium exauctoraverant. Liturgiam à Reformationis usque temporibus primis probatam in Anglicana Ecclesia & receptam abrogaverant. Cum partem abnuisset, partem concessisset, non dimidio contenti qui totum voluerant, sic ad arma itum est. Sed in his Rex capiendis, qui jura tantum sua defendere cogitabat, non primus fuit. Ita latronem viator non aggreditur, sed si potest, si gladium habet, eo vim sibi factam repellere conatur. Rex ad hunc modum cum se peti videret, & id agi, ut sibi præter nomen nihil relinqueretur quo Rex esse posset videri, jus imperii & majestatem, qualem à majoribus suis acceperat, conservare ac tueri contendit. Quo in negotio si æquè felix fuisset, ut bonam causam justè defendebat, hodie patrio solio sederet, & eorum, qui nunc ejus loco regnant, capita summis hastis præfixa supra fastigium turris Londinensis, aut Aulæ regiæ, aut ædium Parlamenti, è longinquo visentibus conspicerentur. Sed victus ille, deditus, captus, cum in potestatem rebellium subditorum veniisset, carcere ab his inclusus, exspectabat quid de se hostes sui, id est subjecti sui, facturi essent. Fortassean qui tunc eum captivum detinebant, si semper tenere potuissent his conditionibus dimisissent, ut rex tantum esset nomine, res ipsa regendique arbitrium sibi permitteretur. Sunt qui putant in perpetua custodia fuisse ab his servandum, donec fatum aut natura de ejus fine decrevisset. Sed de eorum proposito non est qui possit aliquid certi definire, nisi ad hariolos eat, aut ipse divinus sit. Illud constat in conjuratione quam fecerunt invicem Angli & Scoti pro defensione prærogativarum ac privilegiorum quæ prætendebant contra Regem, solemni conventione & jurejurando promi-

promisisse, se regis majestatem comiter esse conservaturos, ut qui personam ejus omni modo incolumem & salvam vellent. Sed idem quoque sæpius constat eos juravisse, qui contra jus & fas, legesque humanas & divinas ac proprium sacramentum, cervicem illi per carnificem detecuerunt. Interea Rege debellato & in carcerem detruso, cum jam pax & securitas ubique in regno speraretur, nusquam motus aut belli metus esset, armis undique quiescentibus aut cessantibus, nihil restabat nisi ut copiæ dimitterentur. De hoc dum deliberatur & pecunia prospicitur ad stipendii reliqua militibus persolvenda; duces exercitus qui secta Independentes erant, & in sua potestate habebant quodcunque erat Presbyterianorum militum in numeris, rationem excogitarunt, qua missionem exercitus, quæ petebatur ac parabatur, possent impedire Nihil quippe magis rationibus suis expedire judicabant, quam ut ne dissolverentur copiæ militares, sed sub iisdem ducibus ac signis manerent. Sic potentiam tremendam adversariis suis sibi comparaturos, & leges Senatui ac regno facile daturos. Quod pronum fore, regis autoritate prostrata, ipso captivo, si Senatum in leges suas possent addicere. Id etiam in proclivi visum armatis contra inermes, & quia plures in ipso Senatu sectæ & factioni suæ faventes & addictos haberent. Si qui adversarentur, posse expelli, donec in domo Communum nemo remansisset, nisi Independens aut Independentibus obnoxius. Scoti qui Angliæ sinum tum persultabant, & timeri poterant, persoluta his quæ debebatur pecunia, in patriam remissi. Quibus porro artibus, fraudibus, dolis, strophis, machinis perfecerint antesignani Independentium socer generque, post exercitum

citum totum sibi conciliatum, Senatum in partes vi tranfire coactum, ut regem ipsum quoque postremo redigerent in suam potestatem, dici vix potest. Hunc si haberent, si de ejus vita possent disponere, si fata ejus dispensare, nihil amplius reliqui fore, quin omne quod animo destinarant exequerentur, cum nihil esset quod ut contrarium suis votis timere deberent. Diu ante, ne quis in exercitu esset de cujus fide dubitarent, effecerant, expunctis non solum manipularibus, sed etiam centurionibus & tribunis quos parum suffragari sibi scirent, eorum loco succenturiatis aliis suarum partium sectæque. Sed idem quoque in Senatus domo inferiore, quæ *Communium* dicitur, efficere tentarunt. Nec eventus optatis defuit. Vndecim præcipuos curarunt inde ejiciendos, hoc colore quod exercitus dimittendi autores fuissent. Nihil autem magis præter votum esse tum militibus noverant, quam ut dimitterentur. Hac arte tam esse inimicos exercitui facile omnibus militibus persuaserunt qui urgebant eorum missionem, quam amicos qui eam nollent. Sic suos fecerunt. Eadem via quoscunque è Senatu ejici voluerunt expulsi sunt, hoc objecto quod militares copias sub signis manere non probarent. Restabat Rex, qui cum captivus in carcere Senatus custodiretur, non difficile fore hunc illi eripere, cum in exercitu totum possent, in Senatu plusquam dimidium. Vis & ars suas quoque partes hic egerunt. Vis ad id valuit, quod invito Senatu ex ea custodia in qua ejus jussu tenebatur, rex extractus est. Ars in hoc profecit, qua persuaserunt Regi, sic ipsi fore consultius ac tutius, si de artiore carcere in custodiam liberiorem traducerctur. Et revera libertas primo, qualem potuit desiderare, illi indulta

est,

est, non ut quo vellet ambularet, sed tantum ut longiorem quasi catenam traheret. Multi tum ex regis amicis gaudebant mutationem hanc fortunæ regiæ tanquam in melius factam accipientes, pluribus tamen minimè diffimulantibus, sed aperte insinuantibus, parum eis notas esse Independentium fraudes. Hanc falsam regis libertatem in aliquod magnum ejus malum & perniciem esse aliquando erupturam. Non enim de nihilo tanto ambitu pessimos hominum affectasse, ut regis domini essent, qui jam & exercitum & Senatum sub suas leges misissent. Socer ipse supra mortales cæteros juxta audax & callidus nec minus leonina pelle quam vulpina, prout res poscceret, uti solitus, negabat se conscium illius facti fuisse quo Rex Senatus custodiæ exemptus fuisset, caputque uxoris & liberorum devovebat inferis, si sciens mentiretur. Nihilo secius homo qui fuerat ejus satelles, ob ministerium fideliter & prompte in ea re præbitum, satis amplam eo procurante retulit mercedem. Iam tenemus, ne rem notam amplius quærere necesse sit, Independentes esse qui exercitum victorem suorum sectariorum numero repleverunt, qui ejus opera postea Senatum vi oppresserunt suumque fecerunt, qui postremo regem quoque ipsum de captivo magis ut esset captivus præstiterunt. Nam ad solitam illam sibi mentiendi artem decurrerunt, ut de laxiore custodia in artiorem, rex miser pariter & miserabilis, quasi sua voluntate traduceretur. Persuaserunt eo quosdam esse qui in necem ipsius conjuraverant. Nolebant autem in loco illum tam urbi propinquo versari. Ita Rex assensus est se alio traducere gestientibus, dum iis credit ad locum magis liberum se esse deducendum. Illi vero in insulam Vectim clandestino eductum deporta-

tarunt, & angusto carcere clausérunt. Inde & in alium tetriorem transtulerunt, donec & inde extractum ad supplicium rapuere. Sed priusquam hoc tentarent, urbem Londinensem armis occuparunt, & tum demum regi diem dixerunt, instituto tribunali ex judicibus caligatis coram quibus accusaretur, & à quibus indicta causa, nec defensus, capitis damnaretur. Cæterum jam tempus est, ut expediamus quale illud genus hominum sit, quam religionem profiteantur, vel potius quid in religione sequantur. De adversariis quoque eorum Presbyterianis videndum, an nefario judicio condemnati regis penes Independentes solos omne crimen residere videatur, & an nullam hujus culpæ partem se sustinere ipsi Presbyteriani, bona fide & pura conscientia, possint confirmare. Enimvero, si res ipsa ponderibus suis & momentis rectè æstimetur, finis ac exitus facti nefandi ita Independentibus imputari omnino debet, ut principii & progressus gloriam Presbyteriani sibi possent vindicare, si rem tam laude dignam peregissent, quam certum est omni execratione damnandum facinus fecisse. Ab illo principio ad hunc finem facile fuit pervenire, his præcipuè qui plusquam dimidiam itineris partem confectam à Presbyterianis invenerunt. Quod scenæ fuit reliquum usque ad exodium tragœdiæ, Independentes absolverunt. Sed ad quartum actum & ultra, in dramate hoc desultando frigultientes Presbyteriani spectati sunt. Solum quintum & ultimum actum sibi perficiendum sumpserunt Independentiæ histriones, prioribus explosis & exsibilatis actoribus. Hi fortassean non adeo feralem & tragicam catastrophen fabulæ imposuissent. Vt tamen cœpta erat agi, non alium quam atrocem & regi funestum sortiri exitum potuit,

cum

cum hujus, qui datus est, causam ipsi primam præcipuamque dedisse videri debeant. Drama quippe illi integrum composuere, quod ut congruente initiis & mediis clausula finiretur, non aliam habere potuit quam quæ regem, si non vita & regno depulsum, saltem omni autoritate & potestate regali destitutum exhiberet. Et quinam alii merito regis occisi crimine notari magis debuere, quam qui viam ad eum occidendum munierunt? Illi sunt qui nefariam illam securim cervicibus ejus inflixerunt, non alii. Si latro viatorem per sylvam transeuntem insidiis exceperit, gladio discinctum, & crumena spoliatum, vestimentis etiam postremo nudatum, ut plerique faciunt, ad arborem religaverit, & fera sylvestris de nocte superveniens, ac miserum sic revinctum offendens invaserit, laniaverit & consumpserit, cui debet adscribi mortis ejus causa? latroni an feræ? Ille amovit ensem viatori quo se defendere poterat, & insuper vinctum dilacerandum lupis objecit. Ergo ille potius titulum hujus cædis quam bellua feret. Mutatis nominibus hæc fabula Presbyterianis convenit, quoniam res eadem est. Illi aliquot annis ante, omnibus modis per varias petitiones, jus regis imminuere & auctoritatem ejus infringere moliti fuerant. Diversa primo tentamenta impenderunt quibus regem eo perducere nitebantur ut suis satisfaceret desideriis, eo colore & prætextu, quasi nihil aliud animo postulatis illis agitarent, quam ut regem magnum & glorioſum redderent, & tam suis carum, quam exteris timendum. Sed non diu in his fictis blanditiis manserunt, statimque atrociore stylo eas mutarunt, prætendentes nullam se injuriam regi facere, quia non fieret digno. Nihil ei se ademisse quia nihil proprii haberet. Alias deinde voces

ces contumeliosas regi in vulgus sparsere, & illis ipsis libellis quos nomine Senatus Regi porrigebant, insertas publicarunt. Quod felicitas regni non ab eo pendebat, nec ab ejus stirpe. Se supra regem esse, & posse de rege facere quod ipsis placitum esset. Posse etiam intra fines modestiæ agentes, eum destituere. Ad Senatum pertinere de omnibus quæ ad regni salutem & bonum publicum spectant, disponere vel citra regis consensum. Teneri regem ad omnes libellos, sive schedulas, *Billas* vocant, quæ ipsi à Senatu offeruntur, favorabiliter respondere. Si qui essent in Senatu qui vetera regni instituta ac leges retineri ac jura regis defendi debere contenderent, pro hostibus & proditoribus eos habere, & *Malignantium* nomine & crimine denotare. Postremo libro edito sub titulo Admonitionis, sive Declarationis *Dominorum* & *Communium* in Parlamento congregatorum XXVI. Maii anni CIↃ IↃC XLII. aperte quid sentirent de regis autoritate & majestate, aliquot perduellionem spirantibus & insanis positionibus fassi sunt. *Quod penes ipsos potestas sit legis interpretandæ, & quidquid statuerint ita explicari & esse oportere, non debere id in dubium revocari neque à rege, neque ab ullis subditis regis, ita ut salus & incolumitas regis, & populi in ipsis sita sit, & à suo arbitrio pendeat. Quod nulla exempla vetusta vel recentia præjudicium suis deliberationibus & actionibus afferre queant, quia libere quod liberet facerent. Quod Senatus de quocunque negotio potest statuere in quo Rex vel subditi jus aliquod se habere intendunt, ad publici boni rationem: quia sine rege Parlamentum potest de bono publico judicare, nec ad hoc judicium ferendum necessarium videri regis assensum. De vita quoque & libertate subditorum & de omnibus legibus latis ad eorum securita-*

ritatem tuendam, quod velit, pronuntiare, easque abrogandi jus habere, si major pars utriusque domus consentiat, quovis tempore, quovis modo & quibuslibet rationibus, nec regem habere eos protegendi potestatem. Quod nemo ex utriusvis domus personis possit vexari aut accusari ob perduellionem aut crimen quodcunque majestatis, nisi prius causa disceptata esset coram ipsis, ut de facto ante cognoscerent, & accusatores postea procedere posse contra criminis reos postquam ipsi potestatem accusandi & judicandi nocentes eis dederint. Postremo quod suprema potestas in utraque domo Senatus hæreat, & quod Rex suffragium non habeat abnutivum. Vocant ipsi *vocem negativam.* Quid aliud his omnibus petebant quam ut jus omne Imperii & majestatis Regi eriperent, & solum nomen relinquerent? Ita aliquis è fracta nuce nucleum sibi servat, putamen socio dat. Sed quod magis mirum est, dicta illa non factum subsequutum est, sed post factum dicta denuntiata sunt. Vt sunt quædam genera canum quæ non latrant, nisi postquam morsu transeuntes appetierunt. Admonitio illa regi oblata est cum jam Hullæ oppidi portas Hothamus præfectus custodiæ ejus appositus, ipsi venienti occlusisset, qui à Senatu, ut hoc faceret, tale mandatum acceperat. Quid Rex pati posset aut vellet, hoc primo rebellionis experimento cognoscere concupiverunt. Iam Rex antea postulatis eorum ejusmodi plurimis, quamvis injustis, indulserat, inter alia de triennali Parlamento quandiu placeret ipsis stare permisso, quod in perpetuum consessum facile ex eo degeneraturum apparebat. Qua in re dici non potest quantum suo juri & imperii majestati decedere Rex ea indulgentia passus sit, cum nullus prædecessorum ejus, neque ante, neque post

Gui-

Guilielmum Victorem, tale quidpiam ſuis ſubditis conceſſiſſet. Sed ut inter edendum creſcit ipſa edendi aviditas, ita ab iſtis modum & menſuram excedentibus regis conceſſionibus, majora adhuc petendi & impetrandi occaſionem quæſiverunt. Nihil modeſti poſtea ſperare aut ſpirare, ſed ſubinde veterem rebellionem novis rebellionibus contegendo, ne perpluerent ſcilicet, ad extremum vi aperta contra regem ſuum graſſari cœpere, ſumptis armis & exercitibus conſcriptis. Contra manifeſtam & confeſſam rebellionem, jam armatam, jam in campum deſcendentem, quid Rex potuit facere niſi & ipſe vim vi opponeret, arma armis, bellum bello, & de legitima defenſione cogitaret? Quod ſero factum, fateri amici ejus coacti ſunt, cum prævenire debuiſſet qui præventus eſt. Sed dum bonitatem ſuam approbare indignis ſubditis contendit, medios in hoſtes & perduelles delapſus non ſenſit donec eventus docuit pia & juſta bella, quæque neceſſitas defenſionis extorſerit, non ſemper eſſe fauſta, Deoque interdum ſecuritatem regum minus eſſe curæ, quam ultionem. Ita victus à rebellibus, deditus, captus, in carcerem conjectus, nullum genus eſt infelicitatis ac calamitatis quod non expertus ſit, ut videatur ultima ejus vitæ pars ex perpetua quadam ærumnarum & miſeriarum catena eſſe contexta. In qua malorum ſerie indiſſolubili nova in illum hoſtium facies exorta eſt, à Presbyterianis ad Independentes, ut à Pilato ad Caipham, traducta ejus captivitate. Poſtremi tamen de prioribus eum videntur vindicaſſe, dum victores ipſos oppreſſerunt, & qui regem unum ſuumque habere noluerant, tyrannos pati plures, fortunarum ſuarum damno, libertatis noxa, vitæ etiam detrimento ac pernicie, nunc cogantur.

Quod

Quod documentum esse debet populis, quantum salutis eorum interfit & quietis, regum suorum autoritatem semper illibatam & intemeratam conservare, cum tyrannidis in regno affectatores per calcatam regiam majestatem ad improbi sui voti finem consequendum, viam sibi facere soliti sint. Cujus rei gravissimum & verissimum exemplum præbet id quod in Anglia nuper gestum est. In proculcata quippe per Presbyterianos regis autoritate, sanctæ Independentiæ Hierophantæ tyrannidis suæ fundamentum posuerunt. Quam enim illi pedibus suis tantum premendam & conterendam suppposuerant, isti tanquam meliores magistris suis atque audentiores discipuli, ita prostratam nacti, impresso ferro jugularunt. Ita prima rebellionis jure suo sibi vindicant Presbyteriani, postrema Independentes. Sed quivis intelligit, quod nisi illa prima fuissent, ista postrema nata non essent. Finis à principio pendere visus est. Et qui exorsi sunt hanc telam, etiam detextæ decus merentur, quamvis aliena opera manus ei suprema imposita sit. Rem ipsam tamen ab alto revolventi, & à capite ipso gestorum seriem deducenti, causasque penitius & primordia reputanti scelerati & nefarii facinoris, tam primam quam ultimam ejus partem Independentibus deberi, facile constabit. Cum enim comparo professionem Parlamenti Anglicani quam edidit cum Rex Iacobus inauguratus est, cum ea quam idem Parlamentum filio ejus Carolo obtulit anno cIↃIↃcxLII. postquam Hullæ oppidi portas ei claudendas mandasset, mirari subit, quanta horum Parlamentorum duorum sit differentia. In priore illo subditos se omnis subjectionis humilitate obedientia & fidelitate Regi suo profitentur, in isto planè & disertè regem sibi subditum esse opor-

oportere pertendunt. Vnde ista tropica putamus tam brevi temporis intercapedine accidisse? Num legum imperii veterum aliqua abrogatio hoc fecit, aut novarum sanctio, quæ in contrarium verterit receptas & inveteratas regni consuetudines? An religio mutata hanc etiam animorum conversionem attulit? Nihil horum. Si dicamus mores populi immutatos, ut ita esse constet, illud tamen quærendum restabit, quæ causa eos depravaverit. Quid obsequium contumacia, obedientiam rebellione, fidelitatem perfidia permutaverit? De hoc igitur inquirendum. Nec longè ibimus tali insistendo inquisitioni ut ad fontem ipsum causamque criminis hujus & sceleris quod regem cum regno perdidit, perveniamus. Ecce illi ipsi Independentes in via nobis occurrunt, quorum doctrina, quasi tabes quædam, contactu nefando infecit miseram Angliam, odium adversus regem, contumaciam, regii nominis obtrectationem, rebellionem post omnia, populis ejus insinuando. Hujus doctrinæ hæc summa est, regnum Christi non posse hærere nec morari in eadem sede cum regno hominum. Reges omnes quamvis Christianos & fideles, pro Christi inimicis esse deputandos. Neminem quippe posse dari regem tam bonum & justum, quin sit injustus improbus impiusque, respectu sanctorum qui regnum Christi componunt, idemque promovere conantur. Se solos enim verosque esse sanctos, qui proinde nullum regem ferre nec pati debeant, quia fidelium sanctitas & regum majestas non bene inter se conveniant. Tantum quippe moræ afferri regno Christi, quantum temporis in sæculo reges durant regnantes. Eos verè esse libertatis Ecclesiæ hostes unicos & acerrimos. Hi nisi removeantur, Ecclesiam stare li-

re liberam non posse. Hinc igitur incipiemus hoc genus hominum quale sit describere, suisque coloribus depingere, qui Carolum primum regem suum Martyrii passione coronarunt. Sanguis ejus sit super illos, cujus innocentia non melius nec certius potest probari, quam ex horum impia & cruenta doctrina, quæ in regibus non aliud crimen novit, quam quod reges sunt, quia nullos bonos agnoscit. Si quod in eorum vita vitium colligere & conquirere aliquando satagunt, id eo fit quia pudet illos non aliud iis objicere posse delictum, quam ipsum regnandi officium. Ea gratia ne videantur in apertum disciplinæ suæ pestilentis virus effundere, quantum possunt id celatum cupiunt, variorum criminum quæ dominantibus affingunt, prætextu. In quibus exaggerandis sæpe de festuca trabem vel tignum faciunt, ipsi interea omnium flagitiorum mole cooperti, quæ *puritatis* & *sanctitatis* velamento adumbrant. Conscientias delicatas & teneras se habere dictitant, quæ tamen cameli deglutiendi capaces esse possunt, dum culices eliquare se simulant. Reges populariter possunt occidere, & lumbricum è terra prorepentem pede vix auderent premere. Tempus ergo est pandere unde & quando proruperit [illegible]mica regibus secta, & omnis regiminis in[illegible]ens. Belli isti sanè Puritani, ut tum vocabantur, sub regno Elisabethæ prodire è tenebris orci, & Ecclesiam inde turbare primum cœperunt. Immo Rempublicam ipsam. Non enim sunt minores reipublicæ pestes quam Ecclesiæ. Tria eorum genera numerabant: Qui se ab Ecclesia Anglicana prorsus separaverant, qui non totos se ab ea segregabant, & qui licet statum præsentem non probarent, sese tamen ei accommodabant. Isti, ut inter malos, optimi, primi

pessimi. Pudet nomina referre quibus appellabantur, sono ipso tremenda. *Separatistarum, Non conformatistarum, & Conformatistarum.* Lutulentas has appellationes aversus invitusque posui. Separatistarum natio in duas etiam classes dividebatur, à nominibus autorum suorum appellatas, rigidiorum & remissiorum. Illi *Brunistæ*, isti *Robinsoniani*. Nondum *Independentium* nomen eventilatum erat. Iacobus Rex in Basilico suo Doro, mores istorum hominum, si homines sunt, egregie & graphicè depinxit, & si patrem filius audisset, dum cavendos eos docet, melius rebus suis regnoque consuluisset. *Ab hoc genere*, inquit, *cave pejus & angue* de Puritanis loquens, *Fili, cave tibi, qui germanæ ac veræ pestes sunt Ecclesiæ & Reipublicæ. Hos nullum beneficium potest obligare, nullum jusjurandum, nulla lex tenere. Nihil spirant nisi calumnias & seditiones; semper altius assurgentes quam debent. De suggestu clamantes sine ratione & sine ulla divinæ Scripturæ autoritate, quam tamen somniis suis & hariolationibus tuendis prætendunt, ut inde regulam conscientiæ suæ fabricent.* Deum deinde ibidem obtestatur, se quæ de his sentit, æque veraciter ac bona fide esse dicturum, ac si animi sui sententiam ac volunt[illegible] supremis tabulis confignaret. Se igitur, *inte[illegible]tanos latrones & sicarios limitaneos, non tam insignitam insolentiam, neque plus ad omnes excessus licentiæ notabilisque perfidiæ quam in istis ambitiosis & fanaticis fantasticisque ingeniis reperisse.* Postremò pro clausula filium monet his verbis. *Noli*, inquit, *pati præcipuos horum fanaticorum duces in regno Angliæ morari, si pacem cupis & quietem. Nisi si forte eos ad hoc servatos velis, ut patientiam tuam exerceant, ut quondam Philosophum sua exercitum habuit*

buit mala fœmina. Si prævidere potuiſſet nimis bonus & pacificus Rex, non ad exercitium tantum patientiæ moleſtos illos futuros filio ſuo, ſed etiam ad mortis uſque & infamis ſupplicii patientiam eum eſſe compulſuros, fortaſſean jam tum eos regno ſuo extorres in Virginiam amandaſſet, niſi potius in Morboniam eos ablegare maluiſſet. Vt patri nocuit nimium pacis ſtudium, & quietis amor, ita & filio, qui peſtes iſtas quæ ſub duobus prioribus regibus in Anglia jam in tantum ſuccreverant, ad tale increſcendi augmentum procedere permiſit, ut impedire tandem non potuerit quin ſibi necem, regno excidium, poſteritati ſuæ exitium adferrent. Doctrina tamen eorum majus etiam incrementum fecit, quam natio. Nam plerique Reformatorum, qui nomen ſectæ non dederant, nec in alios diſciplinæ ejus articulos jurarant, hunc tamen unum videntur approbaſſe, qui reges averſatur, & regiæ adverſatur dominationi. Vt enim plebs prona eſt ad novitatem, ægrorum more qui levius ſe morbo defungi credunt ſi grabatum mutent, quamvis per omnia cubiculi loca eandem valetudinem circumferant, ita qui ad conciones ſacras itabant avidis auribus audiebant novos Eccleſiaſtas hac contagione infectos, ac de ambone declamantes in Regem, in Aulam, in Miniſtros regios. Vitia domus regiæ videbant, ſua præteribant. Et quanto libentius & avidius hæc accipi ab inſano populo ſentiebant, tanto ardentius ferebantur iſti præcones ac tubicines turbarum, ad ea detonanda quæ auditoribus ſuis placere animadverterant. Ita facile ſparſum, diſſeminatum & propagatum in omnes, impiæ & peſtiferæ ac parricidalis doctrinæ virus. Hoc eo blandius intima ſenſuum penetrabat, quod ab his inſtillabatur qui nihil niſi ſanctitatem,

tatem & puritatem crepabant. Quique his nominibus se noscitari præcipuè cupiebant. Primo ab his ad prætextum belli regi inferendi sumptus Episcoporum fastus, & liturgiæ, precumque formulæ quasi parum verbo Dei congruentes, & libertati Ecclesiasticæ noxiæ. Tolli igitur Episcopos petierunt, atque aboleri precum solemnium publicas formulas. Rex in retinendis his & illis restitavit. Et magnis quidem rationibus, utpote quibus conscientia ipsa velificaretur. Liturgiarum formula probata jam olim fuit plerisque Reformatorum pastoribus, & quidem eorum, tam in Gallia quam alibi, præcipuis, ut quæ nihil continere videretur pietati & doctrinæ Euangelicæ non congruum. Episcopos invenit Rex cum ad regnum venit, non eos fecit. Tuendi itaque fuere, ne quid sacramento quod cum inauguraretur præstitit, derogatum iret, omnia quæ tum in statu erant, conservandi. Sed fastus in his nimius notabatur. An mansit in Reformatis idem, qui fuerat ante in Pontificiis? Cur igitur fastuosi retenti, cum Reformatio facta est? An etiam accrevit? In ordinem ergo cogendi, potius fuere quam tollendi. An ambitione vacui sunt Presbyterianorum pastores? De omnibus non dico, quia & non pauci modesti. Nonne etiam inter Episcopos Angliæ plures liquet fuisse modestia & moderatione commendabiles? Sane & Rex Iacobus fastum illum in Episcopis agnovit ac damnavit, sed nec minus Puritanorum vanitatem exagitavit in eodem libello, cui titulus Βασιλικὸν δῶρον. Nam ante omnia filio præcipit ex æquo fugiendam esse, *Puritanorum vanitatem, & fastum Episcoporum.* Vtinam monitis paruisset. Sed fastus Episcopalis non tantum poterat ei nocere, quam vanitas Puritanorum post-

ea

ea nocuit. Nondum satis eam noverat optimus ille Rex. Nullum enim fastum Episcoporum comparandum cum hac superbia Puritanorum sciviſſet, quæ ad illud usque insolentiæ & impietatis fastigium ascendit, ut coronam successoris sui & hæredis legitimi pedibus proterendam subjecerint, & cervicem ejus securi carnificis supposuerint. Quis non mallet mille Episcopos cum fastu suo, quam unum Puritanum illorum similem qui hodie Angliam tyrannide premunt? Nonne hic fastus est Diogenis qui Platonis torum majore fastu calcabat? Non est sane ille fastus qui Episcopalem fastum contundat, Fastus est, qui regale & imperiale fastigium pedibus pulsat. Qui Dei ipsius tribunal conscendit. Qui de regum capite cognoscit, quod solius Dei munus est, qui reges, ut constituit, ita & destituere solus debet. Ergo inde merito facti *Independentes* pro *Puritanis* & *Bruniſtis*, sicut ante Elisabetha & Iacobo nominati sunt. Nam cum olim reges *Independentes* haberentur, utpote qui à solo Deo penderent, isti qui se nunc supra reges collocant, & nullum, nec in Ecclesia, nec in Republica, superiorem admittunt, jure suo jam gaudeant hoc cognomine. Quod genus, unde domo, qui mores, quæ disciplina, nunc differendum est, si modo verbis comprehendere dabitur, quot sub una *Independentium* appellatione, sectarum, hæreseon, schismatum nomina & genera delitescant, quasi sub umbra opaca ac patula sanctæ Independentiæ recubantia. Omnes enim qui de hoc conveniunt ut magistratum recusent tam Ecclesiasticum quam civilem, istud amant nomen, & quasi hoc uno fœdere conjurati inter se sociantur, quamvis in aliis dissentiant. Nec mirum. Quotquot sunt Ædilem metuentes disciplinæ, quæque sciunt se

à magiſtratu non poſſe tolerari, in hoc omnes conſpirant, ut magiſtratum omnem reſpuant, à quo nihil melius molliuſque ſibi poſſunt promittere quam exitium. Eadem cauſa fecit, ut Epiſcopos odio Vatiniano proſequantur, iiſque bellum ſine miſſione indixerint, quia ſub Epiſcopali regimine ſe durare non poſſe noverant. Hæc igitur ſecta eſt, quæ libertatem dari vult omnibus ſectis, tam ſchiſmaticis quam hæreticis *Independentium* titulo ſuperbis. Nec moror duarum eos familiarum fieri, & inter *Orthodoxos* & *Fanaticos*, nequiſſimam gentem diduci. An illi mihi erunt orthodoxi, qui fanaticos etiam pro ſuis recipiunt, nec tolerant tantum, ſed & in ſinu fovent? Qui hæreſin permittit, facit; Nam quid, oro te, intereſt utrum quis in doctrina fidei male ambulet, an pervertentibus vias Dei, & depopulantibus ovile Chriſti lupis, det veniam? Si homines eſſent, qui non ipſi quidem latrocinarentur, ſed paſſim latronibus vagandi, villas expugnandi, domos expilandi, viatores ſpoliandi licentiam indulgerent, eoſque adjuvarent & protegerent, quid ipſi à latronibus diſtarent? Orthodoxi certè non poſſunt dici, qui tot lapſis à regula, tot blaſphemis, tot atheis impune eſſe volunt, quibuſque adéo & blaſphemias libere vomendi, Chriſtianiſmum oppugnandi, Dei ipſius negandi poteſtatem concedunt. Nuper Rex Independentium, Angliæ Tyrannus, Regis ſui perduellis & parricida, cum ex Anglia in Hiberniam cum exercitu ſolveret, non prius vela facere ſuſtinuit, quam per ſocium rebellionis, & parricidii complicem, edicto Parlamenti omnibus ſectis hæreſeon & ſchiſmatum quibus nunc ſcatet Britannia, profeſſionem publicam ac liberam irreligionis ſuæ dari curaverat.

Soli

Soli Pontificii ab hac libertate excluſi, quæ conceſſa eſt Antinomis, id eſt legem & Prophetas repudiantibus, Arrianis, Photinianis, Chiliaſtis, & mille talibus Fanaticis monſtris. Cur Pontificios, quatenus & Chriſtiani ſunt, non admittunt? Cauſa in promptu eſt. Quia non admitterentur ipſi à Pontificiis. Non ferunt, niſi qui ſe ferant. Ideo & Epiſcopos non tolerant Reformatos, ſed Eccleſias ſub illis pro Antichriſtianis habent. Ideo & Magiſtratum verè Chriſtianum aſpernantur, quia nec ille tales, ſi officium ſuum faciat, poſſit pati. Ideo denique nec Regem ſuum regnare & vivere paſſi ſunt, quia videbant ſe ab eo juſtè & piè imperante, non fore tolerandos. Ideo nec ullos reges umquam agnoſcere in animum inducent, niſi qui de ſuo ſint grege, quique parati ſint & mente obfirmati, omnibus ſectis fibulam laxare. Cum enim nec ſibi ipſi conſtent harum ſectarum pleræque, nec aliis conſentiant, ſed aliqua peculiari perverſi dogmatis diverſitate inter ſe diviſæ ſint, univerſæ tamen hanc communem habent pravitatem, qua pro regula tenent omnibus impiis pariter & profanis, debere conſcientiæ libertatem concedi. Cum omnibus pacem miſcere volunt, nec quicquam ſua putant intereſſe ſingulæ, licet diverſas inſiſtant vias, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent, & in Reformatarum Eccleſiarum ruinam conjurent, quas falſas eſſe pronuntiant & Idololatricas. Non enim melius de his ſentiunt, quam de illis quæ Epiſcopos habent præſidentes, quos miniſtros Baalis, Antichriſtos, & Idololatras appellant. Vna & eadem cauſa eſt erga hos omnes odii pluſquam Vatiniani, quamvis diſciplinæ cenſu differentes, quod cum his ſe dextras jungere ac conteſſerare certò ſciunt non

posse. Ideo abhorrent & abominantur, quos vident à sua communione abhorrere. Papista, Episcopalis, Reformatus fuat, uno habent discrimine, & tanquam prophanos detestantur quicunque judicant melius Ecclesiæ Christi futurum, si tales, quales ipsi profitentur, hæreses non essent. Si quis vel in articulo levissimo disciplinæ quam probant dissenserit, eum non solum sua communione, sed vita etiam indignum pronuntiant. Ethnicum & publicanum esse clamant. Qui trinitatem negaret melius ab his acciperetur, & favoris plus apud eos inveniret. Non una autem est, nec simplex hæresis quam introduci cupiunt, sed ea quam profitentur, omnium sentina est & cloaca. Non solum liberi ipsi esse, sed etiam quodcunque credentibus eandem libertatem assignari student. Quicunque & cujuscunque pravitatis & blasphemiæ sectarii in eadem cum ipsis sententia sunt, his parati sunt dicere, Noster esto. Qui aliter opinantur, lupis & agnis quanta sortito obtigit, tanta eorum cum illis est discordia. Magistratum omnem Christianum cui sederit sententia eorum similes in republica non debere consistere, eum si res suæ sit potestatis aut arbitrii, vita frui numquam sinent. Ideo legum condendarum ei potestatem adimunt, quam soli Deo reservant. Reges non alio loco aut numero habent, quam magistratum. Ideo ut inimicos regni Christi, id est sanctæ Independentiæ, ab se eliminant. Nec ullos tolerant, nisi si quos non possunt tollere. Semel nacti potestatem qua eos destruant, non contenti destituere, nihil parcunt quin eos vita regnoque exterminent. Sic enim se libertatem votis omnibus petitam assequi sperant, si nemo sit quem timeant. Hoc ut citius consequantur & plenius optatis potiantur,

semet-

ſemetipſos in ejus locum evehere contendunt unde timeantur. Ita in Germania Anabaptiſtæ duce Iohanne Leydenſi cum animo concepiſſent regimen tam civile quam Eccleſiaſticum immutare, potentiæ primum & autoritatis in populum acquirendæ ſtuduerunt, & miras turbas dederunt, atque in bona omnium, qui de grege ſanctorum non eſſent, involarunt, pari, ut ajebant, titulo & cauſa qua Iſraëlitæ Ægyptiorum ſuppellectilem compilarunt, & Chananæos poſſeſſionibus ſuis expulerunt. Non minores in nova Anglia tragœdias excitarunt Independentes, ubi dux fœmina facti fuit Hutchinſonia nomine, quæ illis in locis civilem ſtatum & Eccleſiaſticum in ſummum diſcrimen ſanguinariis factionibus adduxit. Et actum tunc fuiſſet de republica, niſi mature providiſſet præfectus, exarmando perditos ſectarios, qui niſi hoc feciſſet, parem Monaſterienſi ſtragi ruinam ibi erant edituri. Atque hæc tempeſtas hactenus in orbe novæ Angliæ detonuerat. Vtinam quidem hactenus. Sed poſt paulo circumagente ſe maligno ſidere, tanta vis horrendæ procellæ inde effuſa veteri Angliæ incubuit, ut terribili tumultu totam eam magnam inſulam quaſſaverit. Hanc novus Independentiæ ſignifer excitavit, qui quod voluit fecit, & ne nihil ageret, primo exercitum, deinde Senatum, poſtremo & Regem ſub ſuam poteſtatem redegit. Sed Regem ſuſtulit, Parlamentum oppreſſit, per exercitum nunc regnat. Qui nullum alium errorem in eorum doctrina hærere præter hunc unum perſuadere nobis conantur, errant ipſi. Quod nempe Eccleſias particulares, ab una aliqua generali Eccleſiarum congregatione nolint dependere, quales Synodi ſunt. Primum ab hoc uno errore multos catenatim alios

cum eo nexos oriri posse res ipsa monstrat. Quippe cum septem apud eos Ecclesiam faciant, qua viri, qua fœminæ, qua pueri, qua puellæ, nam & sententiam rogantur & dicunt, & hæc ipsa Ecclesia ab altera se corrigi aut reformari nefas putet, nec eundem singulæ possint tenere cum aliis doctrinæ aut disciplinæ consensum, quis mihi repromittet idem de fide omnes sentire? Deinde nondum ausi sunt confessionem fidei suæ vulgare, unde sciamus nihil eos habere in dogmate, quod sit damnandum. Neque vero, tametsi vellent, id præstare possint. Nam cujus Ecclesiæ confessionem publicabunt, cum tot sint, & omnes quidem αὐτοκέφαλοι, atque ut ipsi se vocant, *Independentes*? Citius & facilius Lunæ crescenti subinde ac decrescenti, varioque in orbem habitus sumenti, deponenti, & resumenti certa ac stata vestis posset induci. Hoc facile quidem factu esset ubi plures Ecclesiæ unam componunt, dum unam omnes probant unitatem, ut quibus ejusdem sacramenti una sit traditio. Independentium vero infinitæ numero sunt Ecclesiæ, etiam eorum, quos quidam volunt à Reformatis non alia re differre, quam Ecclesiæ regimine. At si in hunc censum veniant omnes quæ idem nomen affectant, citius arenam maris numeraveris, quam dixeris, quot sunt & quam variæ earum species, tam doctrina quam disciplina diviſæ. Nulla autem ex his pura est ac sincera, sed aliæ ex aliis partem aliquam usurpant ejus quod credunt traduntque, & tam prodigiosa mixtura confusæ sunt invicem ac diffusæ, ut nullum cujusquam earum dogma certum atque impermixtum erui possit. Præterea illi ipsi quos tales fingunt, Orthodoxi Independentes, Spiritum qui eorum sanctos facit, tam varium habent ac mutabi-

tabilem, & non ſolum ubi velit & quando flantem, ſed etiam quod alias inſpiraverit, ſæpe reflantem, ut Vertumni Romanorum, Protei Ægyptiorum, & Empuſæ Græcorum, cum hoc ſpiritu ſancto, plane quadrigeminus Deus eſſe videatur. Mille formas induit exuitque, in dies & horas & momenta dubiæ & fluxæ inſpirationis. Ideo nullam habendam eſſe ſanciunt doctrinæ regulam, nec diſciplinæ. Omnia ſoluta apud eos & vaga. Meraque, ut veteres Numidæ, faciunt Mapalia. Conſcientia ipſis pro regula & norma tam fidei quam doctrinæ. Scripturam ipſam ad hujus amuſſim exigunt, non conſcientiam ex Scripturæ præceptis dirigunt. Non locis, non temporibus, non perſonis, non rebus ſerviunt. Cuilibet, ubivis, quando libet, verbum Dei prædicare licet, ſine ætatis, aut ſexus, aut muneris, aut conditionis diſcrimine. Servos & reges in Eccleſia eodem loco habent, & pari modo utroſque arcent à communione. Sæpe & ſervus regem poteſt excommunicare, quia & ſervis dant prædicandi licentiam. Formulas precum reſpuunt. Ideo & Dominicam orationem rejiciunt tanquam libertati ſpiritali exitialem. Vt cuique ſpiritus dictat, ita eſſe orandum præcipiunt. Nec ſemper eodem modo, quia non ſemper ad idem exemplum Spiritui preces placet, ut concipi debent, dictare, etiam eidem homini. De genere autem eorum converſationis; qualitas fidei æſtimari poteſt, & judicium de doctrina facit diſciplinæ ratio. Cujus everſionem pro ipſa diſciplina habent, Sed & illos qui hujus curam habent tanquam lenocinii artifices in noſtris reprehendunt. Laïcis paſtoris munus injungunt, paſtores loco laïcorum ducunt. Fœminis etiam ſuis permittunt in Eccleſia docere, concionari, & de fidei dogmate diſputare. Cœ-

tus Ecclesiastici sine gravitate & autoritate, sine ordine. Dum alii inter se de rebus ad deliberandum propositis ad mensam loquuntur, alii de aliis negotiis seducti garriunt. Quidam interim hausti fistula tabaci fumos in angulo revomunt. Vtinam praviſſimus esset errorum quibus hæc hæresis laborat, disciplinæ prostratio. In Spiritum Sanctum passim peccant quem imperfectæ operationis arguunt, dum nondum omnia ab eo revelata & monstrata pertendunt, quæ ad salutem necessaria videntur. Hunc desultoriæ varietatis insimulant, & modo hoc modo illud, interdum quæ invicem pugnant, ab eo inspirari volunt. Quem denique fraudis & mendacii reum faciunt, atque etiam scelerum omnium conscium, dum ad eundem usum impendunt ejus energemata, quomodo varias imposturas & fucos multi antiqui duces ac reges adhibuerunt populis seducendis, Minos suum cum Iove colloquium, Numa suum cum Egeria nympha congressum, Scipio suum in cella Iovis Capitolini accubitum, Sertorius cervam suam, Muhammedes suam columbam. Ita spiritum suum sanctum Dux Independentium nationi Anglicanæ decipiendæ commentus est. Hac arte homo hypocrita falsas & mendaces revelationes spiritus nequam, divinitati non fallentis Spiritus solet adscribere. Si quid promittit eo sensu ac mente, ut fidem mox pactam fallat, ubi fefellit, spiritus divinus auctor est illi talis mutationis & effectus in contrarium dati. Pontifex ille sanctæ Independentiæ Regi captivo pollicitus fuerat custodiam laxiorem & locum liberiorem, si se sineret educi ex eo carcere quo tum detinebatur. Egresso inde contra promissum in insula brevis circuitus, angusta & mala mansio assignatur. Querenti de perfidia, allega-

legatur Spiritus Sancti monitus, qui fidem non tenere autori ſuaſerit. Cum nefaria factio Regem morti deſtinaſſet, nonnulli proceres cum ducibus factionis agere cœperunt precibus, pollicitationibus, ne ad exitum perducerent tam crudelia & impia deſtinata: Viderent quantum in ſe ſceleris ſuſciperent: numquam tale fuiſſe ab aliquo ſuſceptum. Fateri illi ita eſſe, etiam per ſe videre execrabile eſſe ac deteſtandum facinus, ſed tamen non poſſe repugnare Spiritui qui aliorſum eos traheret, & ad vindictam de Rege ſumendam impelleret. Ita blaſphemias ſuas & ſcelera homines impuri impiique mantelo divinitatis & juſtitiæ obumbrant. Sic illudere non ſolum hominibus norunt, ſed etiam ipſum Deum audent deridere, ſi modo poteſt ſummum numen à ſceleratis latronibus naſo ſuſpendi. Habent & aliud ſectæ ſuæ dogma, quo ſibi perſuadent ſe poſſe cujuſlibet ſceleris eſſe affines & tamen ſanctitatem in medio ſceleris actu retinere. Quod enim in aliis hominibus peccatum cenſetur, hoc in ſanctis non eſſe. Sane, ut Grammaticus ſolœciſmum non facit, quem facit ſciens, ita ſanctus poteſt quodlibet contra legem Dei committere, & tamen, ut alicujus mali vel delicti conſcius, non poteſt argui, quia ſcit in conſcientia ſua quid egerit. Ita non infirmas habent ſed fortes & animoſas conſcientias, quæ omnis criminis & flagitii in proximum, ſi modo fiat cum charitate, capaces ſunt. Satis eſt ſi firmiter credant non eſſe peccatum quod admiſerunt, quia nunquam eos charitas tale quid patrantes, nec bona conſcientia deſerit. Memorant aliquando deprehenſum fuiſſe in ſancta ex illo grege quendam ſanctum, qui nullo rubore ſuffuſus confidenter dixit, ſe non voluptatis efficiendæ gratia torum ejus inſcen-

disse, sed ut sororem male affectam refocillaret, & frigentia misellæ membra gremio ejus infusus recalfaceret. Nomina sancti & sanctæ habet historia, quibus hanc paginam commaculare nolui. Inter criminationes Regi objectas, infamis Cokius Advocatus, & accusator in illum datus à sacrilego sanguinariorum Iudicum cœtu, hanc etiam posuit, quod Sanctos, id est perduelles illos à quibus erat condemnandus, non *Sanctorum* appellatione decoraret, sed *Brunistas*, & *Independentes*, & *Sectarios* vocaret. Nonne tibi videris meretrices videre quæ castæ & pudicæ velint vocari, & nisi vocentur, injuriæ actionem se nomine vero appellantibus intentent? Profecto si talibus sanctis paradisus esset destinatus, aut si nunc iisdem refertus foret, plurimi hodie viri boni reperirentur qui dubitarent, an sibi locum esse vellent in cœlo, ut ibi consortium habere cogerentur ejusmodi sanctorum, quibus si larva detrahatur nihil impurius, nihil magis profanum quicquam inveniri queat. Nam quidquid ajunt aguntque, sanctitatis mimus est, ipsique veræ pietatis simiæ sunt, quam simulant non præstant, sepulcris veterum Romanorum similes, quæ in titulo divinitatis nomen præferebant, *Diis Manibus* consecrata, sed intus ossium & cinerum sordibus & inquinamentis scatebant. Verisimile est cum Deo preces faciunt, eodem modo eum alloqui, ut olim fures, impostores, nebulones, laverniones & id genus omne, fraudis dolique & furtorum præsidem Divam suam precabantur his conceptis verbis:

——— *Sancta Laverna*
Da mihi fallere, da sanctumque piumque videri.
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Lupos esse rapaces sub pelle ovium, non illi modo

do qui eos merito oderunt dicunt, sed ipsi magis id de se fatentur. Stoïci dicebant sapientis, quem describebant nec tamen noverant, esse omnia. Non tamen, ut cuiquam, quod proprium ei esset, auferrent suumque facerent, sed alio intellectu, quæ cujusque essent, sapienti suo vindicabant. Sanctorum bona esse omnia quæ omnes habent etiam isti sancti asserunt, sed reipsa, quando occasio est aut potestas, doctrinam suam usu & effectu confirmant. Adeo non contenti privatis quod suum est, ubi id possunt, eripuisse, ut etiam sua regna regibus non relinquant. Ne patrimonia quidem eorum pupillis aut viduis salva esse volunt quas ipsi fecerunt. Mirum est profecto novumque genus sanctitatis, quod isti cerebrosi commenti sunt, immisericordis, crudelis, avaræ, & ambitiosæ & omni charitate carentis. Diceres nihil aliud eos pro sancto habere velle, quam quod primis Christianis impium habitum est ac profanum. Ludus illis est profanationem omnium rerum sanctarum inducere, ut sanctificationem & consecrationem profanarum invexere. Christum in spiritu crucifixisse videntur, quem olim in corpore Iudæi, ut alium nimirum resuscitarent in carne sola regnaturum, contraria priori præcipientem & docentem. Regnum ille suum dixit non esse de hoc mundo, isti Christi regnum cœlo detractum in cœnum detrudunt, terrenæ potestatis illigatum ditionibus & possessionibus. Christus olim crucifixus pependit inter duos latrones, Christum hodie hi nobis dant inter plures latrones regnantem, id est inter Independentes, qui dum omnia omnibus per vim rapta auferunt, vitam & regnum Regibus, patrimonium & dignitatem Nobilibus, bona & libertatem Popularibus, hoc Christi regnum esse prædicant.

dicant. Ita certe omnia ſanctorum iſtorum propria eſſe libenter fatemur præter ipſam ſanctitatem, quam ſolo nomine venditant, factis refutant. Cæterum ne quis putet ex orbe noſtro fœturam prodiiſſe talium portentorum, ſciat novæ Angliæ ſuam originem debere hæc hominum monſtra. Inde in Hollandiam redundarunt. Ex Hollandia porro in Angliam veterem regirarunt, ubique jactis ſeminibus impietatis, & in reges ac magiſtratus rebellionis. Inde enim ſunt, quicunque in Batavia, nunc regum parricidiis ſuffragantur aut patrocinantur. Et ſanè plures ſunt, partim rerum imperiti, partim improbitatis genio conſimiles. Sed venenatum illud ſemen ut ab Anglis productum, ita & in Anglia ſoli feracis uberes glebas nactum, feliciora quam alibi & promptiora cepit incrementa. Brevi temporis ſpatio totam penè occupavit Britanniam. Nam ejectis iis qui noxia hæc plantaria exſtirpari ſuadebant, res ad eos rediit qui ſumma ope culturam ejus foverunt. Ita ad eam copiam & menſuram fruticavit, ut veterem & bonam Euangelicæ culturæ frugem penitus obruerit & ſuffocarit. Cum prima improbæ ſectæ vota ſint locum habere liberum ubi regnet, parem quoque agendi libertatem omnibus hæreſibus amicis concedi flagitat. In ſecundis habent votis, amoliri eos per quos eam libertatem quam ambiunt, impediri poſſe exiſtimant. Sic Epiſcopos ab Eccleſia primum removerunt. Deinde ab exercitu eos expulerunt, quos parum ſibi favere ſciebant. Poſtremo è Senatu ejecerunt, quos contrarios propoſito ſuo fore ſuſpicabantur. Tum demum Regem adorti ſolio excutere, quem, ut veræ Religionis defenſorem & protectorem decuit acerrimum, non minus acrem ſuarum blaſphemiarum vindicem erant ſenſuri. Per Senatus partem

tem reliquam, quam furialis & feralis illa Alecto peſtiferæ hæreſeos halitu afflaverat, id egerunt. Ejuſdem ſanè operis fuit Regis autoritatem impugnare, majeſtatis ejus culmen infringere, & hæreſibus, quæ tunc pulluſare per Angliam incipiebant, licentiam qua creſcerent & corroborarentur, indulgere. Vtrumque Senatus ille eodem tempore fecit. Numquam id juris ſe habuiſſe noverant, ut quicquam ſine Rege ſtatuerent majoris negotii, multo minus, ut ea decernerent quæ religionem ſpectant. Hæc prima rudimenta poſuere criminis læſæ majeſtatis quod incurrerunt. Epiſcoporum ab Eccleſia & Senatu ejectionem abſque Regis aſſenſu decreverunt. Libertatem conſcientiæ damnabili conniventia dederunt omnibus ſectis, quarum receptaculum fuit & aſylum Independentia. Sic ei vires addiderunt. Sic ſecurim porrexerunt, quæ regis cervicibus impacta eſt, & ſacroſancto innocentis hoſtiæ ſanguine imbuta. Dici itaque verè poteſt, victimam Presbyterianos ligaſſe, Independentes jugulaſſe. Debilitatum illi & fractum Regem, atque autoritate non ſolum omni privatum, ſed etiam libertate, in manus Independentium traditum, poſtea reciperare ac retrahere ad ſe contenderunt, tractatu interpoſito & conditionibus pacificationis propoſitis, ſed Independentes, irriſis illis, negotium ſuum peregerunt. Sero itaque reſipuerunt Phryges. Si bene igitur rationes ſubducamus, non ſolum finem, ſed etiam initium calamitatum quibus hactenus Anglia conflictata eſt, quæque adhuc eam affligant, & porro pergent affligere, Independentes ſibi vindicant. Per eos ſemina jacta ſunt perditionis quæ Eccleſiam & Rempublicam peſſundedit. Ab eorum doctrina infectus populus cœpit controverſiam regi mo-

movere de jure suo. Prima inde fundamenta substructa sunt rebellionis quæ insecuta est. Postremo, ubi potentiam sibi armis fecerunt, vi non solum libertatem Senatus oppresserunt, sed etiam regi vitam & regnum ademerunt. Quam boni & exoptandi sint cives & incolæ hujusmodi homines, viderint regna & Respublicæ, quæ nisi eos finibus suis exterminare omni modo laborent, ultimum exitium ab his sibi esse metuendum sciant. Volumen ingens esset condendum enumerare volentibus, quot hydris pullulet & fibilet ista excetra. Sed hoc non agimus. Docuimus supra etiam Idololatras Reges & Imperatores, à primitivæ Ecclesiæ veris Christianis honoratos fuisse & cultos. Isti ut Christianos Principes, immo & Reformatos, cum aliquo prætextu possint odisse & occidere, omnes pro Idololatris habent, à quibus sciunt sibi denegari regnandi libertatem. Duo sunt præcipuè quibus censentur, reges alios esse nolle sed regnum sibi velle, & omnium bonorum quæ ab omnibus possidentur Christianis, se justos & legitimos dicere possessores, utpote solos sanctos, & regni Christi in terris promotores & fautores unicos. Non igitur Regem Angliæ, quod malus esset supplicio affecerunt, sed eo ipso tanquam malum condemnarunt, quod rex esset, & rex quidem talis, qui tales sanctos in regno suo ferre non posset. Si quando isti sancti, aliquo Pauli testimonio urgeri se sentiunt pro regibus faciente, atque ubi veritati adeo firmatæ non possunt obstrepere, dicunt Apostolum Spiritu Sancto defectum ea tum posuisse de quibus nullam revelationem ex alto haberet. Toti autem sunt in revelationibus somniandis, expiscandis & explicandis. Nullam Scripturæ sacræ partem magis admirantur & recipiunt

cipiunt quam Apocalypsim. In ejus secretiore & penitiore sensu rimando noctes diesque consumunt, quam & interpretantur ex suo cerebro, & novas ἀποκαλύψεις hiantes è cœlo expetunt, quibus intima ejus penetrare ac revelare queant. Quantum possunt etiam in actum producere gestiunt fanatica, quæ commenti sunt ad eam, interpretamenta. De Draconum septem capitibus diadematis jam se unum defecuisse gloriantur, mactato rege Britanniæ Carolo. Expectant ut alii populi exemplum suum sequantur, & regibus à quibus regnantur occisis, cætera bestiæ capita diadomate regali redimita audacter amputent. Restare sex adhuc recidenda, Galliarum regis, Hispaniarum, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ. Et quod erit sextum? Imperatoris Germanorum an Turcarum? Illud potius. Nam Pontificios omnes habent pro idololatris, magisque favent Muhammedanis. Miseret me prorsus status Anglicani, non tantum propter immanem tyrannidem, quam rege sibi legitimo ablato sub alienis dominis patitur, sed etiam propter colluviem innumerabilium & multiplicium hæreseon, quibus inundatur, è quarum cœnosa & profunda voragine quando emersurus sit, Deus scit. Subit etiam miserari fatum infelicis regni, quod cum duæ sint sectæ inter Christianos, una apud Pontificios Iesuitarum, altera apud Reformatos Independentium, quæ doctrinam capiti regum infestam profitentur, utriusque rabiem miserè sensit. Sed ex altera pestem vix evasit, ex altera incurrit, inde Pater, inde Filius, reges. Sub Iacobo Lojolitæ conjuraverant pulvere nitrato subterraneis ædium cryptis abdito, in quibus Rex cum proceribus Senatus concessum habiturus erat, omnes ignis vi sulfurei disjectos ac dissipatos cum ipso

ædi-

ædificio in aërem mittere. Carolum ejus filium & ſucceſſorem Independentes eadem peſtifera diſciplina imbuti, non ſolum innocentem, ſed & pium regem, carnificis manu per juſtitiæ ſimulacrum trucidarunt. Quod ſucceſſum facinus habuit, non minus tamen ſceleratum habendum eſt, quam cui exitus defuit. Sed prioris conſpirationis autores furca ſuſpenſi fuere; poſterioris ſceleris duces hodie regnant. Credimus ergo Deum eſſe, aut vigilare? Immo credimus utrumque. Sed ſæpe ſane quo tardior eſt numinis vindicta, eo gravior nocentibus incumbit, & lapſu præcipitat profundiore, quos ipſe ad pœnam altius extulerit. Fiat, Fiat, ut vel impiorum judicio Deus abſolvatur, qui facti juſtitiam de proſpero eventu æſtimari defendunt. Quod faciunt Independentes, qui cauſam ſuam Deo placuiſſe ex continua ſerie ſecundorum ſucceſſuum, quos largitus eſt, gloriantur: immemores ſceleratis ſæpius quam bonis ex voto res fluere, ſed Deum tandem ultorem inſurgere, atque iræ ſuæ moram lentius in malos inardeſcentis, acerbitate ſupplicii penſare. Fiat, iterum Fiat. Tuque Deus exaudi.

CAPVT XI.

QVis capitis damnatus, ſit diximus: Nempe is quem, quia Rex erat, ne quidem accuſari à quoquam ſubjectorum potuiſſe docuimus, nec cujuſquam teſtimonio premi. Qui eum condemnarint quales ſint, etiam oſtendimus: Nempe illi quos tametſi Rex jure damnari potuiſſet, non ejus tamen judicandi jus aut poteſtatem habuiſſe conſtat. Et hi ſunt qui ex ſectæ ſuæ diſciplina, ne regum quidem innocen-

centissimum ferre potuissent, quia nullum ferunt. De tertia ergo juris quæstione jam tractandum, qua autoritate de Regis capite pronunciarint qui mortis sententiam in eum protulerunt. Vix quæstioni huic locum reliquit qualitas hominum qui id fecere, nec qualitas facinoris quod ab illis peractum est. Nam cum tales tale flagitium designarint, quale ipso facto fuisse demonstravimus, frustra quæratur quo jure autores facinorosi & impii id commiserint. Nisi si quis putet ad rem pertinere ut requirat, cum latro viatorem pecunia & vita spoliavit, qua autoritate eum trucidarit. Cum insita perfidia aliquem incitavit ad fidem frangendam, aut jusjurandum violandum, an autoritas facti petenda? Si quis libidinis suæ servus per vim stuprum matronæ intulit, aut nimis reluctantem telo confodit, quod incendente jecur libidine flagitium admisit, an aliquo jure aut ratione ad id faciendum, aut alio impulsore usus est, quam animo libidinoso? Vnusquisque vitium sibi innatum sequitur autorem ad scelera, quæ patrare destinat. Quis in rebellibus requirat autoritatem ad hoc scelus, præter ingenium contumax, refractarium, legibus inimicum & dominantibus infestum? Et minor quidem furor est, simplici rebellione defungi, regem suum bello persequi, in prælio resistentem interficere, captum in carcere vel veneno vel gladio vel laqueo necare. At cum perduelles subjecti jure cum suo Rege agere voluerunt, reum eum peragere, legem ad facinus committendum advocare, justitiam instrumentum injustitiæ reddere, Themimque ipsam ἀθέμιστον, ut Græci loquerentur facere, si facti ratio ab autoribus reposcatur, nullam queant dicere, præter perditæ profligatæque & omnibus

bus flagitiis vitiisque incoctæ mentis immanem væcordiam, cui nec honestatis, nec pudoris, nec famæ, nec religionis ullus respectus sit. Quibus omnibus, divini juris & humani legumque omnium contemptus & numinis ipsius derisio adjungatur. Ex pravitate quadam naturæ desperatæ, & audaciæ inusitatæ instinctu, quam insanæ ac pestiferæ doctrinæ virus adjuverit & ad hoc nefas impulerit, videntur in istam vesaniam præcipites dati Anglicanæ conjurationis rebelles. Quales sint jam superiore capite monstravimus, & quali disciplina imbuti ad hanc scenam desaltandam processerint, ut proinde videatur omnis cura interrogandi, qua autoritate tantum scelus aggressi sint, supervacua. Pro autoritate habent, impium & detestandum omnibus Christianis dogma, *Tyrannum occidi jure licere*. Ex duobus diversis hominum generibus hæc abominanda sententia mentibus Anglorum illapsa est, Iesuitis & Independentibus. Hinc & inde emanans, plurimorum etiam Presbyterianorum animos qui Insulam illam incolunt, & quasi geminis flabellis excitatus & insinuatus error, intravit. Hoc posito insanæ opinionis fundamento, quæ tyrannum statuit interfici posse ac debere, non difficile fuit omnis regiminis & omnium proinde Regum osoribus, adplicare id illi Regi quem perditum voluerunt, ut tyrannus esset. Si quis sit qui dixerit, canem rabie laborantem lapidandum esse aut mergendum, haud difficulter postea reperientur, qui canem suum pro rabioso lapidibus obruere aut in aquam præcipitare gestiant, si quando illi irati fuerint, aut eo carere quoquomodo velint. Independentes hoc sequuti sunt in Rege suo tollendo. Vbi semel persuasi sunt omnem Tyrannum omni ratione à Republica esse amo-

amovendum, non diu laborarunt ut etiam aliis conjuratis, sibique similibus nebulonibus persuaderent talem esse quem perdere destinatum habuerant. Sed homines pii, justi & sancti, non via pervulgata rebellium sibi eundem esse existimarunt in rege temere, ac sic ut fit, interficiendo, sed novum exemplum introducere voluerunt, de quo fama posset anus & hoc ævo & venturis sæculis loqui. Sine forma, ut ajunt, justitiæ & figura processus noluerunt eum è vita facere extorrem, sed ut sacros decuit Themidis antistites & sanctos Divæ Independentiæ Pontifices, Tribunal summum instituerunt, coram quo sisteretur accusandus & judicandus Rex ille quem pro tyranno mactare decreverant, quia tyrannus non erat. Sic locum quæstioni fecere quam nunc agitamus, qua autoritate homines scelerati & injustitiæ tyrannidisque satellites nefandi, justitiæ nomine abusi sint. Cur enim jus servire fecerunt injuriæ, & iniquissimum atrocissimumque omnium, quæ umquam ab ullis tyrannis patrata sunt, facinorum, velo æquitatis & judicii specie obumbrarunt? Si simpliciore insania hoc nefas exsecuti essent, non de eo nunc contenderemus, ut quo jure id ab ipsis factum esset, explorandum putaremus. Nam quis autoritatem requirat in scelere, cum ipsum scelus improbis instar sit autoritatis? Sed quoniam ad summum flagitium, hoc etiam flagitii fastigium & cumulum insuper addiderunt, ut tegere illud & amicire justitiæ operimento voluerint, ex ipsis post sceniorum sipariis hypocritæ in mediam theatri Orchestram protrahendi sunt, ut nefandi eorum sceleris scena aperiatur. Videamus ergo quem autoritatis fucum, aut quem juris colorem pro eo facto allegent, quo tyrannum, aliter quam semper mos fuit

tyran-

tyrannos à populis tolli qui tollendos eos crediderunt, ipsi vocatum ad judicium puniendum esse rati sunt. Antiquæ Græciæ civitatis tyrannos suos aut vi ex arce depellebant, aut si id non possent, dolo aggressos necabant. Nullum umquam in jus ad causam capitis dicendam vocarunt. Sed ponamus Britannicæ rebellionis autores, non Regi suo, sed Senatori uni ex domo nobilium, ob crimina perduellionis, vel læsæ Majestatis, aut proditionis, diem dixisse, & ad cognitionem talium criminum & animadversionem nocentis Tribunal erexisse, coram quo sisti accusandus & judicandus deberet. Tum sane si in eo erigendo & judicibus eligendis in personam talem & ob talia delicta, aliquid contra leges & jus patrium fecisse viderentur, merito quæri posset qua autoritate hoc ab illis factum foret. Primum quæreretur an ejusmodi homines qui ad cognoscendum de causa & capite ullius Senatoris selecti essent, judices esse competentes videri possent atque idonei. Deinde an illi ipsi quorum jussu ad judicandum convenissent, quique eos delegissent ad hoc munus, hanc potestatem habuerint. Vt id in hoc judicio sciatur videndum est qui dati sint judices, & qui eos dederint. Dati sunt partim ex domo plebeiorum, partim ex militum numeris. Ponamus vel totam domum inferiorem ad hoc judicium faciendum fuisse delegatam, vel ipsam per se domum id suscepisse. Si per se id suscepisset, contra leges Regni & potestatis suæ terminos, ac autoritatis mensuram hoc fecisset. Numquam enim id juris habuit, ut vel de unius civis ex media plebe fortunis aut capite cognoscere posset. Superioris domus solius in qua proceres regni consessum habent cum Rege, hæc jurisdictio fuit, ut de proceribus, id est paribus & æqua-

æqualibus ſuis cognoſcerent, ſi quando proditionis aut læſæ Majeſtatis inſimulantur. Nam eorum cauſæ ab ipſis dominis, qui Parlamenti ſuperiorem domum componunt, examinantur & judicantur, ut tradit Richardus Cromptonus in libro de Parlamentis, & alii qui de rebus & judiciis Angliæ ſcripſerunt. Si per ſe domus inferior non habuit id juris ut de Senatoris capite cognoſceret, quamvis nullo de ſuis abſente & integra ad hoc conveniſſet, utpote quæ nec in civem de media plebe quemlibet hanc licentiam potuerit uſurpare, quid dicendum de parte ejus tantum exigua? Ea pars igitur id ſibi non potuit ſumere quod nec toti licuit. Ab alio hanc poteſtatem accipere ne quidem potuit. Nam quis poſſet dare? Non ſane domus tota. Quod enim non habet ipſa, dare aliis nequit. Non domus ſuperior, nam tunc nulla fuit, utpote abolita. Si manſiſſet, ipſa quidem in caput Senatoris potuit animadvertere, qui reus ad eam delatus eſſet, ſed eandem poteſtatem domui inferiori non potuit mandare, nec juriſdictionem ſuam alteri delegare, cum ipſa quaſi delegatam à Rege habeat, ſine quo tanquam capite ſuo præſide ac principe, jus facere ac leges ferre non poteſt. Cum his autem judicibus è domo inferiori ſelectis juncti etiam judices fuere ex cohortibus militaribus ſumpti. Nunquam militum fuit judicare, quorum proprium eſt pugnare. Conſilio quidem de rebus militaribus cogendo intereſſe poſſunt. At nulla in Republica, umquam, nec Regno, nec Optimatum ſtatu, militibus jus fuit de cauſis civium aut Senatorum diſceptationem audire, aut crimina eorum judicio capitali expendere. Legibus Romanis militaris Iudex de cauſis criminalibus aut civilibus paganorum, id eſt eorum qui milites non ſunt, ju-

dicium habere non potest. Leg. 11. Cod. *Si à non competente judice judicatum esse dicatur*, diserte habetur. Si militaris Iudex super ea causa de qua civilibus actionibus disceptandum fuit, *non datus à quo dari poterat, cognovit, etiam remota appellatione, id quod ab eo statutum est, firmitatem judicati non habere.* Multo minus firmitatem haberet, si de capite civis ageretur, cujus cognitionem sibi vindicaret Iudex militaris. Quanto etiam minus in Senatorem, qui sit ex domo superiore Procerum, quam *Domum Dominorum* appellant, hæc militaris daretur licentia? Qui sunt autem illi qui dederunt, ut constet an autoritatem dandi habuerint? Nam etsi quis dandi judices potestatem habeat, & possit jubere judicare, eos tamen ad hoc debet nominare & legere qui idonei sint, & capaces judicandi. Quid enim si infamibus hoc jus mandaverint? Quid si legum imperitis? Quid si ære alieno obrutis & egenis? Quid si denique vilibus personis & sellularias artes & turpes exercentibus? Certe quamvis is qui tales dederit dandi potestatem habeat, si idoneos & competentes dedisset, non illi qui tales dati sunt autoritatem judicum habere possunt, nec judicandi jus. Quid si autem tam ii qui dederunt, quam qui dati sunt autoritate careant & tam illi inhabiles ad dandum quam hi ad recipiendum censeri debent, an ulla per hos redditi judicii autoritas esse potest? Hoc verò est in quo nunc sumus. Duæ erant in Anglia potestates legitimæ, major altera, altera minor; illa Regis, hæc Parlamenti. Nulla erat præterea cui judicis dandi jus competat. Ne Parlamentum quidem id habuit, quamvis domus ejus superior quæ Nobilium erat, judicialem obtineret potestatem, quæ non erat in domo inferiore. Solus rex igitur qui jurisdictionem habet

bet suo jure, non alieno beneficio, eam autoritatem possidet quæ judices dat & judicare jubet, aut magistratus omnes creat qui judicia exerceant. Ab eo omnis juris dicundi & judicandi potestas manat. Eam quibus vult mandat, & delegatos etiam quando libitum est submovet, si male se in judicando aut magistratu gerendo gesserint. Et hoc jus habere reges Angliæ, omnes qui de juribus & privilegiis prærogativisque Coronæ Anglicæ scripsere, testantur. Hoc jus ne Parlamentum quidem cum utraque sua domo potest sibi arrogare. Sed nec Parlamentum ex utraque domo compositum hos judices in Senatoris, quem fingimus, caput sessuros dedit, non superior domus Parlamenti, sed milites, sive duces militum. Vnde hæc igitur potestas istis data, aut à quo? An leges regni hoc illis dederunt? An Rex ipse? Manemus adhuc in ea ἀπορίᾳ, quasi de Senatore tantum judicando quæstio fuerit. Duces ergo exercitus jam facti sunt supremi Angliæ judices? In Senatores animadvertunt, Parlamento & Rege ipso exclusis & hac potestate privatis? Summum ipsi tribunal justitiæ instituunt ad cognoscendum de Senatus supremi membris, de regni consiliariis, de optimatibus omnibus? Milites igitur qui jussu Senatus conscripti sunt, qui quo imperatum erat eo ordinante vadere debebant, qui arma ad ejus libitum ferre, qui stipendia sua ab eo accipiebant, mercenarii Parlamenti, repente domini ejus evaserunt, judices, reges? Duo sunt omnino in Anglia Tribunalia quæ de causis perduellionis, læsæ majestatis & proditionis cognoscendi jus habent, *Bancus Regius*, qui sic vocatur, quod est Tribunal Regium, & Parlamentum. Sed Parlamenti jurisdictio fuit de solis paribus Regni, eaque pe-

nes solam domum superiorem quæ domus est parium & dominorum. Tribunal vero regis cognovit de omnibus aliis personis quæ his criminibus tenentur. Inauditum autem prorsus, ut talium criminum inquisitio & judicatio penes milites aut exercitus duces steterit. Ita qui ne judices quidem per leges Angliæ & jus omnium gentium legitimi & competentes esse poterant vel minimi de plebe opificis, nunc judices etiam summos constituunt, qui de Senatoribus capitalem ferant sententiam? Quid dico Senatores? Quamvis hoc magnum esset & in militibus intolerandum, longe majus est quod ausi sunt, & omnium sæculorum & populorum detestatione & execratione dignum. Milites, qui nec de cerdonis vita judicium legitimum, justum, validum reddere potuerunt, Regem ipsum capitis damnarunt? Ad eum condemnandum judicum à quibus appellari non posset, consessum instituerunt? Hanc illis potestatem dederunt, quasi ipsi haberent, qui non solum Regi subjecti, sed ipsi etiam Parlamento esse debuerunt, si tam boni essent Christiani quam se Reformatores etiam Reformatorum esse venditant? Et quæritur jam qua autoritate id fecerint, qui pro autoritate solam audaciam ostentarunt ad omne flagitium pronam, & ad illud scelus quod omnia quæ umquam facta sunt ab hominibus sceleratissimis longè supergressum est? Rex optimus & meliore fato dignus, cum ad illum sanguinarium consessum accusandus pertractus esset, & coram illis barbaris & molossica feritate præditis judicibus staret, & pro se loqui, seque defendere, ipse juberetur, causamque capitis dicere, unum ab ipsis petiit, ut sibi dicerent, qua autoritate ad eos esset adductus tanquam reus, cum Rex eorum esset legitimus. Viderent

derent quid agerent. Ne in captu suo sanguinem innocentis, & quidem Regis, arcesserent, nec in gentem universam justum Dei judicium provocarent. Vbi edoctus foret qua autoritate reus ab his fieret & ad causam capitis dicendam coram his vocatus esset, tum se ad objecta sibi crimina responsurum. Illi cum nullam legitimam possent ostendere, satis esse putarunt de ea quam vi sibi fecerant, latronum more, testari. Et cum pluries à Rege de hoc essent interpellati, responderunt semper sibi suam sufficere autoritatem, debere quoque illum eam admittere & adprobare. Non aliud latro responsum daret viatori ipsum interroganti quo jure post pecuniam ablatam, vitam quoque sibi eripere postularet. Latrocinandi propositum hanc illis dat autoritatem qui vias insident, ut mercatores spolient & interimant. Sed Anglicani latrones viarum infesſoribus & ficariis ut se justiores esse probarent, roganti talia Regi etiam aliud pro responso addiderunt, *Hanc Dei esse autoritatem & regni.* Ad latrocinium nimirum etiam blasphemiam adjecerunt, qua Deum autorem infandi parricidii facere conati sunt. Sed unde didicerunt, autoritate divina se ad hoc scelus fuisse impulsos? Vt prophetæ sunt omnes, an spiritum sanctum per auras hæc sibi à Deo mandata deferentem acceperunt? An vocem divinam ex aëre editam auribus hauserunt? An vero somnii visu ac monitu tale oraculum susceperunt, quo juberentur in Regem suum rebellare, eumdem captum incarcerare, & de carcere extractum ad judicium vocare accusandum & capitis damnandum? Idem divinum & propheticum oraculum dedit quoque iis autoritatem hostium & rebellium personam in judicum habitum commutandi, & hostilem, quem

in Regem sumpserant animum, & omnibus factis talem semper ostenderant, convertendi in æquorum & justorum assessorum sanctam & incorruptam religionem. Sed bene est quod aliam rationem adjunxerunt, *Hanc quoque esse regni autoritatem.* Iam tenemus mendacii manifesti convictos egregios Prophetas & sanctos viros, & fideles Dei servos. Possunt igitur aliquid afferre quo probent legem in regno fuisse, quæ Regem accusari permitteret & judicari coram tribunali summo justitiæ, quod duces militum constituissent, conflatum partim ex militum tribunis & centurionibus, partim ex imperitæ & stolidæ plebeculæ hominibus vulgaribus. Qui nunquam per leges regni ullam habuere judicandi vel de infimo opifice, immo ne de ullo quidem carnifice, autoritatem, repente in hanc novam scenam prodierunt judices non planipedes, nec imi subsellii, nec pedanei, sed cum summa animadvertendi potestate in caput Regis ipsius. Et hæc *autoritas regni* vocatur à perduellibus Regis. Sed non meminerat Advocatus eorum Cocus, hæc tum ad Regem dixisse præsidem latrocinantis conventiculi, quo tempore ipse ille præses confessus est nullam legem in regno esse Angliæ scriptam quæ crimen læsæ Majestatis intentari Regi sanciat. Si verum hoc est quod Cocus dixit, ut indubitate verum est, cur *autoritas regni* vocata est tum à præside judicii ea autoritas qua Rex tanquam reus læsæ Majestatis citatus est ante illum consessum, & pro sonte tali criminis capite obtruncatus. Hæc inter se pugnare nemo non videt. Sed ideo Cocus addixit nullam olim legem ab Anglis sancitam fuisse, quæ Regem postulari hujus criminis juberet, quia non credebant quempiam Angliæ regem tam per-

perditè ſtolidum futurum in ſæculis ſequentibus, ut bellum inferret Senatui & Populo. Et ſanè hæc pro ſano ſcripſit Cocus. Nemo enim revera tam ſtolidus & ſtolide ſtultus rex umquam extitit, neque exiſtet, qui populo ſuo bellum moveat, eo modo quo in hoſtem exterum exercitum moveret, non aliam ob cauſam quam ut fines imperii dilataret. Ne nunc quidem Chriſtiani principes vicinis ſuis principibus, aut rebuſpublicis, ulla ex cauſa bellum inferre debent, niſi prius ab ipſis injuria laceſſiti. Nam vim vi licet repellere, non vero vim inferre nihil novi agitantibus & quietis, quæ injuſta arma forent. Ea verò non injuſta tantum eſſent, ſed etiam inſana, ſi quis principum ſubditos morigeros, & ad obſequium promptos bello & armis vexaret. Nonne eodem hic princeps genere inſaniæ & phrenitidis laboraret atque ille qui membra ſua ſibi ferro proprio ſecaret? Non idem de illo Rege ſentiendum, qui ſubjectos contra ſe armatos armis vellet compeſcere, & rebellantes reprimere. Non enim aliter ageret quam qui putridum & corruptum ſibi membrum chirurgi operâ curaret reſecandum, aut vomicam lethalem ferro aperiendam. Hic verò eſt caſus, quo Rex Angliæ Senatui & populo ſuo bellum movit, non novum inferens, ſed motum contra ſe à populo & Senatu repellere ac retundere cupiens, & rebellionem ſubjectorum ulciſci conatus. Quo in propoſito ſi bona ejus cauſa non parem habuit fortunam, ſed mala triumphavit, non id novum nec inſolitum. Plena ſunt veterum hiſtoriarum monumenta exemplorum, quæ victrices partes peſſimas & deteſtandas fuiſſe oſtendunt, cum victæ fuerint optimæ ac laudatæ. Sed quod hos ſucceſſus in argumentum trahunt perduelles favoris divini, quaſi Deus

pro eorum partibus steterit, hac eadem ratione probare etiam posset, Muchamedem justissimam causam, & sanctissimam habuisse religionem, qui ab initiis parvis, perpetuo secundorum eventuum tenore, maximam & florentissimam orbis Christiani partem armis subegit, & fidem infidelitati succumbere coëgit. Hoc autem novum & prorsus inauditum, quod rebelles victores regem quem vi & armis in suam potestatem redegerunt, forma etiam ac more judiciali condemnare ad capitis supplicium voluerunt. Romani ne in hostes quidem exteros, postquam eos cepissent & triumphatos per urbem traduxissent, hoc genere crudelitatis & contumeliæ usi reperiuntur. Aut enim in custodia libera eos vivere sinebant, aut si talia eorum essent merita, carceri mancipatos secreto necabant, non per theatralem & ignominiosam pompam publico spectaculo expositos, longe, quam mors est, pejore mortis genere examinabant. Saniore profecto dementia & venia digniore peccassent rebelles Anglicani, si simpliciter essent professi hoc se fecisse ad ludibrium justitiæ, Dei contemptum, & contumeliam Regis majorem. Quod quidem esse verissimum constat, sed non minus verum est eos se æterna infamia traducendos toti mundo orbi & omni ævo venturo dedisse, omniumque populorum execratione detestandos, hac judicii iniquitate, cui nulla par unquam, nec erit. Mitto quod Regem suum, mitto quod innocentem sic judicarunt, sed quod eo modo, ea forma procedendi & agendi & judicandi, qua quemlibet vel nocentissimum & gravissimorum criminum convictum probassent insontem. Cum apud Romanos sortitio judicum fieret in reum damdorum, ubi nomina eorum edita erant quos sors de-

dedisset, tum licebat reo quos ex iis vellet rejicere, ut infamia notatos, pretio corruptos, vel gratiæ in accusatore suspectos, sed præcipuè quos sibi inimicos esse diceret, aut quorum cum patre inimicitiam exercuisset. Hoc secundo fiebat, ubi altera sortitione, quæ subsortitio dicebatur, numerum judicum tam ab reo quam ab accusatore rejectorum suppletus fuerat. Hoc etiam juris in Anglia moriſque in judiciis obtinuit. Nam si reus capitalis noxæ crimen inficiatur, solet interrogari quomodo judicari velit. Vbi respondit, quod utique respondere tunc necesse habet, causam suam Dei & populi judicio examinari se velle, tum Scriba eum interrogat, an ex eo numero judicum qui in ejus causa sessuri sunt, quique populum referunt, aliquis sit adversus quem aliquid possit objicere. Spectaret verò & consideraret attentè dum liceret, agi enim de vita ejus ac nece. Cur hoc Regi non licuit, quod privato licitum esse omnia jura semper voluerunt, etiam Anglicana? Nam quid injustius est quam dare judicem hosti ipsum hostem, præcipue apud eos qui justitiæ supremum tribunal se erexisse jactabant? An ullum jus est quo liceat, ulla gens, in qua liceat hosti in hostem suum judicem sedere? Atqui hic in Anglia factum est. Et tamen Cocus eorum advocatus in sua Declamatione sive Provocatione non dubitavit affirmare, supremum illud Tribunal quod militum duces in Regis caput statuerunt; *Simile esse magno illi Dei judicio, cum venturus est ad judicandos vivos & mortuos.* Quæ horrenda blasphemia mille ictibus cruciabilis & horribilis alicujus tormenti ad mortem meritam debuit autorem perducere. Qui vero certiores Regis hostes quam subditi rebelles, qui armis contra eum nefa-

riis sumptis bello devictum ceperunt, captum carceri manciparunt, & judicandum iis tradiderunt, qui judices ejus esse hoc ipso non poterant quod hostes erant? Si ergo inimicos suos antiquo novoq; more & jure judiciali rejicere debuisset ex illo pestilentiæ consessu, non unum aut alterum recusasset, sed una litura omnes. Nam quis in illo conventu non hostis Regis acerrimus consedit? Selecti ad hoc fuere. Rejecti sunt quicunque mitiores aut æquiores futuri videbantur. Ideo primum totam superiorem domum procerum sustulerunt, quæ tamen sola semper judiciario munere fungendi jus habuit, cum inferior numquam ad hoc munus admissa fuerit, de qua tamen sola judices in Regem sumpti sunt. Deinde ex hac ipsa inferiore domo, certos quosdam decerpserunt, quos immortali in reges & regna odio flagrare cognoverant, ut eos in istud judicium introducerent. Non ii enim tantum qui hostes Caroli peculiares fuere in Carolum judices dati sunt, sed etiam illi qui ad reges quoscunque & qualescunque pro sectæ suæ disciplina ex gentibus abolendos & exterminandos animati videbantur. Hi si sub regno Elisabethæ nati essent, Elisabetham reginam eodem loco habuissent, quo Regem Carolum. Nec aliud de Eduardo bono statuissent, si vivere tunc illos contigisset, aut si Eduardus pro Carolo rex eorum hodie fuisset. Mirum profecto est eos qui testimonio suo vel minimum civium lædere non potuissent testes in eum producti, & inimicitiam cum illo habuisse comperti; Regem ipsum cujus apertissimi, professissimi, flagrantissimi & animosissimi hostes fuere, sententia sua ad mortem condemnasse, judices in illum datos. Sed à quo dati sunt? An ab illis qui dandi jus habebant? Populus ergo dederit, in quo supremam

pote-

potestatem originaliter residere tanta vi pertendunt furiosæ rebellionis scelerati duces. Certe aliunde quam à populo secundum eorum doctrinam hanc jurisdictionem accipere non potuerunt. At isti postea rursus illam delegarint judicibus selectis, à quibus Rex judicatus est. Atqui jure quod semper & apud omnes obtinuit delegatus ab alio judex, alterum delegare non potest judicem, ut habetur Leg. v. Cod. de Iudiciis: *A judice judex delegatus judicis dandi potestatem non habet.* Nempe ab eo judice qui jurisdictionem habet suo jure, non alieno beneficio. Is autem Rex est, aut summus Reipublicæ magistratus. Atqui constat duces exercitus rebellis cum tribunis & centurionibus qui consilium militare constituebant, eam summam Iustitiæ *Cameram*, ut vocant, erexisse ad Regem quia bonus erat, & ad alios regni Proceres hoc objecto crimine solo quod Regi suo fideles extitissent, judicandos. Quis ergo hanc potestatem his ducibus dedit, dandorum judicum? Aut eam à se habuerunt, & suo jure, aut alieno beneficio. Si à se habuerunt, recte quidem sic judices illos delegarunt, cum à nemine ipsi delegati forent. Ergo in Anglia milites summum semper imperium obtinuere non solum in populum, sed etiam in Regem & Parlamentum. Quis vero hoc unquam audivit? Ne ipsi quidem id sibi sumunt, sed in populo hærere, ut in origine sua, summam imperii potestatem autumant. Ergo à populo jurisdictionem acceperunt. Si ita est, delegandorum judicum potestatem habere non potuerunt, cum ipsi essent delegati. Præterea quomodo, aut quando, hanc facultatem accepere à populo? An populus legem aliquam sanxit, non regiam certe illam antiquam, sed militarem istam novam qua

suum jus in istos militum duces transtulit? Sed ubi ea lex? Quis deinde populus, aut quæ pars populi hoc fecit? Si per populum, ut diximus, intelligunt plebem ipsam, & eam populi partem quæ domum inferiorem Parlamenti constituebat, nullo jure illa id dare potuit, quod ipsa non habuit. Numquam enim judiciarium munus exercuit; nec ullam umquam jurisdictionem suo jure administravit, ac ne delegatam quidem. Deputati erant Civitatum qui ad Senatum ex comitatibus Angliæ mittebantur, postquam mandatum de hoc à Rege cujusque Comitatus Vicecomes accepisset. Si aliquam habuissent juris dicendi facultatem, ab urbibus suis eam mutuati essent, à quibus missi erant, sed tunc ea delegata jurisdictio fuisset, & propterea non aliis eam dare potuissent. Tunc enim plus vice simplici delegati fuissent, & propterea non alius eam dare potuissent illi judices qui Regem condemnarunt. Nam à ducibus militum eam potestatem nacti essent, qui eam à delegatis urbium accepissent mutuam. Quodcunque horum fuerit, sine autoritate fuere. Sed ponamus domum illam inferiorem plenum jus jurisdictionis habuisse, & eam militum ducibus delegare potuisse, qui & ipsi alios judices delegatos ad Regem & Proceres judicandos dederint. Quæ omnia cum à jure & æquitate longe absint, ea ponamus tamen. Oportuit domum ipsam quæ id jus dabat quod ipsa non habebat, sed quam habuisse fingimus, integram omnibus numeris & partibus fuisse, non mancam, non mutilam, non præcipua & meliore sui parte defectam. Quadraginta quinque ex his in carcerem conjecerant, centum duobus minus ab ingressu Curiæ excluserant. Multi alii metu territi ac fugati sponte abfuerunt. Si quæratur

quo

quo jure aut qua autoritate hæc fecerint, eadem respondebitur qua in Regem, ex militibus & plebeiis conflatum justitiæ tribunal, constituerunt. Atqui ne tota quidem illa domus & omnibus suis membris constans id potuit facere, ut vel ipsa de Rege judicandi jus sumeret, aut aliis daret. Quanto minus ergo id juris habuit tot numeri sui partibus diminuta? In omnibus olim dicasteriis apud Græcos & Romanos, quod & hodie in nostris obtinet, semper obtinuit, ut certus numerus judicum in his esse deberet, ad judicium legitimum ferendum, & sententiam quæ autoritatem haberet, pronuntiandam. Nam si vel unus deesset ex illo stato numero, firmum non habebatur quod esset judicatum. In Galliæ Parlamentis ad minimum septem esse debent, ut fiat Senatusconsultum in singulis, ut vocant, Cameris. Alibi decem. In Anglia duodecim. Vnde *duodecimviri* ibi appellantur. Inter Eirenarchas Angliæ quos Rex ad res disceptandas & reos judicandos constituebat numero triginta aut quadraginta, certos ex illis nominabat quos semper adesse oportuit judicio. At in illo judicum consessu, qui regem condemnarunt, nullum Iudex fuit qui esse deberet. Ex eâ domo sumpti sunt aliqui judices quæ tota & integra nulla sui parte diminuta, juridicam potestatem non habuit. Ex domo superiore, quæ eam habuit nemo sumptus est. Ea ut dictum est, ex Episcopis Abbatibus & aliis Regni Proceribus constabat. Non à civitatibus deputabantur nec à provinciis, sed singuli eorum regio mandato vocabantur, cui jus fuit quoscunque vellet evocandi. Qui ex hac domo erant, & hoc jus habebant pro dignitate illius domus, non poterant, si deliquissent, ab aliis judicibus condemnari. Hæc Curia *Parium* fuit; qui

non judicabantur nisi à paribus, id est collegis suis. Unicuique autem hominum conditioni suum forum & sui judices fuere semper in omnibus fermè Rebuspublicis ac Regnis assignati. Catholicon Romani juris est, *Actorem debere sequi forum rei.* Quod nullum esset, si unum omnibus & commune forum foret. Senatores olim à solo Senatu, cujus pars erant, judicabantur. Nunc quoque idem fit in Gallia & aliis regnis. Parlamentum Parium Parisiense est, quod competens & commune forum est omnium, qui pro dignitatis qualitate quam obtinent, non possunt ad aliud judicium vocari, si de capite eorum agatur. Senatores quoque non aliud tribunal agnoscere tenentur, si capitalis criminis rei fiant, quam ipsum Senatum in quem fuere cooptati. Nobiles etiam suum & competentem judicem habent, & plebeji suum. Qui *Balivus* in urbibus Galliæ dicitur, nobilium judex est. Romæ Ædilis olim de causis lenonum & meretricum cognoscebat. Prætor coram Quæstore conveniri non poterat, nec Consul coram Prætore. Sed Consul, ut major potestas, in hos omnes judex sedebat. Ipse ut coërceretur aut & puniretur, si deliquisset, vel à collega Consule, cui extra ordinem Senatus hanc potestatem dabat, judicari debuit, vel etiam Dictator ad hoc dici ab altero Consule, qui summum imperium in omnes ad tempus habebat. Præsides in Provinciis pedaneos judices dabant, qui de minoribus negotiis litigantes audiebant, & personis vilioribus jus reddebant. Milites suum pariter habuere judicem, id est militarem, cui de civibus cognitio erat interdicta. Certos judices semper ad res certas, & incertas personas, constituros fuisse constat. Hinc competentis & incompetentis judicis differen-

tia, qui pro qualitate personæ de qua agitur, aut idoneus est aut non idoneus. Competens cuique est, quem & *suum* dixere, id est sibi proprium, commodum & convenientem. Legibus Romanis & constitutionibus Principum sancitum fuit, sententiam à non suo judice dictam, id est à judice incompetente, non valere. In leg. v. Cod. Si à non competente judice judicatum esse dicatur, hæc verba habentur: *Et in privatorum causis hujusmodi forma servetur, ne quemquam litigatorum sententia non à suo judice dicta constringat.* Quanto magis in publicis causis & capitalibus judicibus id obtinere debuit? Leg. 11. Cod. eodem. Datus judex à quo dari non debuit, aut non datus à quo dari potuit, & militari in causa à non militari, etiam citra appellationem, *quod ab eo statutum erat, firmitatem judicati non habebat.* In Regno Angliæ per leges illius regni, Optimates & Proceres illius status, ut sunt Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones, non possunt alios habere judices præter illos qui sibi sunt dignitate pares, ut ejusdem curiæ consortes & participes. Hi *sui* sunt illis & competentes. Ab aliis lata contra eos sententia constringi nullo modo debent. Nunc vero, si regem non aliter consideremus, quam ut caput illius curiæ Procerum, præsidemque ac principem Senatus, quem dabimus illi judicem suum? Cujus sententia eum competenter constringet, si judicandus fuerit & damnandus? An milites vel duces militum, qui non possunt disceptare nisi militares causas, nec de personis aliis quam quæ militiæ sacramento obstrictæ sunt cognoscere? An domus inferior deputatorum urbium, qui nec ipsi umquam de capite minimi vel vilissimi civium potestatem decernendi habuere, utpote

qui

qui judiciario munere nunquam functi sunt, nec fungi possunt? An ex utrisque compositum judicium, id est, militibus & plebeiis, de Regis capite jure statuent, qui de nullo statuendi jus habent? Enimvero si Rex judicem suum habere, & ipse judicari potuit, non oportuit aliam in eum sortitionem fieri judicum, quam quos nobilibus suos, & competentes esse legibus regni definitur. Nec enim causa est cur minore prærogativa censeatur dignus, qui nobilium caput est ac princeps, quam quilibet Procerum illorum, quos dignitate saltem primatus præcellit. Qui potior est autoritate, cur privilegio esset inferior? Id contra rerum naturam foret & rationem, sensumque communem omnium hominum. Nunc videamus an & isti Proceres Regi suo *sui judices* & competentes esse possint. Dignitates suas hi omnes à Rege consequuti sunt. Nullus est inter hos Ducis titulo insignitus, nullus Comes, nullus Baro, quin à Rege vel codicillis honorariis vel rescripto hunc gradum adeptus fuerit & honoris titulum. Præterea quascunque possessiones habent fundorum, eas tenent in feudum à Rege & sub rege, cum eo nomine *ligii* sint & *vasalli*, ut juris illius quod Romanis ignotum fuit, vocabula usurpemus. Vnde & in litteris, quibus Rex evocabat proceres ad Parlamentum, hæc verba fuere solemniter posita, *Vobis sub fide & ligeantiis quibus nobis tenemini firmiter injungentes mandamus ut personaliter, &c.* Cum fideles ergo sint omnes regis, & nomine dignitatum quas beneficio regis obtinuerunt, & ex causa patrimonialium feudorum, quæ ejusdem munere possident, nulla ratione & nullo jure fieri potest, ut tam Vasalli de Rege judicium ferant capitis, quam servi de domino, aut clientes de illo cujus in ditione & clien-

tela

tela sunt. Dignitates autem illæ, de quibus diximus, aut honorariæ sunt, ut hoc tempore omnes ferme esse constat, aut patrimoniales & feudales sub titulis Ducum, Comitum & Baronum possessæ, ut olim fuere. Vtrumque genus à Rege, tanquam à causa sua & origine. Certe Rex dominus est summus omnium feudorum quæ in Anglia possidentur, quocunque titulo teneantur, jamdiu à temporibus Guilielmi Conquæstoris. Tantum vero abest ut Vasalli, id est Duces, Comites & Barones & Equites, Regis, id est domini sui, judices esse, & eum capitis damnare jure possint, ut ne quidem ejus accusatores & delatores esse queant, quin feudum amittant. Ingratus in dominum vasallus, perfidus, contumax, contumelioso in feudo excidit, quod ad dominum revertitur eo casu, non ad liberos suos. *Fidles* dicebantur ejusmodi Vasalli, quia fidem domino promittebant, interposito jurejurando. Fideles quoque subditi regis vulgo vocabantur ab eadem fide cum sacramento promittenda & præstanda. Qui utrumque sunt, & subditi & vasalli, duplici fidelitatis sacramento obstricti tenentur, ut fuere Equites qui feuda Equestria possidebant in Anglia, & alteri omnes dignitates, quas supra recensimus, Ducum, Comitum & Baronum. Hæc tamen differentia fuit fidelium, sive feuda sub rege & à rege tenentium, quod alii jurarent fidem, alii non jurarent. Vtrique tamen feudum amittunt, si contra dominum aliquid admittant. In conventu judicum qui de Regis capite pronuntiarunt, aliquot Equites fuere. Hi vel Equestria feuda possidebant, qui eo nomine fidelitatem regi debebant, vel Equestri dignitate ab eo fuerant donati. Neutro modo potuerunt in regem judices sedere,

cum

cum duplici vice ad fidem regi ac obsequium præstandum obligati essent, & quod subditi, & quod vasalli. Quis ergo judex erit suus Regis? An Populus? Si populus regis, etiam illorum, qui solo rege minores maximam in regno obtinent potestatem & dignitatem, quique domum Parlamenti superiorem constituunt. Ergo non solius regis, sed etiam Parlamenti ipsius dominus & supremus arbiter populus erit? Ergo populus, ut regem elegit, ita etiam Parlamentum? Quod tam falso asseverant duces exercitus rebellis, quam verum est ipsos esse nequissimos ac perditissimos perduelles. Ergo populus erit dominus omnium feudorum & feudalium patrimonialiumque dignitatum quæ in Anglia tenentur? Vasalli, cujuscunque generis & conditionis, in eum solum peccabunt, & felloniam, quam vocant, committent, si ingrati aut perfidi in eum extiterint? Quod quam absurde, stulte & falso dicatur, omnes vident. Nemo igitur in populo nomine populi intelligetur, nisi cerdonum & opificum turba? Duces, Comites & Barones non erunt de populo? Populus iste rex erit? Principes & optimates populi erunt ejus subjecti & servi, cum suo rege, id est suo capite? Quod asserunt novatores & Independentiæ prophetæ Regem a populo eligi, & Parlamentum ab eodem constitui, velim scire an magnates & proceres illi de quibus diximus, nullam partem in ista electione regis habeant, utpote qui pars populi non sint? Quo in numero igitur, aut loco, hærebunt, si ne quidem in populi appellatione partem sine habuit? Si negare non possunt & eos populi particulam esse, an negabunt ad eos quoque pertinere jus eligendi regis pro sua virili portione? Si id concedant, cur mihi non dabunt, in eo quoque

que abdicando debuisse suffragium ferre? Cur, cum Rex ab universo populo omnium suffragiis debeat sumi, si de eo destituendo aut amovendo agatur, non id etiam fiet unanimi omnium consensu? Sæpe ad magistratum eligendum, tam civilem quam Ecclesiasticum, major numerus requiritur, quam ad eum abdicandum. Quid ergo nobis commenta sua fanatica obtrudunt, quibus & populum seducunt, dum populo potestatem tribuunt regem constituendi & eligendi, & populo denegant ejusdem [illegible]ovendi arbitrium? Non enim populus [illegible]nisi totus. Militum duces regem perdiderunt: An illi sunt qui elegerunt? An milites populum faciunt soli? Optimates à populi notione & nomine removebuntur, & eam totam milites in se suscipient, ubi de rege submovendo quæstio movebitur? Numerus iste militum vix millesimam partem populi Anglicani constituit, quid fiet reliquis partibus? An millesima pars plus quam cæteræ valebit, & populi universi appellationem justius merebitur, quam omnes reliquæ, tam in constituendo rege quam in destituendo? Quis hanc potestatem militibus dedit? Natura, an sors, talem habuere, & originaliter conditioni suæ inhærentem possident? Si autem facti sunt cum antea non essent, oportet eos ab aliqua majore potestate factos esse. Si Rex non est qui eos fecit, ergo populus est qui & regem simul & Parlamentum ejus constituit. Ergo & universo populo tam potestate quam numero minores sunt, cum militiæ sacramentum populo dixerint, & tanto plures sint. Quæ igitur ratio, ut potestate & numero inferiores, quique ipsi id quod sunt à populo acceperunt, plus possint quam sui superiores & domini, tam in rege eligendo quam in abdicando? Nam, ut

dixi,

dixi, eadem & eorundem autoritas debet ad abjiciendum regem valere, & ad eligendum, vel ipsorum concessione. Si populo dant potestatem regis & parlamenti eligendi, & cum videbitur abjiciendi, videant ne in se quoque parem attribuant eidem populo autoritatem, & majore quidem cum ratione. Nam quid sunt milites præ Rege & Parlamento? Quis umquam dubitavit quin subjecti sint, immo & mercenarii, utriusque potestatis Regiæ & Parlamentariæ? Ergo cum ad sanitatem suam revertetur populus, & pœnitentiam nefarii facinoris eum percipiet, tum exercitum illum rebellem, & Regi ac Senatui totique regno perniciosum & exitialem, decimatum puniet, ducesque ejus ita meritos in crucem tollet. Quis tunc non fatebitur justitiæ divinæ populum litaviſſe, cum talem pœnam merentes videbit expendiſſe? Alia etiam ratione perpendamus quantum à jure alienum ſit quod egerunt perfidi latrones. Si Rex Angliæ, id eſt ſuus, regno expelli ac vita merebatur, juſque illi habuerunt duplicem hanc vindictam de eo ſumendi, quid juris habuerunt in Regem Scotiæ & Hiberniæ? De quo poterant ſtatuere quod volebant, cum eum in poteſtate haberent, regnumque Angliæ illi adimere in quo plus valebant, ſed cur vita illum privando regnum Scotiæ & Hiberniæ rege ſuo ipſi orbarunt, cum de ſolo Anglicano diſponere deberent? Aliud eſſet, ſi Scoti Hiberniique in eandem cum ipſis ſententiam conſpirarent, & æque deſiderarent regem importunum à ſe amoveri, ut Angli de ſuo id cupiebant. Contra ea Scoti regem ſuum vindicabant, teſtabantur ſe non conſentire cum rebellibus Anglis, ubi reſciverunt id illos agere, ut ſupplicio capitali regem ſibi & Scotis Hiberniſque communem de medio

tollerent. Remittere ad Scotos regem suum debuerunt, contenti ab Angliæ regno eum depulisse. At eum occidendo tria regna orbarunt, cum duo assensum suum non commodarint, sed omnibus testificationibus contra niterentur. Sic Rex trium regnorum, perfidiose & nefarie & parricidialiter obtruncatus est sententia judiciali, per carnificem, duobus regnis, penitus dissentientibus, & tertii novem partibus renuentibus in quibus fuere ministri Ecclesiæ, omnes presbyteriani, omnes optimates, & populi pars sanior & numero major. Soli Independentium milites cum ducibus suis unius regni Anglicani incolæ, quoniam hæc pestis à cæteris duobus exulat, & qui vix millesimam populi Anglicani partem conficiunt, inexpiabili scelere, & parricidio vix dictu effabili, tria regna uni regi cum vita eripuerunt, non aliam ob causam quam quia sectam in religione sequuntur à regio regimine abhorrentem, & reges detestantem. Cujus sectæ autores ab eadem disciplina venere quam instituit Iohannes Leydensis, & ex ejus prosapia & hæresi oriundi. Quales autem constituerunt ad eum damnandum judices, tales ad eum secuti percutiendum carnifices adhibuere. Nisi verius sit ex numero judicum duos illos carnifices sumptos esse, qui personati egregiam in eo decollando operam navarunt. Inter judices quippe qui ad eum condemnandum consedere, viginti & quatuor tribuni militum fuerunt. *Colonellos* nuncupant vulgo. Duo similiter Colonelli officio carnificis functi sunt, ad hoc, ut apparet, larvati, ne qui conspecti in subselliis judicum fuerant paulo post conspicui in pegmate infami fierent, carnificum operam præbentes. Vnus ex his colonellis & carnificibus fuisse perhibetur, & constans

fama

fama id narrat, quidem minister verbi Dei, idemque Tribunus militum, homo nequam & flagitiis omnibus coopertus. Præses ipse latrocinantis confessus, homo nihili, pretio redemptus est, ut quantum juris & litterularum noverat, huic judicio impenderet. Cæteri juris & rerum, doctrinæque omnis imperiti. Tertio loco inter judices sedit Dux Independentium, & ducis exercitus legatus, cum genero suo, de quibus dici potest,

Socer generque perdidistis omnia.

Sed audire visus sum vocem nescio quam, sive *filiam vocis*, ex aere auribus immurmurantem, non eam tamen ipsam quæ sæpe prophetas Independentium ad mendacium dicendum movit, sed aliam magis veridicam, quæ hunc versiculum subjecerit, *Ipsique vos perdetis & post omnia.* Quod autem in jure dicitur, *neminem posse in sua causa esse judicem*, vel jus sibi dicere, quia ut in lege est unica sub illo titulo Codicis, *Admodum iniquum est in re propria alicui licentiam tribuere sententiæ*, in his hominibus, sive potius hominum monstris, locum plane habet. Nemo enim aliter possit dicere, quin in re propria jus sibi dixerint. Cum ipsi reges se facere voluerint, id alia via consequi non potuere, quam Regem legitimum amovendo, qui solus obstabat ne regnare possent. Nec laborare debemus quærendo, quo jure & qua autoritate judices ad eum tollendum sederint. Non enim aliter sententiam contra eum tulerunt, quam si sine sententia trucidassent. Certe qui inauditum & indefensum condemnarunt, tametsi in agendi & judicandi modo reliqua omnia recte & ordine processissent, atque is qui damnatus est, objectorum criminum vere reus fuisset, pro insonte tamen hodie haberetur. Atqui nihil in ea accusatione &

ju-

judicio actum est quod ullo colore vel tenui bractea juris oblitum videri possit. Is est condemnatus, qui nec potuit accusari. Inauditus est condemnatus. Iudices in eum dati sunt qui judicandi licentiam non habuere. Dederunt illi quibus dandorum judicum jus non erat. Duæ sunt voculæ iisdem ac totidem elementis constantes, solo literarum situ differentes, sed immane quantum significatione differentes, VIS & IVS. Illam arripuit Independentium sanctitas, istud jussit facessere. Ea vis igitur peperit judicium illud in Regem, quod latrocinii & parricidii nomine vero debet appellari. Vt illi qui id reddidere pro latronibus, sicariis & parricidis, quandiu hujus facti memoria inter homines vivet, non pro judicibus, habebuntur.

CAPVT XII.

IAm pervenimus ad quintam & ultimam quæstionem, quæ est de criminibus Regis Caroli, ut constare possit jure an injuria sit damnatus. Nullum crimen esse ex quo ille qui Rex est condemnari queat, cum supra demonstratum sit, supervacuum hic videretur quærere quo crimine ceciderit Angliæ Rex. Potius quippe pronum esset pronuntiare injustum illud & iniquum, immo & ipsissimum omnino parricidium, fuisse judicium cui succubuit. Cæterum quo melius de ejus innocentia liqueat, fingendum hic nobis est, unum de privatis reum fuisse, vel si id non potest, saltem magistratum aliquem populi, quales omnes reges haberi oportere sanctis Independentibus placet. Ponamus igitur Regem, ut talem, posse accusari & in judicio teneri respondere, rationemque suorum actuum judicibus reddere.

dere. Enimvero quoniam Rex est, qui condemnatus capitalem subiit sententiam, oportet eum de maximis criminibus in judicium vocatum, à gravissimis testibus læsum, & sub justissimis judicibus capitis supplicio punitum. Quod attinet ad crimina, duæ partes ejus accusationis fieri possunt. Vna in reprehensione vitæ versatur, altera in delictis, quæ tanquam rex potuit committere. Prior personam ejus spectat, posterior majestatem sive dignitatem regiam, vel potius administrationem. In prima quærendum est quomodo vixerit, in secunda quomodo regnarit. Ita qui magistratum populi gerit, aut tanquam privatus peccat, aut tanquam persona publica. Si furtum committit, ut fur alius plectendus est qui arcam vicini effregerit, ut pecuniam inde auferret, aut alio modo ædes ejus compilarit. Si pecuniam publicam intervertit, cum in magistratu esset, peculatum facit, & capitali animadversione, sed non tanquam privatus, plectitur. Item si judex pecuniam ob judicandum decernendumque acceperit, vel qui magis aut minus quid ex officio suo faceret, repetundarum postulatur, non ut privatus, sed ut magistratus. Adulteria, homicidia in eo qui cum potestate est, non sunt crimina propria magistratus, sed privatæ personæ, quæ tamen certum est levius animadverti ob dignitatem quæ personæ inhæret, quam si nullam haberet. Alia lege reus fit qui, ut civis, delinquit, alia qui publica abutitur potestate, & in crimen majestatis cadit. Si in magistratu positus, de nocte, & capite tecto, lupanar intraret, intra civem peccaret. Si idem medio die faceret, cum apparitoribus & fascibus & omni pompa quæ comitatur potestatem, majestatem populi imminueret & suam,

quæ

quæ cum publica in ejus persona conjuncta est. Regum quoque vita, ut & magistratuum, interior & domestica, civium vitiis laborat, quæ nihil habent cum iis criminibus commune, quæ in regnando & administrando imperio committuntur. Aliquis vinosus est, & libidinosus, & luxuriosus, & prodigus, & avarus princeps, cui tamen hi mores à bene regendo non obstant. Quid melius Trajano? Ebrietatis tamen infamia tactus est, & puerorum amore nimio. Alius amicas habuit, nec una tori consorte contentus fuit, & nihilosecius inter bonos numeratur principes & magnos. Vlterius ibimus. Davidi homicidium cum adulterio junctum egregii regis famam non abstulit. Parricidium & amores mulierum cultui falsorum Deorum deditarum à quibus & ipse ad eandem insaniam abreptus est, Salomoni non obfuerunt, ne regum sapientissimus suæ ætatis haberetur. Christianorum amor & delicium Constantinus Crispum ex se genitum necavit, & uxorem Faustam Crispi novercam balneo calentis aquæ exanimavit, nec tamen optimi principis famam perdidit. Non alios nominabo veteris & recentis memoriæ reges, quorum vita domestica non solum vitiis, sed etiam sceleribus contaminata erat, qui propterea tamen in numerum malorum principum relati non fuere, quia publica eorundem administratio rectiore talo stetit. Nihil ergo impedit, quin idem domi infamis, foris sit gloriosus. Et multi reges majore bene gubernatæ Reipublicæ quam familiæ recte administratæ laude inclaruere. Aliæ quippe virtutes regiæ sunt, aliæ quibus privati commendantur. Ille tamen perfectissimus est rector, qui ad regias etiam adjungit quæ privatorum sunt dotes. Si omnes

artis numeros non implet orator, qui sola dicendi peritia valet, nisi etiam probitas in eo laudetur, quanto id in rege magis desiderabitur ut vir bonus sit & regendi peritus? Non tamen id semper qui bene vixit, etiam optime rexit. Nam & artes aliæ ad regnandum sunt necessariæ, quibus si careat ille rex qui vir tantum bonus esse & haberi cupiat, numquam officio boni principis, & cui bene commissa sit reipublicæ cura, recte fungetur. Tales multos historiæ suppeditant, qui hoc ipso peccarunt quod peccare non poterant, hoc est, qui nimia bonitate ac simplicitate publicam rem male gessisse & quodammodo decoxisse videri possunt. Si quærimus quomodo vixerit Carolus, ne inimici quidem ejus, ac rebelles subjecti, qui caput illi scelerato judicio, quasi homini facinoroso securi carnificis amputarunt, aliter possunt dicere, quin bonus, pius, castus & religiosus princeps fuerit. Innocentia & integritate vitæ nemini principum qui hodie regnant, concessit. Cum veteribus comparatus, paucos hac in parte similes habuit, nullum ferme superiorem. Morte ipsa ubi nec simulationi nec dissimulationi locus amplius ullus est, cum vera rerum redit facies & mimica atque ad scenam facta recedit, plane aperuit qua sanctitate morum præditus, & quanta mensura Christianarum virtutum fuerit cumulatus. Quam multi autem sunt qui histrionicam quam tota vita egerunt etiam mimi clausula finiunt? Nihil autem in morte Regis à vita dissonum ac discrepans visum est. Qui veniam dedit cum extrema hora populum alloqueretur, hostibus suis & perduellibus, & judicibus illis cruentis à quibus se inique neci adjudicatum sibi conscius erat, quam libenter veniam dedisset in alio delicto non in suam necem admisso,

missō, deprehensis? Memorant sane incruentum ejus imperium fuisse nec quemquam ab eo necidari jussum præter unum nobilem aversæ veneris convictum, cui & gratiam fecit meriti & lege ordinati supplicii, quod pœna molliore mutavit. Scires nihil aliud in votis dum in vita & regno fuit habuisse præter populi sui pacem, qui moriens adeo diligenter eam commendavit audientibus & tam horrendo spectaculo assistentibus. Potuitne non ex Christi lege vivere, qui ad ejus normam tam exacte vitam finivit? An ullus privatus ita moritur, in tali loco, & tali mortis genere? An protomartyr ille cum lapidaretur ab insano & impio populo, aliter insontem & sanctam animam, atque in aliis verbis efflavit, quam hic primus Angliæ regum martyr, cum sub carnificis securi esset expiraturus? Ambo Deum orarunt ut hoc quod facerent, impunitum esset suis autoribus. Si conferamus & contendamus eum qui damnatus est cum suis accusatoribus, regem trucidatum cum subjectis qui necarunt, videbimus quid inter utrosque fuerit discriminis. Vtri Christi fidem & doctrinam melius & officium expresserint. Quorum verba Christum ipsum, ut ita dicam, magis sonuerint. Extant illa quæ Rex ad populum pronuntiavit, cum sub ictu carnificis staret, quibus animam Deo suo jam plane resignatam testatus est, & omnia mundi fastigia calcantem, sceptrum quod gestaverat & thronum cui insederat, nihili æstimantem, & ad illam immarcescibilem coronam quæ sanctis in cœlo parata est, toto pectoris ardore properantem, & mortalem quam gesserat non amplius capiti hæsuram, cum capite ipso deponere gestientem, solum regnum Christi anhelantem pro regno terreno quod sce-

leratis latronibus possidendum relinquebat, sibi ereptum cum vita, cum illis horum omnium veniam dedisset ut sic Christo placeret. At impii ejus accusatores & condemnatores non contenti eum perdidisse capitis & regni, vitam memoriamque defuncti semper victuræ calumniæ macula inquinare etiam nunc conantur. Quasi non sufficeret nocentem fecisse, & pro sceleratо latrone ad mortem condemnasse, crudeliorem Nerone & omnibus modis pejorem traducunt. Quasi mors una uni homini & quidem regi parum esset, eaque infamis, & per carnificem irrogata, decies millenas illi cervices etiam post mortem in scriptis suis optarunt, ut totidem desecare potuerint, tanquam si decies millia capitalium criminum commisisset, pro quibus totidem supplicia capitalia ipsi merito fuissent exhaurienda. Atqui ne unius quidem probati & confessi subscriptionem in eum edere potuerunt. Votum veteris tyranni fuit ut populus cui imperabat, unam cervicem haberet ad libitum suum abscindendam. Quanto magis hoc tyrannicum & crudele uni homini tot capita optare quot populum facere possunt, aut quot pilos ipse habet in capite, ut totidem unus mortes patiatur? Saltem diro illo Caligulæ voto unica plaga ad mortem populus universus defungi poterat. Illo vero, quod vovit Advocatus parricidarum, ex illorum nempe mente sanguinaria, per decies millenas neces, uni homini, pereundum fuit. Quid ille Rex de te tantum mali meruit, ô maledicte & infamis parricida, ut non exsaturatus sanguine ejus, quo securim carnificis ex tua accusatione tinxit, decies millia animarum eum habere volueris, ut sic oculos animumque crudelitate ac immanitate incredibili, & qualem nulli

nulli umquam tyranni excogitarunt, pascerés & satiares? Ergo totidem reges hodie sic mactatos videre velles, si totidem essent, quot uni regi cervices amputandas optasti? O tempora! ô mores! ô natio! ô Religio! ô Reformatio! Vbi pietas, non dicam Christiana, sed humana? Sæpe sontium miseremur & vilium, & justo supplicio affectorum. Ecce, cui dolet regem suum non habuisse innumerabiles vitas, ut omnes posset perdere, & per omnes inaudita supplicia expendere. Vltra tot mortes insuper sævire parricidalis impietas voluit, cui tot in uno corpore regio cruciatus ultimi non suffecere. Nec hoc tantum, sed mortis temporalis pœna minimè contentus, etiam æterna damnandum censuit quem decies millenis mortibus dignum judicavit. Nam in fine scelceratæ Provocationis, qua factum parricidale, & judicium infandum defendere sustinuit, Deum introducit Regem ita alloquentem. *Abi, abi, ad animarum institores Episcopos tuos, qui te furfuribus & veneno aluerunt, at nunc tibi vescendum est igne & sulfure in æternum.* Hæc tam dira effatu mihi revocant in mentem Itali Sicarii detestandum facinus, qui hosti suo vitam eripere cum satis non haberet, nisi etiam faceret ut animam simul cum corpore perderet, gladio in jugulum intentato minatus est se eum protinus occisurum nisi Christum suum negasset. Ille metu mortis abnegavit. Tum latro protinus ferrum pectori negantis immersit, ratus uno eodemque ictu vitam simul æternam & præsentem hosti se ademisse. Ita Latronum patronus, Regem suum, sed inimicum quia regem, cuperet etiam ad æterna supplicia à Deo condemnatum, sicut ab hominibus nefariis coactus est pœnam

ſubire tranſituram. Et quia id cupit, etiam ita futurum credere audet. Immo & homo blaſphemus non rectum juſtumque Dei judicium putat futurum, niſi morte ſimiliter æterna puniat, quem ſicarii parricidæ mori temporaliter coëgerunt. Ideo comparare auſus eſt Dei judicio ultimo hoc judicium nequiſſimorum hominum ſceleratum, quo optimo pieque Regi vitam eripuerunt. Ergo & judices qui in Regem conſedere, Deo ſimiles æquitate & juſtitia facere ſic debuit, vel etiam ſuperiores. Nam niſi eorum ſententiam ſequatur judex ille ſupremus in morte regi ſempiterna infligenda, vix juſti judicis nomen mereatur, quoniam ad exemplar ſummi Iuſtitiæ tribunalis Anglicani non properaverit, cujus votum fuit decies millenas cervices regem ſuum habere, ut una decretoria tabella una ſecuris immo unus ictus omnes demeret demeteretque. Fatentur illi quidem tale judicii exemplum numquam alias auditum nec viſum, ſed ideo fuiſſe inſtituendum, quia Rex in quem hæc exempla ab iis edita ſunt, non habuerit parem ſceleribus quæ commiſerit. Ne quidem Neronem. Itane? Non nocentem eum feciſſe ſatis habuerunt, niſi etiam Nerone nocentiorem facerent? Age, inſpiciamus utri Neroni ſimiliores, Rex accuſatus ab his & damnatus, an qui illum accuſarunt & damnarunt. Nero matrem necavit, iſti patrem patriæ, quod longe majus parricidium eſſe nemo negaverit. *Nero*, teſte Suetonio, *nullum adhibuit delectum aut modum interimendi quoſcunque libuiſſet, quacunque de cauſa.* Neget mihi aliquis illos eodem animo fuiſſe ad interimendos quoſcunque ſuis partibus minus favere ſuſpicarentur, & tum ipſis conceſſero, non eſſe hac in parte Nerones. Cum ille multos jam Senatores necaſſet,

mul-

multas significationes nec dubias jecit, ut idem ait Suetonius, *ne reliquis quidem parsurum Senatoribus, eumque ordinem sublaturum aliquando è Republica.* Quid aliud egerunt Regis judices quam ut Senatum ex Anglia exterminarent, tota domo superiore Procerum sublata, quæ similior Senatui Romano fuit. Idem Nero in auspicando opere Isthmi, eodem autore, magna frequentia, clare dixit, *ut sibi & populo bene res eveniret.* Nonne etiam populi nomine omnia agunt isti Nerones Anglici, in quo summam potestatem residere verbis ajunt, totam vero ad se re ipsa trahunt, cum in eum sæviorem quam Nero umquam ostendit, tyrannidem exerceant. Nero *nec populo etiam pepercit*, referente Suetonio. Isti cui pepercerunt è populo? Nonne ex domus inferioris Senatoribus quos populi partem esse volunt, cui & summum imperium tribuunt, quadraginta quinque in vincula conjecerunt, centum è Senatu pepulerunt? Quo crimine ipsis objecto? Nullo, nisi uno, cujus nisi rei ab his facti fuissent, scelerati & latrones extitissent, & rebellibus illis similes. Nempe quod Regi suo non adeo se iniquos esse ostenderunt. Quos nunc bello persequuntur, quorum urbes in Hibernia exscindunt, quorum stragem ubique edunt, quid meruere de Republica mali? Tyrannos ferre non possunt, & Regem suum desiderant legitimum. Hoc apud novos Nerones instar immanis est flagitii, nulla morte, nullis cruciatibus expiandi. Nero *religionum usquequaque contemptor fuit, præter unius Deæ Syræ, quam mox ita sprevit, ut urina contaminaret.* Nerones Anglicani dum omnes religiones admittunt, nullam se habere probant. Adeo etiam contemnunt diu in Anglia receptam, ut nuper mini-

strum in templo concionantem, & liturgiam legentem qualis sub Elisabetha regina approbata fuit, milites Independentium armati, & cum tumultu Ecclesiam ingressi, de cathedra male mulcatum deripuerint, plebem ipsam quæ prædicantem audiebat, dispersserint ac dissiparint, multis illatis vulneribus. Inde egressi ad domum Episcopi Londinensis se contulerunt, in qua pedissequus nescio cujus Comitis officio ministri fungebatur & concionatoris, & populum de suggestu alloquebatur, quem attente audierunt; & concionantem protexerunt. Relegatur vita Neronis, plura ejusmodi facinora reperientur, quæ satis ostendunt, si comparatio eorum fiat cum eorum factis qui hodie Angliam gubernant, Neronianum plane esse istud imperium. Cum hac differentia tamen, quod unus Nero totum ferme terrarum orbem qua tum patebat habitandus, imperio suo premebat, hic plures Nerones unam Romani imperii provinciam, & regnum exiguum dira fatigant tyrannide. Tanto deteriore ita regnatorum conditione, quod violentior vis multiplicis tyrannidis in parvum ditionis spatiam ingruit; quæ dilutior tum cadebat ab uno in amplissimam & in totum orbem se pandentem ditionem. Hæc cernitur insuper differentia inter Romanum Neronem & istos novitios prisci Neronis æmulatores Anglicanos, quod ille improbitatem non dissimulabat, sed palam & aperte profitebatur impuritatem & crudelitatem. Quinimmo hoc persuasum habebat neminem esse probum & pudicum, sed omnes calliditate vitium tegere. Nerones vero Anglicani sanctitatis nomine omnia sua scelera celant, & profanam impietatem puritatis adumbratæ velo obtegunt. Iidem Regi

quem

quem Nerone crudeliorem in omnibus fuisse volunt videri, parricidium Neronis etiam affingere ausi sunt. Quod & inter ipsorum scelera, quatenus immanis est calumnia, numerandum est. Sed ipse Rex, & qui eum defenderunt de eo crimine, sic illum expurgarunt, ut Independentium patronus coactus sit huic defensioni manus dare, & tandem fateri ænigma hoc esse in ultimo demum judicio revelandum. Atque hæc de vita Regis, in qua nihil non modo puniendum, sed nec reprehendendum quidem, quinimmo omnia laudanda, probitas, pietas, clementia, religio, innocentia & integritas. Has virtutes, & præterea amorem erga Deum, charitatem erga proximum, benevolentiam erga populum suum quamvis magna ex parte immeritum & rebellem, ubique spirat liber ejus postumus. Accusatorum contra ejus & judicum scripta, quæ pro defensione nefarii facti publicanda curaverunt, nihil nisi violentiam, truculentiam, immanitatem quandam & ferociam militarem, feritatemque molossicam & ἀπόνοιαν redolent, & præterea mendaciis, impostoris, calumniis undiquaque referta sunt. Magnum ex eo argumentum probitatis, sinceritatis & fidei, quæ in Rege fuit, duci potest, quod cum promittendo quæ ab eo exigebantur, cum populo rebelli pacem posset habere, nihil tamen in ea pacificationis & reconciliationis conventione, quæ inter ipsum & subditos tunc agitabatur, polliceri sustinuit, quod nollet servare. Quis in rege cum subjectis suis perduellibus sic agere per vim coacto id desideraset? Quis non potius simulandi artem si eam hac in parte adhibere voluisset condonaret? E contrario accusatores ejus millies pactam cum eo fidem fregerunt, & fœdus ipsum, quod cum Scotis aliisque Anglis pepigerant, quo inter alia de persona Regis

protegenda cautum erat, nefariè violarunt, parricidialiter trucidato per carnificem, cujus majestatem se esse conservaturos sanctè solemni fœderatione inita juraverant. Vi & dolo omnia semper egerunt. Hoc jus eorum, & hæc justitia. Ita vere ex his concludi potest, quot virtutes in Rege fuerunt, totidem contraria vitia in ejus accusatoribus & judicibus esse, adeo ut pro certo pronuntiari debeat, bonum, pium, justum, clementem, pacificum, sanctum regem, ab impiis, sceleratis, nefariis, crudelibus, infidelibus & fœdifragis latronibus & parricidis fuisse condemnatum. Veniamus ad ea crimina quæ male regnando commisisse arguitur, qualia nempe tyrannus facit, & quæ faciunt tyrannum. Sententia contra eum lata a judicibus partim pretio redemptis, partim furiosis, *Tyranni*, *Proditoris* & *Homicidæ* elogiis reum indicta causa condemnatum donavit. Priusquam hæc per partes diluamus, prima & optima ratio purgandi regis hæc videtur, ut vel ipsorum qui damnandum eum curarunt testimonio innocentiam ejus probemus, & judicum iniquitatem revincamus. Res maxime patens & manifesta est, Tyrannis. Vt alia scelera in occulto latent, conjecturis eruenda, argumentis probanda, & testibus convincenda, nemini potest ignotum esse an tyrannus sit, de quo omnes queruntur. Qui potest negare se tyrannum esse, jam probavit id quod voluit. Populi, quibus non placet præsens dominatio, quique aliam quærunt, vel eam, quæ est, emendari cupiunt, si arma in rectorem suum hoc consilio & fini capiant, ne injuste videantur se commovisse, solent publicatis scriptis causas allegare, quibus ad rebellandum adducti sunt. Non semper personam Regis impetunt, sed de præsidum injuriis queruntur, de ministri alicu-

alicujus gratiosi & potentis apud regem nimia autoritate, de profusa in eum regis liberalitate, quibus exhauriatur ærarium publicum. Sæpe etiam onera tributorum obtendunt. Sed raro populus ad bellum regi suo inferendum quacunque de causa concitatur, nisi autores habeat seditionis aliquos ex proceribus, qui odia privata publico nomine ulciſci ſtudent, aut regnum affectant. Hi populum, id est bestiam per se mobilem & irritabilem, impellunt specie boni publici quod ignorat, & tædio regiminis quod molestum & importunum esse de facili ignaris & credulis persuadetur. Ita duces improbos cæcum vulgus, & novarum rerum cupidum sequitur. Sic frequenter fit ut optimi & moderati reges pro tyrannis persequendi arripiantur, præcipue si religio quoque in his turbis concitandis partes suas agat. Hujus quippe prætextus sæpius transversos agit populos, qui zelo scientia vacuo abrepti, dum suspicionibus indulgent, sanctum etiam & religiosum principem, quasi profanum infamant, quia talem esse persuasi sunt à suis ducibus, quorum pro bono factionis interest ita credi. Sic Henricus tertius apud Gallos cum Pontificiæ religioni usque ad superstitionem esset addictus, fidem non potuit invenire apud rebelles quos factio raptabat, sed pro fautore novarum religionum habitus & traductus est. Sic canis instar fuit, quem pro rabioso traducere solent illi qui eum omni modo quærunt tollere. In Angliam, de qua nunc est quæstio, redeamus. Conspiratio populi rebellis contra Regem suum, quam causam armis suis prætexuit? An, quod sententia capitalis continet qua morti adjudicatus est, se contra *tyrannum*, *proditorem* & *homicidam* bellum suscepisse professi sunt? Hi sane debuerunt, si talis ille omnium

opinione tunc visus est, in his criminibus constanter & sine variatione accusationem suam defigere, præsertim cum nihil sit apertius, ut jam dictum est, tyrannide. Ad quam convincendam si suspicionibus tantum & conjecturis procedatur, nihil minus est quam quod dicitur. Multo minus tanquam convicta & confessa deprehendi speratur, si varia esse contingat hominum judicia in ea depalanda. Cur ergo in conjuratione quam inter se fecerunt Angli & Scoti contra Regem, non eum pro tyranno & proditore regni insectati sunt? Cur conjurati in eo fœdere contrahendo disertis & conceptis verbis se obligarunt mutuo ad conservandam & defendendam Regis personam & Majestatem? Tyrannum eum tunc esse & proditorem non sentiebant, de cujus autoritate & persona tuenda tertium articulum sui fœderis fecerunt. Independentes, non minus quam Presbyteriani, participes & socii fuere ejusdem cum jusjurando initæ pactionis, quæ inter conjuratos convenit. Non alia autem illo in tempore ad eam conspirationem inter partes faciendam causa prætendebatur, quam reformandæ cura religionis, quantum ad doctrinam, cultum, disciplinam & regimen Ecclesiasticum. Nihil aliud tum visi sunt à Rege postulare, vel in regis gubernatione desiderare, præter hanc reformationem, quæ in schismate extirpando, hæresibus tollendis, & Episcopali regimine submovendo præcipuè consistere putabatur. Duo priora Rex facile concedebat, ad tertium quo Episcoporum abolitio petebatur, repugnabat. Nec immerito. Episcopos invenit cum regnare cœpit. Ideo tuendos eos sibi esse credidit, ut alia omnia quæ in regni ingressu promisit se esse servaturum. Nullæ mutationes in regno

fieri

fieri possunt absque perturbatione plurimarum rerum, eaque summæ rei plerumque perniciosa. Sed de hoc jam non disputamus. Hoc tantum volumus cum arma contra Regem inter illa initia & post illam conjurationem sumpta sunt à presbyterianis, nullam de Regis tyrannide & proditione institutam à partibus querimoniam fuisse. An ab eo tempore horum criminum affinis esse cœpit, & in tyrannum descivit? Cur ita? An quia se ipsum armis quoque defendere contra rebelles tentavit? Qua defensione haud scio an aliquid possit esse justius & naturæ legibus convenientius, ne quid dicam de regum jure. Atqui etiam post exercitus conscriptos & copias militares in unum contractas quibus Regi vis inferretur; presbyteriani sæpius testati sunt, hæc se non facere, ut justo ipsius honori & autoritati quicquam detraherent. Rediret modo ad Parlamentum suum, se eum cum omni honore & reverentia esse excepturos, veramque ei obedientiam, subjectionem & fidelitatem esse exhibituros. Domini & Communes in Parlamento congregati Octobris XX. anno CIↃ IↃC XLII. hanc testificationem se facere declararunt coram Deo omnipotente. Nondum suus Rex illis tyrannus erat & proditor. Multis aliis subsequentibus declarationibus, ut vocant, hoc idem sæpius testati sunt. Quando igitur tyrannidem auspicatus est, & in grande illud crimen incurrit, quo capitalem pœnam promeruit? An bello fervente, cum hinc inde exercitibus ad certamen acie directa compositis & paratis, ausus est Rex subditorum suorum arma contrariis armis propulsare? Ne tum quidem tyrannum esse factum probabimus, vel hostium ipsorum judicio. Pergamus porro ut perveniamus ad illud tempus quo

tantum nefas ingredi cœpit. Pugnavere conflictu publico contra eum rebelles, victus ille est. An eum tyrannum tenemus? Nondum. Persequamur eum vestigiis, ut ad tyrannidis ipsa latibula accedamus. Oxoniam fugit, obsessus est; cum desperaret, urbe clanculo egressus ad Scotos se recepit, atque in eorum fidem & tutelam se dedit. Quid illi? An tyrannum tunc declararunt? Immo ut regem decuit accipi, eum omni scilicet reverentia exceperunt. Sed paulo post, quoniam conjurationis fœdere se ita obligatos esse ajebant, captivum Anglis Parlamentariis transmiserunt. An tanquam tyrannum? Certe potuerunt tunc libere ita de eo sentire & loqui tam Angli quam Scoti. Nullum tamen adhuc verbum inter conjuratos de Regis tyrannide & proditione. Ipsi quinetiam Independentes cum viderent regem suum de captivitate in captivitatem desultorio modo trajici, quiritabantur, indignum esse facinus clamitabant, regem suum ita captum detineri contra expressam fœderis pactionem & fidem. Regiam majestatem nimis irreverenter & contemptim conteri, cum ipso Rege totum regnum eam contumeliam & injuriam pati. Ergo Tyrannus tum non fuit Independentibus ille de quo talia loquebantur. Sequamur homines, & quo tendant observemus, donec ad secreti penetrale evadamus quo jacuit hactenus abscondita Regis Angliæ tyrannis. Derepente vi facta Regem Presbyterianis eripiunt spe liberioris custodiæ, vel etiam plenæ libertatis, ostensa. Nondum igitur eum tyranni loco isti misericordes habebant. Sed Regem, cujus fatum miserabantur, è carcere eductum certabant, scilicet, throno suo restituere. Nondum satis liber videbatur in loco tam Londini propinquo asservatus, in quem impe-

impetum facere possent Presbyteriani, eumque rursus in captivitatem retrahere. Persuadent ipsi ut se inde extrahi patiatur sub spe libertatis numeris omnibus absolutæ; paret, ductores suos sequitur, in carcerem angustæ insulæ truditur, nemine ad eum adire permisso. Mutatio tum facta animorum apud Presbyterianos, & suas jam voces reddere cœperunt Independentibus, Scelus esse Regem, tanquam non regem, arto carcere inclusum teneri. Vt eum arte simili qua ereptus sibi fuerat recuperarent, colloquium cum eo de pacificatione curant instituendum. Haud renuere poterant Independentes; Res eo perducitur, ut propè transactum esset negotium, & in paucis articulis Rex moras necteret. Adhuc velut cum rege suo utrique tractabant de concordia, non tanquam cum tyranno. Cæterum Independentes veriti ne pace facta Rex sibi iterum imponeretur, qui nullum regale imperium volunt, consilium inter se capiunt de eo tollendo. Quæ via vel vis ad hoc magis expediret, consultabant. Veneno aut gladio necare nimis invidiosum, & sanctis, quales illi videri se cupiunt, fortasse non decorum. Iustitiæ via placuit. In ea etiam aliquid difficultatis occurrebat. Nam quo jure aut quo justitiæ colore regem capite plecterent, de quo nihil queri poterant? Vnum in illo reprehendebant Presbyteriani, quod in Episcopatu retinendo nimis pertinax esset. Cæremonias aliquot, & liturgiæ ritus ab eodem pari pertinacia defendi non probabant. Parum super his moveri Independentes, quibus hoc unum curæ erat, ut Rex non esset. Eo sublato, & Episcopatum & reliqua ruere. Et jam Episcopi nusquam erant. De Rege, quo jure qua injuria amovendo tantum solliciti erant. Omnia se habituros si hoc haberent,

rent, potestatem summam, regium imperium, & veram *Independentiam*, numerisque omnibus & partibus perfectam. Exercitum jam in potestate habebant, & Regem ipsum. Restabat ut Parlamentum & civitatem Londinensem sibi subjicerent. Vtrumque vi & armis obtinuerunt. Domo Dominorum penitus sublata, & Communium domo omnibus illis qui erant sibi contrarii, repurgata, parte in vincula data, parte fugata. Lupum tamen auribus tenebant, Regem videlicet, quem neque dimittere volebant, neque diutius servare poterant. De modo quo eum perderent, deliberabant. Iure id efficere se cum non posse viderent, justitiæ nomen & judicii speciem sufficere visum est. Ita de carcere extractum ad supplicium recta duxerunt. Sciebant enim non responsurum coram judicibus quos illi dederant, quia ne minimus quidem nobilium eos agnoscere voluisset. Atque hoc de industria captarunt, ut Regem inauditum & indefensum supplicio afficere possent. Satis ergo hoc esse in rem suam crediderunt si diceretur à Tribunali supremo justitiæ fuisse condemnatum. Crimina facile factu fore, & multa, & grandia objectare, quæ Rex diluere scilicet nec posset nec vellet, quia coram tali judicum consessu nulla autoritate nec jure subnixo, sibi esse respondendum neutiquam putaret. Ita Tyranni & proditoris titulis ea sententia notatus est, quæ in autores suos tam jure poterat pronuntiari, quam in regem injuste prolata est. Si quis ergo quærat quæ causa Tyrannum fecerit Carolum, in promptu est dicere, tria esse quæ hoc effecerint, Exercitum nempe victorem Independentium qui nec regem nec magistratum volunt, urbem captam ab illis & armis occupatam, Parlamentum ex parte sublatum, partim subactum & fuga-

fugatum, tyrannidis notam Regi inussisse, & pro tyranno eum neci dedisse. Mense Augusto qui præcessit ejus supplicium, anno clo Io c xlviii. domus Communium quæ sola jam tum regnabat & Independentibus erat obnoxia, nondum de Carolo, ut de Tyranno, judicaverat. Scripsit enim literas iii. Augusti datas, & Prolocutoris nomine subsignatas, ad Scotorum Parlamentum, quibus testabatur numquam sibi in animo fuisse mutare statum qui huc usque in Anglia obtinuerat, qui debeat esse sub uno rege, domo Dominorum, & Communium. Injuriam sibi ab illis fieri maximam ibidem conqueruntur, qui hos rumores de se differebant. Has literas nuper Scoti publicandas curarunt, ut de eorum hominum levitate & insania omnibus constaret. Nam priusquam annus se convertisset, mutatio status ea facta erat quam videmus, Rex condemnatus & securi percussus tanquam tyrannus & proditor. Si talis fuit, talis etiam videri debuit omnibus & semper. Cur igitur non idem de eo sensérunt Scoti, qui ad Independentes miserunt literas & nuntios, quibus testabantur se ea omnia detestari quæ isti contra Regem meditabantur, & quæ hactenus egerant? Nuper etiam in literis quas miserunt ad filium Carolum secundum regem suum, *sanctissimum regem* appellant parentem ejus, & *sacerrimum facinus* quo necatus est. An id facerent, si pro tyranno eum unquam habuissent? Cur etiam non omnibus Anglis idem visum est, cum vix decima pars eorum, immo vix centesima, immo nec millesima in illud de rege sententiæ elogium consenserit? Cur denique non ipsi Independentes semper ita judicarunt? Cur indignitatem captivitatis Regiæ proclamabant, cum à Presbyterianis detineretur in carcere? An Rex

tam

tam brevi ſpatio in tantum mutatus eſt, ut de rege repente tyrannus extiterit? Quid fecit pro tyranno quandiu in carcere vixit? Diverſos de re eadem & perſona aliter opinari quoquo modo ferendum eſt, & fieri ſæpe ſolet. Quis ferat eoſdem de regis captivitate querentes & probra jacientes in rebelles qui eum detinebant, & mox eoſdem eumdem duriore clauſum carcere ad ſupplicium inde raptum duci jubentes? Neronis tempore fuerunt, quibus ille non videretur Nero eſſe, & qui mortuum deſiderarent. Quis putet eorundem hominum eſſe captivi miſereri, & paulo poſt illum ipſum captivum carnifici tradere? Præterea, quis fidem haberet arcuato morbo laboranti, ſi de coloribus vellet judicare, qui omnia quæ videt ejuſdem eſſe coloris exiſtimat? Quis ſimiliter magni faciat judicium hominum de tyranno ſententiam ferentium, quibus omnes reges tyranni ſunt? Vnus ex illis Independentium ducibus, qui omnia quæ regem & regium regimen ſpectant, alba linea ſignant, nulloque habent diſcrimine, ſive reges legitimi ſint, ſive tyranni pro ſententia dixit in domo Communium III. Ianuarii anno CIↃ IↃ CXLVIII. ſe non curare rege ſublato, quæ regiminis forma conſtitueretur in Anglia, *Modo non ſit*, inquiebat, *ſub regibus aut Diabolis*. Ita Diaboli & reges iſti honeſto homini eodem loco fuere? Vt nullus Diabolus bonus, ſic nullum, ut apparet, putavit eſſe bonum regem, proinde omnes eſſe tollendos. Non ergo mirum ſi in ſententia capitali contra Carolum regem lata, tyrannum eum eſſe pronuntiarunt, quia omnes reges pro Tyrannis habent ex ſectæ ſuæ idiomate, & ubicunque ſunt, omnes ſtatuunt exterminandos. Quia Rex erat, Tyrannus quoque ipſis fuit, quia omnis Rex tyran-

rannus. Iam igitur diſpiciamus verba ſententiæ, quam in Regem tulerunt egregii judices, quibus crimina Regis ſummatim expreſſerunt. *Tyrannus, proditor & homicida* in ea appellatur. Verebantur præclari adſeſſores ne peritiores viderentur quam iniquiores. Profecto imperitia eorum in hoc elogio concipiendo ſumma, cum improbitate pari certavit. Neſciverunt igitur quid eſſet tyrannus, & quem hoc nomine condemnarunt, etiam qualis eſſet ea ratione videntur ignoraſſe. Cur aliquis in eo tot perfidorum & perditorum latronum conventu non repertus eſt, qui cæteros docere potuerit, *tyranni* appellatione omnia mala, quæ facere poſſit quiſquis injuſte, impotenter & crudeliter imperat, ſolere comprehendi. Ergo qui tyrannus eſt, etiam proditor eſt, & homicida, & omnium ſcelerum, quæ male regnando committuntur, reus. Quid opus igitur fuit ad illud elogium *tyranni*, addere *proditoris* & *homicidæ* titulos? Niſi ſi fortaſſe hoc intellexerunt, Tyrannidem omnem Caroli in proditione & homicidio conſiſtere. Sed de proditione & homicidio paulo poſt, de tyranni nomine nunc agamus. Sic enim liquido probabimus ex vi & proprietate hujus vocis, veros illos potius fuiſſe tyrannos, qui contra regem ſuum arma ceperunt, qui bello illum perſecuti ſunt, qui in carcerem conjecerunt, & qui poſtremò capitis eum damnarunt. Ipſum vero tam longe vita abfuiſſe à tyrannidis crimine, quam morte prope acceſſit ad gloriam Martyrii. *Tyrannum* antiquiſſimi Græci quorum hoc vocabulum eſt, de omni rege dixerunt. Tyrannus eo ſenſu revera fuit Carolus primus, ut ille de quo Virgilius:

Pars mihi pacis erit dextræm tetigiſſe Tyranni.

Poſtea iidem Græci de eo ſolo id nomen proprie uſur-

usurparunt qui vi occupatum imperium, vi retinebat. Quo malo cum multæ civitates in Græcia olim laborarint, præmia propósita sunt tyrannicidis, summo ferme omnium urbium & populorum consensu. Nemo dixerit hoc significatu Carolum tyrannum esse appellandum, qui tot Regibus in regno patrio, ex eadem familia, quæ initium & originem habuit in Gulielmo Conquæstore, sexcentis circiter ab hinc annis retro, successerit. Nam & hac nota discernit reges Orientis despoticè regnantes à tyrannis Aristoteles, quoniam in potestate non dissimili, illi hæreditaria regna possiderent, isti vi rapta. Præter has duas nationes, *Tyrannos* Græci & Romani sub Imperatoribus, eos dixerunt, qui contra Regem legitimum insurrexissent, ut se in ejus locum ponerent. Vnde sæpe consequebatur, ut quamvis pessimus Imperator deturbatus solio foret ab optimo viro, nihilominus tamen hic tyrannus, tanquam juris & imperii alterius incubator, nuncuparetur. Idem etiam *Perduelles* nominati sunt, nempe *qui hostili animo in principem animati sunt*, ut ait Vlpianus leg. ult. D. ad leg. Iulia Majestatis. Ἀντάρτας eos Græci recentiores appellarunt quod contra principem legitimum arma capiant & insurgant. Posteriores Latini *Intartas* voce inde corrupta dixere, & verbum inde finxere *Intartizare*, pro rebellare adversus regem, & majestatem ejus violare. Quod qui faciunt, læsæ majestatis crimen incurrunt ac perduellionis, quia ut majestas in imperio est, ita non læditur nec violatur nisi in ejus persona, qui imperium & potestatem habet, sive Rex sit, sive populus. Hac posita & explicata *tyranni* significatione quæ omnium apud Romanos usitatissima est; haud erit nunc difficile judicare & statuere, cui potius id nomen

nomen conveniat, Regi an exercitus ducibus, qui vitam illi cum regno abstulerunt, quique nunc ejus loco regnant. Non alias hic probationes hujus rei afferam, quam ex ipsis regni Anglicani legibus, quæ hac in parte non discrepant ab antiquis Romanis, ut ex jure nostro constat. Bractonus qui ante annos quadringentos scripsit, jurisconsultus & judex in Anglia per ea tempora celeberrimus, Lib. III. Tractatu II. cap. III. de crimine læsæ Majestatis, scribit in hæc verba, *Habet crimen læsæ Majestatis sub se multas species, quarum una est, ut si quis ausu temerario machinatus sit mortem regis, aut aliquid egerit vel agi procurarit ad seditionem domini regis vel exercitus sui, vel procurantibus auxilium & consilium præbuerit aut consensum, licet id quod in voluntate habuerit non perduxerit ad effectum.* Si quis igitur vel intra se agitaverit de Rege occidendo, id est *hostili animo*, ut loquitur Vlpianus, *adversus regem fuerit animatus*, quamvis non effecerit quod voluit, hoc crimen læsæ Majestatis contraxit. Item si quid egerit, aut agi procuraverit, quo seditio moveatur contra Regem vel contra exercitum ejus, idem crimen incurrit, si vel auxilium ad hoc, vel consilium, vel consensum, præbuerit. Legibus quoque Romanis, & præcipue Iulia de majestate, idem omnino cautum fuit, ut liquet ex Tit Dig. ad leg. Iul. Majestatis. Ea de populi majestate lata fuit à Iulio Cæsare primum Consule, cujus tunc imperium erat, eademque valuit & pro principe, postquam in eum à populo translata est majestas. In judicium de hoc crimine veniebant, ut scribit Tacitus 1. Annalium, *Si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique re male gesta majestatem populi Romani minuisset.* Idem quique juris

Impe-

Imperatori competere cœpit postquam imperium accepit. Atque idem nunc de omnibus regibus, & principibus, ut etiam de Angliæ Rege dicendum. Quis ergo in hoc crimen apud Anglos incidit? An alii quam qui exercitus contra Regem conscripsere, qui populum ad seditionem contra Regem concitavere, qui denique necem Regis machinati sunt, quique tam hostili animo in eum fuerunt, ut bello aperto eum persequuti sint, vicerint, ceperint, incarceraverint, supplicio capitali affecerint? Hæccine à subditis committi potuerunt, sine crimine majestatis, sine proditione, sine perduellione? An docerent uspiam Leges Romanæ, populum aut principem læsæ majestatis teneri, si exercitus proditione, aut plebis seditionibus, aut re male gesta, suam ipse majestatem minuerit? Non id sanè cadere potest in sensum communem, estque illud unum ex rebus quas fieri non posse datur. In lege etiam Anglicana non dicitur, idem crimen regem incurrere, si procuraverit seditionem fieri contra se, vel contra exercitum suum, vel populum suum. Non etiam distinguit inter regem & regem, bonum malumve, nec dicit hoc crimine tantum obligari qui mortem regis boni machinatus sit, non verò eum qui malum & molestum dominum tollere tentaverit. Radulphus de Glanvilla qui ante Britonem vixit, & primus Angliæ ac principalis fuit Iusticiarius sub Henrico II. lib. XIV. dicit, *Si quis machinatus fuerit, vel aliquid fecerit in mortem regis, vel seditionem regni vel exercitus vel consenserit, consiliumve dederit, vel autoritatem præstiterit, crimen proditionis esse.* Brito in Titulo de Appellationibus scribit: *Si quis machinetur mortem patris aut matris regis aut liberorum ejus, aut hæreditario regno eum excluserit, aut prodiderit ejus exercitum, quamvis*

res

res ad effectum perducta non sit, proditio est. An quæri vel dubitari potest quis patrem Regis, cujus hodie regnum est, morti dederit, quis liberos ab hæreditate paterna excluserit, quis exercitum ejus ad seditionem concitarit, quis Parlamentum sustulerit, potiore & digniore & majore sui parte quam faciebat ordo Nobilium, inde ejecta & abolita? Non unum nec simplex majestatis crimen commiserunt scelerati latrones qui nunc imperio incubant, sed plura simul, immo omnia quæ possunt dici vel cogitari. Glanvillanus lib. XIV. & Bractonus lib. II. Tit. de crimine læsæ Majestatis, scribunt, *Si quis conspiret contra Regis domum, id esse proditionem.* Qui totam domum regiam everterunt, Rege interempto, Regina dotario suo, ut vocant, spoliata, filio majore natu non solum hæreditate regni patrii privato, sed etiam patrimonio proprio & omnibus bonis suis cum reliquis fratribus & sororibus exuto, an hujus criminis affines non esse videntur? An quisquam est qui de hoc ambigere queat? Statuto XXV. ann. Eduardi III. cap. II. sancitum est: *Si quis bellum moveat contra Regem intra regni fines, aut inimicis regis se socium adjunxerit, & auxilium iis aut consilium dederit, intra vel extra regnum, idque fecisse testibus suæ conditionis convictus fuerit, crimine proditionis teneri.* Eodem Statuto similiter crimen id incurrit, *qui mortem regis meditatus fuerit, aut reginæ aut filii natu majoris.* Cum autem duas perduellionis species esse constet; prior ea & major est, qua regis salus, status & dignitas attentatur: altera qua magistratus & judices à principe constituti, quique ejus vices gerunt, violantur. Vtramque speciem complexus est Henricus VII. Imperator Germaniæ constitutione ab eo promulgata cum Pisis esset anno CIↃ CCC XII.

Cui

Cui titulus, *Qui sint Rebelles.* Anglicanis quoque Statutis & præcipuè illo, quod jam diximus, anni XXV. Eduardi III. sancitum est, si quis Cancellarium, magnum Thesaurarium, aut Iustitiarium cujuscunque Tribunalis occiderit, dum munus suum exercent, crimen proditionis esse & ad læsionem regiæ Majestatis pertinere. Si is qui magistratum aut judicem quem Rex constituerit, vel quemcunque ejus officialem, ut vocant, violarit, in crimen Majestatis cadit; quanto magis huic culpæ tenetur obnoxius qui Regem ipsum? Statuto anni XXXV. Henrici VIII. cap. II. & XIII. Elisabethæ cap. I. pariter continetur: Si quis intra regni terminos aut extra, machinatus fuerit, mente conceperit, cogitaverit, meditatus sit, mortem regis & perniciem, aut aliquam corporalem noxam quæ tendat ad mortem & perniciem regis aut reginæ, aut ejusdem privationem vel depositionem à regno & imperiali corona, aut honoris & majestatis imminutionem, aut belli contra eum commotionem ad invadendum regnum, aut externorum militum ad hoc ipsum evocationem, proditionis esse damnandum. Statuto anni XLV. Eduardi III. cavetur, si quis *occiderit qui Regi suppetias ad bellum ferre parabat, eum proditione teneri.* Quis de rebellibus Angliæ non dixerit eos hoc crimine, supra quicquid est sceleratorum, damnari oportere, dum ministros omnes Regis & amicos, qui maximo infidelitatis scelere se obstrinxissent, nisi regem in extremo suo discrimine vitæ & regni adjuvissent, tanquam proditores & hostes publicos persecuti sunt & quoscunque capere potuerunt, capitali supplicio affecerunt? Vasalli præterea legibus feudorum, & jure clientelarum, si dominos suos deseruerint in periculum capitis adductos,

ctos pro proditoribus puniendos & feudo privandos esse quis nescit? Atqui omnes qui Regi opitulati sunt, non solum subjecti ejus fuerunt, sed etiam Vasalli ligii, quique gemino sacramenti vinculo tenebantur Regem suum & Dominum defendere. Hostis semper in hoste probavit fidem dominis servatam. Immo & perfidiam proditionemque veteres detestati sunt si qui æquiores fuere, etiam illam quæ in suum commodum militaret. Vbi æquitas illa & justitia Romanorum, qui medicum capitalis sui hostis ad se venientem & promittentem regis cædem qui jam dūos exercitus Reipublicæ ceciderat, non solum repulerunt, sed etiam Pyrrho de eo indicium fecerunt, ut caveret insidias? Iidem illi Romani, non certe Christiani, Ludimagistrum Falisscorum qui ex urbe obsessa pueros nobilium omnes, quos fidei suæ & disciplinæ commissos habebat, per speciem lusus emissos, in castra hostium deduxit, ut iis quod vellent facere possent, manibus post terga revinctis, in urbem remiserunt nudum, pueris pone sequentibus, & proditoris sui tergum virgis lacerandum. Tanti non putaverunt urbem capere talis sceleris occasione cujus ipsi se immunes posse videri non putarunt, nisi illud in hoste etiam improbarent. At his naturæ monstris, quæ Anglia fert & patitur, crimen proditionis est non prodere Regem suum, & fidelem esse domino idem est apud illos quod infidelitatem morte plectendam committere. Statutum anno XXX. Elisabethæ, crimen summæ proditionis impingit illi qui Reginam dominam suam quocunque modo appellaverit, inclamaverit, affirmaverit, dicto ullo aut scripto publicaverit, *Schismaticam* esse, *Hæreticam*, *tyrannam*, *infidelem* aut *usurpatricem coronæ Anglicanæ* aut *Hibernicæ*. Quid illis faciendum

dum qui Regem suum, Carolum primum, Iacobi regis filium pro tyranno mactandum carnificis securi tradiderunt? Atqui malefacta tanto sunt maledictis gravius vindicanda, quanto graviora sunt. Verba autem illa Statutorum de his qui regis mortem *conantur* & *imaginantur*, ut est in Statutis XXV. Eduardi III. laxius esse interpretanda jurisprudentes Anglici veteres affirmant, ut notavit Richardus Cromptonus in libro de Banco Regio. Nam quisquis apud se meditatur & mente volutat sua quo modo & qua via Rex neci dari possit, vi & armis, dolo vel veneno litterarum missitatione aut nuntiorum, proditionis nomine id esse appellandum. Item qui de rege destituendo, aut regno privando cogitarit, idem crimen committere, ac si mortem ejus machinatus esset. Item qui castella ejus & oppida munita detinent contra ejus voluntatem, censentur quasi bellum regi intulissent, & Statuti verbis comprehenduntur, quo declarantur proditionis rei qui arma in regem moverint. Qui Hullæ oppidi portas Regi venienti occluserunt, videant an non hac lege teneantur, & an possint tam qui fecerunt quam qui fieri mandarunt, evitare ne proditionis & rebellionis crimen incurrerint. Sed hæc minora jam non sunt alleganda, cum ad illud extremum venerint, quo nullum majus & atrocius perduellionis crimen fingi potest. Nam cum per leges Angliæ vel sola cogitatio de nece Regi inferenda scelus sit quod lege de Majestate vindicandum est, ubi factum accessit & per suas quidem circumstantias omni tali facinore sceleratius, non est de crimine dubitandum. Iidem jurisconsulti Anglici ajunt proditionem in duabus partibus consistere, priorem vocant imaginationem, quæ cogitatio est vel medi-

meditatio qua quis intra se volutat, an & quo modo scelus proditionis patrare debeat ac possit. Secunda est determinatio quædam ad scelus faciendum, & in eo proposito perseveratio, donec executioni datum sit, quæ licet effectum non sortiatur, nihilominus proditionis crimen habet, cum quæstio est de morte Regis. In aliis quippe factum scelus tantum punitur, non cogitatum. His omnibus proditionis generibus sese obligarunt rebelles Angliæ. Nam multò ante scelus animo agitaverant, diu meditati sunt qua vi aut via, aut qua arte id perficerent, postremo perfecerunt. Idque contra leges omnes Regni & Parlamenti; contra omnes constitutiones regum quæ de crimine læsæ majestatis aliquid statuerunt, quæque autoritate Parlamentorum confirmatæ sint. Et cum omnia ea Statuta loquantur de proditione quæ in regem committitur, nulla omnino est quæ sanciat proditionis crimen in populum vel Parlamentum committi. Qui regis judices & officiarios violat, læsæ majestatis & proditionis reus agitur, ut habetur in Statuto xxv. Eduardi III. Nulla Parlamenti vel Parlamentariorum mentio ullibi extat in ulla lege, qua violata majestas Senatus dicatur vel populi, aut proditio in eum commissa. Et sane nullus belli motus, nullus tumultus, nulla seditio à quoquam subjectorum regis excitari potest aut fieri, quin eo ipso lædi majestas Regis intelligatur, cum Parlamentum ipsum Regis sit, & ita semper in omnibus Statutis regum appelletur. Cum igitur Parlamentum non sit sine Rege, quia à rege convocatur, si quando de rebus arduis & summis tractare vult, ideo Parlamentum non consideratur absque rege, qui ejus anima est & forma, sine qua non est quod est. Ideo non potest in Parlamen-

tum per se sumptum, hoc est in duas domos ex quibus constat, proditionis vel læsæ majestatis crimen suscipi, quia non habet majestatem quæ in rege solo est, & quia non magis in tale Parlamentum crimen committi potest majestatis, quam in populum, quando non dominatur, sed subjectus est. Quinimmo recte affirmari potest, si tale quid prætendatur à Parlamento, & majestatem ad se traducere conetur quæ est regis, & quam non habet nisi cum rege, dum Rex cujus majestas est in eo præsens est eique præsidet, admittere ipsum contra regem crimen majestatis. Nec enim minoris est rationis, Parlamentum totum proditionis in Regem & læsæ majestatis insimulari posse dum à rege suo deficit, & regium jus & imperium usurpat, quam cum exercitus totus cum ducibus suis à rege defectionem facit & se hostibus tradit. Nunquam sane effugiet Parlamentum hodiernum Anglicanum, quin in istud crimen inciderit, cum ejusmodi Statuta sine regis autoritate & assensu fecit, quibus declaravit, *Omnes proditores esse secundum fundamentales leges Regni, & quod puniri debeant ut tales, qui arma sumpserunt contra Parlamentum Angliæ, aut eis affuerunt in tali bello.* Quæ sunt illæ leges fundamentales Regni, quibus hoc constitutum est? Vbinam illæ extant, aut quibus in Codicibus reperiuntur? Sed quinam illi sunt, qui arma ceperunt contra Parlamentum? An aliquis bellum inferre potest Parlamento, quin eadem via illud Regi simul inferat, sine quo non est Parlamentum, aut nullam certe habet autoritatem? At illi de rege ipso intellexerunt, quia, ut se à rebellibus defenderet, & jura sua vindicaret, vim vi propulsare conatus est. An ideo crimen commisit proditionis & læsæ majestatis contra subditos

suos,

suos, quos rebellantes coërcere voluit? Habet inquit Bractonus, rex coërcitionem ut delinquentes puniat & coërceat, lib. II. cap. XXIV. An ullius Parlamenti statutum citare possunt in quo decretum fuerit, arma ab aliquibus è populo, nedum ab rege, capta contra Parlamentum fuisse capitalia? Multo minus queant producere aliquod actum anteriorum Parlamentorum à Guilielmi usque temporibus, in hunc diem quo statutum fuerit, *Duos Domos sine rege esse Parlamentum, & in illis esse majestatem, & proditionem adversus illud committi posse*; quemadmodum in nupero novirio Parlamiento, postquam perduellionis crimine sese polluit, constitutum esse constat. Nam Rex Angliæ cum sit supra omnes in regno suo, etiam supra Parlamentorum, & Bractonus lib. II. cap. XXIV. *Et sciendum quod ipse Dominus Rex, qui ordinariam habet jurisdictionem & dignitatem & potestatem super omnes qui in regno suo sunt, Habet enim omnia jura in manu sua quæ ad coronam, & laicalem pertinent potestatem, & materialem gladium*. Quæ ergo proditio fieri potest contra Parlamentum, vel quod læsæ majestatis crimen in ejus domos committi? Tres ejus præcipuas species recenset Tacitus in I. Annalium, *Si quis exercitum proditione, plebem seditione, & re male gesta majestatem vel Principis vel Reipublicæ minueret*. Hæc genera proditionis non cadunt in Parlamentum, nec contra illud committi possunt. An ejus est exercitus? An plebs Parlamento subjecta est? An aliquis rem malè potest gerere, & læsæ majestatis postulari qui à Parlamento potestatem ducendi exercitum non acceperit? Castella, oppida munita an sunt in potestate Parlamenti, ut quis eorum detentione possit incurrere crimen Majestatis adversus hunc conventum?

Atqui si eorum regnum & imperium est, non potest esse perpetuum, quum ad libitum Regis convocetur, & tandiu duret donec ab eo dimitti jubeatur, qui vocavit. Quis interim, quando non est Parlamentum, regnat, quis regit omnia? Nonne is Rex est? An ille potest, cum regnat, committere crimen majestatis contra Parlamentum, quod tunc non est? Quod esse in rerum natura non potest, nisi ab ipso formetur & constituatur? Ponamus Regem posse Majestatis reum fieri de proditione quam adversus Parlamentum commiserit, id est, adversus corpus à se creatum & formatum, quis de hoc crimine regis cognoscet? An illi ipsi Iudices quos solet constituere ad cognoscendum de omnibus criminibus læsæ Majestatis? Certè *Bancus Regis*, quod est regium Tribunal ut vulgo vocatur, de his omnibus cognitionem habuit. Definiunt quippe Iurisconsulti Anglici eam supremam fuisse Curiam in qua omnia negotia ad Coronam pertinentia tractabantur & examinabantur. Nempe omnia proditionis & læsæ Majestatis & feloniæ crimina ibi judicabantur, idque ex communi Lege, absque speciali Regis mandato. An Iudices illi regii & à Rege constituti de regis crimine judicabunt? An cum majestas regis proditione lædi soleat, de majestate alia læsa quæ non extat alibi nisi in regia persona, accusabitur rex ipse & condemnabitur? An dicent Parlamentum de tali casu & causa cognoscere debere? Sola Parlamenti domus superior judiciariam habuit potestatem, & de paribus suis tantum cognoscere debuit, si quando in hoc crimen læsæ Majestatis inciderent. Atqui non est ex numero illorum Parium Rex, qui supremus eorum est Dominus, & duplici quidem titulo, quatenus ei subjecti sunt ut regi, eidemque vasal-

vaſalli ligii, id eſt fideles, ut Domino. Sic duplici obſtricti ſacramento obſequium, fidem & ſervitium regi debent, generali ut ſubjecti regis, particulari, ut Vaſalli domini ſui. Si Vaſallus in dominum ſuum judex ſedere poteſt de crimine capitali, & ſubditus in regem, Parlamentum quoque de rege id jus ſibi poteſt vindicare. Hodiernum autem Parlamentum quod nihil habet par aut ſimile cum antiquis, qualia fuere quando ab anterioribus regibus convocabantur, nec caput habet, nec pedes, nec etiam pectus. Primum ſine capite eſt, quia regem ſuſtulit, & ſic caput ſuum ſibimet ipſi abſcidit. Pectus non habet, quia potiorem ſui partem reſecuit, id eſt alteram domum quæ erat Dominorum: Nempe Eccleſiaſticorum ac ſæcularium procerum. Pedes etiam vix habere cenſendum, cum & alteram domum plebejorum, maxima ſui parte truncarint, quadraginta quinque ex his in carcerem conjectis, & centum circiter fugatis & excluſis. Quod reliquum eſt, Parlamenti nomen habet & ſpeciem ſub ducibus exercitus rebellis, qui ejus autoritate abuti tandiu ſtatuerunt, donec finem optatum conſequuti ſint & tyrannidem ſuam ſtabilierint, tum & ipſum abolituri. In Declaratione ſua, qua factum impium defendere conati ſunt, præ ſe ferunt, tale Parlamentum *aggreſſum eſſe mutare gubernationem Status Tyrannici, vel Tyrannidis, in Reipublicæ formam & ſtatum liberum.* Apparet his verbis eos regium omne regimen tyrannidem eſſe velle, qualecunque ſit, & ſic bonos etiam reges pro tyrannis habere, quia nullos poſſunt tolerare. Si enim tyrannum ſolum amovere voluiſſent, talemque vere eſſe credidiſſent quem pro tyranno ſuſtulerunt, ſatis habuiſſent, eo ſubmoto qui tyrannidis fuiſſet accuſatus & convi-

ctus, alterum ex ſtirpe & familia regia quæ plures habet principes regno idoneos, in ſolio collocare. Si non placebat aliquis ex hac domo regnatrico, poterant alterum quemlibet ex principibus & proceribus eligere, cui regni gubernationem mandarent. Sed cum dicunt ſe tyrannidem ex Anglia voluiſſe exſtirpare, regalem ſtatum tyrannidis appellatione intellexere. Quod certum eſt: Quid enim certius? Ex quo colligitur, tyranni elogio Regem Carolum donaſſe, & ſub hujus criminis titulo eum morte multaſſe, non quod tyrannicè regnaſſet, ſed quod rex eſſet, quia rex omnis iſtis tyrannus eſt, & ideo tollendus. Non obſcuris indiciis & argumentis oſtenderunt hanc ſibi mentem fuiſſe, ſed longe clarius ex eorum dogmate id eluceſcit, quo ſtatuunt ita ſe regnum Chriſti in hoc mundo poſſe ſtabilire & confirmare, ſi reges omnes inde exſcindantur. Hæc ratio plane Carolum abſolvit, quia patet ex his, nullum aliud crimen cauſam mortis ejus & ſupplicii fuiſſe, vel judicio Independentium, quam quia regnum teneret. Ideo & tyrannum in elogio capitalis ſententiæ vocarunt, ut jam dictum eſt, quia Rex & tyrannus illis ſynonyma ſunt. Cur enim iſtis ſolis Independentibus Tyrannus fuit, & non aliis ſubditis? Cur cæteri Angli Presbyteriani non Tyrannum eum nuncuparunt? Cur nec Scoti qui Presbyterio pariter addicti ſunt, tyranni appellationem huic regi impegerunt? Secta eſt igitur quæ de regibus omnibus hoc idem pronuntiat quod tyranni ſint. Non etiam vident quantopere ſibi ipſis contradicant. Tyrannum quippe appellando, fatentur regem fuiſſe, quem necarunt. Cur ergo alibi aſſerunt ſe non regem ſecuri percuſſiſſe, ſed magiſtratum, immo miniſtrum tantum populi? Ita certè Magiſtratus omnes quos

creat

creat populus, & quos tanquam ministros habet, etiam tyranni erunt si ipsis non placeant, & multa millia sic fuerint tyrannorum. Ergo omnes etiam tollendi erunt tanquam tyranni, & ἀναρχία ubique terrarum instituenda. Quod sane non dubito eorum esse votum. Sin vero soli reges qui regna habent, & qui capita Draconis efficiunt, pro tyrannis ipsis sunt, tum Carolus non fuit magistratus primarius, vel etiam minister populi, sed ex eorum regum genere, qui exterminandi sunt, ut regnum Christi in terras de cœlo possit retrahi. De Tyranni titulo vidimus, de Proditoris elogio quod eadem sententia continetur, videamus. Iam diximus eum qui tyrannus est, hoc est qui de rege justo ac legitimo in tyrannum deflexit, hoc est in regem injustum & superbum crudelemque, etiam proditorem esse, quia omnia id nomen scelera complectitur & nefaria facta, quæ aliquis injuste regnando committere potest. Vno verbo, si populi majestas sit, ut isti perduelles volunt, nullum est crimen majestatis, ut plura sunt ejus genera, quo non teneatur is qui tyrannus vere dicitur, minimum, medioximum & maximum. In his ergo & proditio erit. Et videndum quid proprie hoc nomen significet, & an de eodem genere criminis accipiatur veteribus Romanis & Anglis. Leges Angliæ & Statuta Parlamentaria omnia quæ Normannica lingua sub Normannis regibus facta sunt, *Proditionem* sua lingua vetere vocarunt *Treason*, quod nos dicimus *Trahison*. Quæ *traditio* est, qua voce Latini infimæ ætatis usi sunt, cum *proditionem* intelligerent. Hoc nomine Normannicæ omnes illæ leges Anglorum, quodcunque crimen læsæ majestatis designant. Species duas faciunt, unam quæ *alta*, id est suprema, *proditio*

dicitur. Hæc *perduellioni* Romanorum respondet, & significat subditorum adversus regem suum hostilem animum. Nam *perduelles* prisco Romanorum sermone, hostes vocabantur. Minima proditio est in iisdem legibus Anglorum, quæ scriptæ sunt Normannica lingua vetere, *Petite Treason* vocatur, quæ servi est adversus dominum. Perduellio vero, sive *alta proditio* Anglorum, quæ Gallis est crimen Majestatis *in primo capite*, hoc est, in primo & summo gradu, subdividitur etiam in alias duas species, ut jam supra attigimus. Nam aut regis ipsius salutem & caput respicit, aut consiliariorum ejus ac judicum. De his duabus lex v. Cod. ad leg. Iuliam Majestatis sic habet: *Quisquis cum militibus vel privatis, vel barbaris sceleſtam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum vel dederit, de nece etiam virorum illustrium qui consilio & consistorio nostro interſunt, Senatorum etiam, nam ipsi pars sunt corporis nostri, vel cujuslibet postremo qui nobis militat, cogitaverit.* Videtur hæc facta lex contra rebelles Anglos, qui hac lege utriusque proditionis, ut vocant, sive perduellionis, convicti plane deprehenduntur. Nam & factionem sceleſtam inierunt cum militibus privatis, & factionis ipsius susceperе invicem & dedere mutuum Sacramentum. Præterea multos de Senatoribus Parlamenti quod Regis semper appellatum est, partim incarcerarunt, partim relegarunt, quosdam etiam necarunt, totamque domum Dominorum, id est majorum gentium Senatorum, sustulerunt. Hæc quæ dicitur *proditio* in legibus Normannorum, quamque esse *perduellionem* Romanorum docuimus, *crimen Majestatis* etiam appellatur, tam Romanis quam Anglicanis Iurisperitis. Ranulphus de Glanvilla in tra-

tractatu de legibus & consuetudinibus Angliæ lib. 1. cap. 11. de placitis quæ pertinent ad Curiam Regis. *Crimen*, inquit, *quod in legibus dicitur crimen læsæ Majestatis ut de nece vel seditione personæ Domini Regis, vel regni, vel exercitus.* Quod lib. XIV. cap. 1. latius explicat de eo, *Qui machinatus fuerit vel aliquid fecerit in mortem Regis vel seditionem Regni, vel exercitus, vel consenserit, vel consilium dederit, vel autoritatem præstiterit.* In legibus Normannicis Anglorum quibus hæc ipsa lex refertur, *proditio* vocatur. In quo crimine non solum patratum scelus, sed etiam cogitatum capite punitur. In aliis factum tantum, non etiam cogitatio crimen habet. Cur igitur *proditorem* in sententiæ Caroli elogio judices sanguinarii eum vocarunt, aut quid per proditorem intellexerunt? Certè proditor secundum leges Anglicanas, proditionis est reus, id est læsæ Majestatis. Atqui jam diximus, Majestatis reum fieri non posse, qui ipsa majestas est. *Tyrannus* autem appellatur in sententia regis, qui perduellis est & majestatis crimine tenetur. Nam is vere tyrannus est, qui in regem insurgit legitimum, ut ei vitam eripiat & regnum. Hoc est hostilem plane animum adversus regem gerere. Si vero distingui placeat proditionem à crimine læsæ Majestatis, cum utrumque idem sit apud Anglos, videndum erit an proditio in regem cadere queat. Certe proditio etiam criminibus læsæ Majestatis accensetur, sed tanquam species, cum majestatis crimen generis appellatio sit. Qui dux exercitum hostibus prodit qui castella & præsidia regni curæ suæ commissa tradit in manum hostium, qui rem male gerit dolo vel ignavia fraudi proxima, qui cum posset debellare copias hostium, illæsas dimisit, qui

urbem obsessam cum posset capere non cepit, proditionis postulari possunt, in qua etiam læsæ majestatis crimen versatur. Ita Miltiades cum urbem in Insula Paro, copiis è navibus eductis obsidere cœpisset, & re infecta Athenas cum classe rediisset, proditionis accusatus est, teste Æmilio Probo. Hinc Tacitus in Majestatis crimine explicando, *proditione exercitus* committi illud dicit, plebis seditione, ac re male gesta. Cum his tribus majestas Principis vel populi minuatur, *proditio* proprie sumpta alia est ab eo scelere quo plebs ad seditionem incitatur contra regem. In legibus & Statutis Anglicanis proditionis crimen, vel læsæ majestatis est, cum quis magnum aut privatum regis sigillum effingit aut falsam monetam cudit. Bractonus lib. III. Tractatu de Corona hoc crimen falsi quo Regis sigillum adulteratur, accensis criminibus læsæ majestatis, & tangere coronam domini regis ait, *ut si aliquis accusatus fuerit vel convictus quod sigillum Domini regis falsaverit*. Quæ proprie non est proditio. Ita de aliis multis casibus, quos longum esset, & nihil attinet referre. Videamus igitur an proditio proprie sumpta in regem cadat. Vt majestatis crimen in eum non competit, quia majestas in imperio est & principis dignitas & potestas sic proprie appellatur, quam ipse proinde non posse lædere & imminuere intelligitur, multò minus proditio in eum cadere putanda est. Nam videri posset utcunque propriæ majestatis reus, ut jam supra monstravimus, qui sua jura dignitatemque non defenderet, sed lædi aut minui pateretur. At qua ratione proditionis contra se argui possit non video, qui rex sit. Incredibile quippe est proditorem sui regni posse videri, nisi insaniat. Magis capit ut quis vim sibi afferat & necem consciscat.

Nam

Nam vel fastidio vitæ hoc facere solent interdum homines, vel ex desperatione, vel ex nimio desiderio suorum quos amiserint, vel ex amore. Fuere & sapientes, qui ut senii molestias evitarent, vel ignominiam superbi victoris, vel morbi impetibilis cruciatum, vitam ejurarunt, & ad mortem tanquam ad portum confugerunt. Si cui vero regnum grave esset, & onus imperii non ferendum videretur, posset illud deponere eodem modo quo quis vitam gravem abjicit, vel eo se abdicare, ut quosdam reges fecisse constat, olim Diocletianum, & nostra ætate Carolum Quintum. Certe qui morte, quasi leviore, vitam importunam & molestam commutare sponte vellet, non mortis genus eligeret crudele & per tormenta diu trahendum. Simplici plaga defungi optaret. Similiter qui regnum relinquere destinaret, simpliciter & semel melius id faceret se detrudendo in privati fortunam. Non illud sibi extorqueri cuperet per partes, & cum crimine, prodendo interim exercitus suos, interim oppida munita hostibus tradendo, & populum suum eorum furori exponendo, aut eosdem in media penetralia aulæ suæ admittendo. An quis ita regno se privari præoptaret, ut ignominiam insuper, sua sibi voluntate, accerseret, & cum scelere illud mallet amittere, quam innocenter & sponte sua se eo exuere? Compos is sane suæ mentis non esset. Qui ad mortem tanquam ad remedium miseriarum volens currit, non per carnificem sibi caput resecari, aut se laqueo suspendi patitur, sed sua manu uti solet. Idem est de regno, quod à volente deponitur. Non igitur cadit in regem suæ mentis compotem, ut populum seditionibus distrahat, ut exercitus suos hostibus debellandos tradat, ut factiones contra se procerum suscitet,

atque ut postremo semetipsum arbitrio inimicorum permittat. Quomodo ergo proditor sui populi Carolus, sui Parlamenti? Bellum, inquiunt rebelles, contra Parlamentum suscepit, Parlamento populus repræsentatur. Ergo. Immo vos contra ipsum prius. An ille rebellis in Parlamentum suum fuit, & populi sui perduellis? Hoc unum supererat scilicet ut elogio sententiæ adderetur. Atqui proditor & tyrannus, idem qui & rebellis. Scilicet societatem cum hostibus externis Rex iniit, ut populum Angliæ opprimeret & exscinderet? Hæc enim proditio quoque est. Quis de hoc illum vel cogitasse arguit? Plebem seditione incitavit & armavit, ut Parlamentum everteret? Hoc scelus vestrum est, ô Rebelles! Numquid Nobilitatis ordinem cum Ecclesiastico sustulit? Criminis hoc vestri opus, ô Perduelles. Ergo ille proditor, qui nullam fecit proditionem, vos innocentes & sancti, qui hæc omnia admisistis, & pro cumulo & fastigio sceleris adjecistis mortem ignominiosam regi vestro manu carnificis illatam? Quod Rex fecit non rebellio fuit, non enim reges rebellant, sed rebellionis reprimendæ conatus. Sed Standardem suum, hoc vexillum est regium, in signum belli extulit. Quando aut quare? Vbi arma contra se mota rebellantium subditorum vidit, tum se cogi passus est ad defensionem sui juris & dignitatis. Nec diffitentur perduelles se primos ad arma contra regem iviſſe, sed eum bello causam dediſſe affirmant. Quo modo? Eo certe quo latroni causam dat viator cum crumena sibi & vitam auferendi, quia crumenam petentibus non statim tradiderit, aut se defendere tentaverit. Quinque rationes afferunt quibus videri volunt grandes isti latrones Regem in bello sumendo priores partes occupasse,

se, aut saltem occasionem ad id dedisse. Primam, quod diceret militiam terra marique absolute sui juris esse. Secundam, quod intenderet potestatem se habere vocandi quando vellet Senatus, ejusque dissolvendi. Tertiam, quod vocis, ut vocant, negativæ copiam sibi vindicaret. Quartam, quod de Equestri ordine judicandi, dignitates conferendi majores minoresque quibus vellet, autoritatem sibi defenderet, item burgos erigendi & *corporationes*, ut loquuntur. Quintam, quod eas prærogativas arrogaret sibi, quæ ipsi per leges non debebantur. Sed hæc omnia jura esse Angliæ regalia, & coronæ adnexa, quibusque adeo omnes anteriores reges usi libere & plene fuerunt, jam supra abunde demonstratum est. Ergo si pacatos habere Rex voluit regni sui rebelles, debuit omnia in quibus regia majestas consistit projicere, & ipsis conculcandam præbere autoritatem suam solo nomine regio retento. Quasi dicerent, aut depone omnem regiam potestatem quam accepisti à majoribus, aut pugnemus. At rex quibus vita ipsa carior debuit esse sua dignitas, quam naturæ jus, successionis lex & paterna hæreditas ipsi dederunt, signa canere jussit. Hæc belli causa fuit, quia rebelles subditos, ut sceptrum sibi de manibus extorquerent, arma contra se capere ausos, conatus est armis repellere. Pari ratione & Carolum II. primi filium natu majorem, hæredemque legitimum, quia regnum hæreditarium & paternum armis repetitum venit, similis arguent criminis, & si eum tenerent, eodem quo patrem supplicio, quasi & ipsum quoque ejusdem scilicet rebellionis & læsæ majestatis reum, afficerent. Quid reperiri potest iniquius hominibus imperitis, præcipue si improbitas ad insciticm accesserit? An ignorarunt

rarunt teterrimæ istæ belluæ, quando Vasallo quod promisit dominus non præstat, id feloniam non vocari, si vero fidem sacramenti fallat Vasallus, quam domino dedit, id esse proditionem, id est feloniam? Atqui majore fidelitatis vinculo tenetur subditus regi, quam Vasallus domino. Vtroque vero tenentur vinculo Anglici regnicolæ, tanquam Vasalli regis, & tanquam subditi. Quomodo ergo illi qui nullum non genus proditionis erga regem suum dominumque commiserunt, proditores non erunt, & Rex eorum & dominus proditionis crimine arguetur, & tanquam proditor capite plectetur à suis Vasallis & subditis, cum is per feudi & subjectionis naturam non possit proditionem in eos committere qui Vasalli ipsius & subjecti fuere? Tertium elogium trucis sententiæ fuit, regem esse *homicidam*. Quomodo ille homicida? An ut David, cum adulterium cum homicidio conjunxit? An ut Salomon, cum & fratrem majorem natu interemit, & Ioabum in Tabernaculo ipso cornu altaris tenentem trucidari jussit? An ut Saul, qui primus Rex Iudæis à Deo datus cum octoginta quinque sacerdotes in veste Pontificali necasset, & eorum civitates exscidisset, viris, mulieribus, & pueris lactentibus in ea occisis, nihilominus *Vncius domini* in scriptura vocatur? An, ut ad Christianos veniamus, ut Constantinus qui Crispum naturalem filium & uxorem Faustam occidit? Hæc parricidia sunt, non simplicia homicidia. Constantius ejus filius, à cognatorum sanguine parricidales manus non abstinuit, Constantio patruo necato & Dalmatio Cæsare. Multos alios è proceribus curavit interficiendos. Quid, ut alios in medio relinquam, de Theodosio dicendum, qui septem ho-

hominum millia, immissis in civitatem Thessalonicam cohortibus, interfecit? Punire quidem hoc modo voluit seditionem Thessalonicensium qui præfectum urbis ob capitale supplicium unius aurigæ cui favebant, ab eo decretum, occiderant, sed excessit medicina modum. Ad nostra tempora ut defendamus, quid lanienæ Parisienſi crudelius? Redeamus ad Imperatores non Christianos. Quot millia sæpe letho dederunt hominum hanc fidem profitentium, cum nemo tamen Christianorum quorum parentes & propinqui pro fide martyrium passi fuerant, Cæsares qui id fecerant, tyrannos umquam, aut proditores, aut homicidas appellaverit? Theodosium toties homicidam non alia pœna affecit Christianus Episcopus, quam ut à mensa Domini eum removeret. Non malis aliorum exemplis defendere postularem si quod tale actum esset à Carolo, sed in comparationem ea affero ut ostendam, nihil ipsum tale patrasse, quod pii & sapientes & Christiani etiam reges sine convitio & querela subditorum suorum perpetrarunt. Sed Carolo imputant multorum millium Reformatorum cædem in Hibernia per Pontificios peractam. Illam vero nec jussu ejus nec mandato commissam fuisse constat. Rexque ipse tot firmis argumentis hujus lanienæ conscientiam ab se removit, & innocentiam de hoc facto suam probavit, ut nemo, nisi falsò & injustè eam illi possit tribuere. Remitto super his lectorem ad opus illud regium & incomparabile Iconis Basilicæ, ubi se de isto crimine egregie purgavit ut de aliis quæ ei objecta ab inimicis fuere & rebellibus. Hoc enim artificio jam inde ab initio harum turbarum usi sunt perduelles, ut omnia dicta factaque regis in crimen & accusationem

tra-

traherent, quo eum odiosum redderent suis, ut sic facilius ad id exequendum, quod jam pridem animo conceperant, venirent. Numquam enim potuissent id scelus perfectum dare quod diu moliti fuerunt, nisi per populi in regem odium, & eas criminationes quibus ad Papismum eum inclinare & religionis mutationem meditari, rumoribus falsis & malevolis distulerunt. Hinc magna in illum invidia conflata, & aversi ab eo omnium animi. Novæ quædam formulæ Liturgiæ receptis insertæ jactabantur, & aliæ indifferentes cæremoniæ, quæ fidem hujus rei facere videbantur. Quod tamen falsum esse postea constitit, vel ipsorum Independentium judicio, qui nihil ei tale, cum omnia crimina facta fictave in eum conquirerent & congererent, quibus quasi jure condemnatus videri posset, exprobrarunt. Ad horam ipsam mortis Rex testatus est, se nihil tale unquam cogitasse, & in ea se mori religione quam à teneris unguiculis imbibisset, & cum lacte suxisset. Nihil non videntur in crimen traxisse ad regem reum peragendum, cum ei Rupellam captam objectarint inter scelera capitalia quæ arguitur commisisse? Ex hoc uno capite cætera discantur. Rupellenses rebelles Galliæ Rex Ludovicus in suam potestatem redegit. An eos rebellare coëgit Carolus? Quid igitur ipsi istic imputatur? Recepta scilicet urbs à rege suo, & non defensa ab eo qui nihil juris in ea habuit. An quia Reformati erant, Rex eos reformatus protegere debuit, & rebellioni suffragari? Sane auxilium eis peritum submisit. Si non satis bene res gesta est, quid hoc ad regem, ut inter crimina ipsi deputetur à subditis suis æque rebellibus, capite luendum? Historia vero sic se habet, ut ex fide dignis eam accepi.

Rex

Rex Carolus ſtatim poſt contractum cum Filia Franciæ matrimonium, commodavit Regi Ludovico ex ſua claſſe navem unam cum adverſus Italos & Genuenſes bellum ille moliretur, & conceſſit præterea, ut ſex aut ſeptem naves de mercatoribus Anglis conductas haberet, ſi modo earum domini vellent, hac tamen conditione nominatim impoſita, ne illæ naves contra Reformatos, à rege militare cogerentur. Vna ergo tum navis à Carolo Britanniæ rege Ludovico regi Franciæ commodata, ſexque aliæ de mercatoribus conductæ per eum qui regis negotia ibi curabat, *Agentem* vocant. Sub idem tempus viginti naves bellicæ ab Hollandiæ Ordinibus regi Galliæ ſubminiſtratæ fuerunt, ſub Amiralio Hautenio. Hæ ſociatæ cum navibus illis Anglicis, præter Regis Caroli voluntatem, & promiſſa Regis Ludovici, impetum cum feciſſent in claſſem Rupellenſem, eam diſturbarunt & diſſiparunt, pluribus navibus captis, partim demerſis. Qua de re queſtus eſt per Legatum ſuum Rex Angliæ, quod ſibi pacta fides ſervata non eſſet à Rege Franciæ. Contra hæc Rex Ludovicus transferre culpam in Rupellenſes, qui pacem turbaſſent fœduſque fregiſſent quod ſecum fecerant, conciliante ipſo. Proinde non debere ea re affici, cum potius ejus iracundia juſtior eſſet in Rupellenſes, qui pacem per ipſum inter partes firmatam ruptum iverant. Repetiit nihilominus naves ſuas Rex Angliæ, quæ & reſtitutæ ſunt. Nec fic tamen ille placatus bellum Franciæ ultro indixit, & Rupellenſibus petentibus auxiliares naves ſubmiſit, quæ bis terve ex Anglia profectæ nihil adjuvare obſeſſos potuere, ſed irritæ receſſere. Ejuſmodi enim opera ab obſidentibus Gallis facta ſunt, ad intercludendum ad Rupellam aditum, molibus conſtructis,

structis, & aggere miræ firmitatis in mari jacto, quem naves Anglicæ nulla vi perrumpere potuerunt. Quid ergo in his quod vitio verti Regi Magnæ Britanniæ queat? Rumor tum in Gallia per ora omnium ibat, Regem Angliæ non alia conditione voluisse auxilium quod miserat Rupellensibus, efficax esse, nisi se illi in clientelam & fidem darent. Quod cum illi facere abnuissent, ita ostentatam potius quam datam opem. De hujus rumoris veritate nihil possum promittere. De quo tametsi nihil dubitandum foret, non tamen flagitium capitale Rex commisisset, aut suppetias in totum non ferendo Rupellensibus regi suo rebellibus, aut solum conatum eis auxiliandi ostendendo potius quam præstando. Aliud est magnum crimen quod objicitur Regi, nempe quod è sacramento præberi à regibus solito, cum coronam accipiunt, verba quædam solennia detracta fuerint quando hic rex coronandus juravit. Sciendum est, hoc sacramentum quod reges in multis locis præstare ex antiquo soliti sunt, non magis eos obligare posse, quam leges quas ipsi ferunt, vel quas latas confirmant. Nam in legibus ferendis semper præ se ferunt sese iis devinciri velle, & secundum eas vivere, cum tamen revera iis soluti sint. Ita esse ut dico vel illud ostendit, quod reges qui sine controversia merum imperium habent & potestatem nullis legibus coercitam, jurare etiam nunc consueverunt populo suo, ut populus vicissim regi. Sed hæc duo juramenta diversæ naturæ sunt. Populus regi jurat fidelitatem, non populo Rex. *Fideles* dicti inde ab eo sacramento, quo fidem & obedientiam promittunt regi suo subjecti. Rex vero nec fidem nec obsequium, nec obedientiam subditis suis jurat, sed se eos esse defensurum & conservaturum, & secun-

ſecundum leges regnaturum, & juſtitiam petentibus redditurum. Et certum eſt reges multos ut benevolentiam & gratiam acquirerent populorum quos ſibi bello ſubjecerant, ſponte ſua ad hoc jusjurandum ſe demiſiſſe. Et quia de Angliæ regibus ſermo eſt, an credibile eſt Guilielmum qui armis imperium Britanniæ ſibi quæſivit, à populo coactum fuiſſe ad tale ſacramentum, quale ipſe exegerat, concipiendum? Certe ab illo tempore & regno Guilielmi repetenda eſt formula ſacramenti, quo reges Angliæ cum coronabantur uſi fuere. Nec tamen credendum eſt eandem ſemper fuiſſe, aut nihil in ea immutatum ſub diverſis regibus. Nam cum à regum voluntate plane penderet quomodo jurarent, non potuit certa verborum ſolemnitas ab omnibus exigi, quam non liceret mutare. Scribit Ariſtoteles ex illis antiquorum regibus, quibus μοναρχικὴν poteſtatem tribuit, alios juraſſe, alios non. Sed illud jusjurandum tunc videntur tantum præſtitiſſe, cum jus dicerent. Sic enim ſcribit libro III. de Republica cap. XIV. Καὶ περὶ τούτων δὲ τὰς ἐχείνων, τίνα δ' ἐποίουν οἱ μὴ ὀμνύοντες, οἱ δὲ ὀμνύοντες. ὁ δὲ ὅρ[illegible]λῶν σκῆπτρῳ ἐπανάτασις. *Præterea & cauſas judicabant, ſed hoc faciebant quidam jure-jurando interpoſito. Alii non jurabant. Iusjurandum autem erat ſceptri elevatio.* Videntur eo modo hi juraſſe reges, quomodo ſub poſterioribus regibus judices & magiſtratus jurare ſoliti erant, ſe nempe ſecundum leges eſſe judicaturos. Priſcorum quippe regum præcipuum fuit officium, judiciorum exercitio, nec minus & hodiernorum. Nam & Bractonus ſcribit lib. III. Tractatu de Actionibus, de regibus Angliæ loquens, *ordinariam juriſdictionem ad regem pertinere*, & ſummam judiciorum penes eam eſſe. Ad hoc ergo exemplum & reges

reges posterioris ævi jurare consuerant, cum coronationis eorum celebraretur solemnitas, ubi majores annis facti fuerant, & juris reddendi capaces. Quod præcipue usurpatum in regnis hæreditariis. Inde etiam proditus mos, à judicibus sive magistratibus, quibus aut populus aut princeps jurisdictionem mandabat, tale jusjurandum postulari quo jurabant se *judicaturos esse secundum leges*. Boni principes Romæ cum consulatum inibant, prisco more jurare solebant, ut de Trajano testis est Plinius in ejus Panegyrico, his verbis: *Peracta erant solemnia comitiorum si principem cogitares, jamque se omnis turba commoverat, quum tu mirantibus cunctis accedis ad consulis sellam, adigendum te præbens in verba principibus ignota, nisi cum jurare cogunt alios.* Nam tum magistratus & judices omnes jurabant in verba principis, cum principes injurati essent. At Trajanus tum Consul renuntiatus more privatorum Consulatum auspicantium jurare voluit. Idem Plinius ibidem: *Imperator ergo & Cæsar & Augustus & Pontifex maximus, stetit ante gremium consulis, seditque consul, principe ante se stante, & sedit inturbatus, interritus, & tanquam ita fieri soleret. Quin etiam sedens præbuit jusjurandum*, id est verba jurisjurandi suggessit, *& ille juravit, expressit, explanavitque verba quibus caput suum, donum suam si sciens fefellisset, Deorum iræ consecrat.* Subjicit protinus idem autor: *Ingens Cæsar, & pro gloria tua, sive fecerint illud postea princeps, sive non fecerint.* Certe non fecerunt, nec ante Trajanum alius fecit. Nec minor propterea ille fuit, neque ad eum modum jurando magis quam alii principes judicio populi aut Senatus se obnoxium fecit. Antiqui judices Iustiniano teste, leg. XIV. Cod. de judiciis, priusquam judicia-

lem

lem calculum acciperent, jurabant, *omnino se secundum veritatem & legum observationem judicium esse disposituros.* Postea ut in Novellis scriptum est, jurabant, *Se facturos secundum quod sibi melius & justius visum esset.* Atque ita etiam soliti jusjurandum præstare in Anglia judices à Regibus dati. Nam teste Bractono, *jurabat quilibet post alium quod rectam justitiam facient pro posse suo.* Si contra jusjurandi fidem, non secundum leges, judicium exercuissent, ab ipso rege qui eos constituerat, poterant removeri, atque etiam removebantur, sicut & moris in Anglia fuit. Nam cum judices omnes ille creabat, tum summum regni *justitiarium*, ut vocabant, qui dignitate omnes regni proceres, potestate cæteros magistratus antecellebat. Hic etiam à Rege ponebatur & destituebatur. Regem vero si contra leges judicasset & jusjurandum non servasset, quis poterat ideo accusare, condemnare & abjicere? De his regibus præcipue loquor, qui non populi suffragiis regnum debent, sed legi successionis. Certe jusjurandi hodierni obligatio, quod præstare solent qui hæreditate accepta regna possident, non magis eos jure adigit, si contra id faciant, ad deponendum imperium, quam antiquos illos, de quibus Aristoteles, jusjurandum illud quod causas ex tribunali disceptaturi, præstabant. Nam cum soluti legibus sint quas faciunt, etiam jurisjurandi obligatione non tenentur, qua promittunt se secundum leges esse imperaturos. Pari quippe modo obligantur ad leges quas faciunt observandas, & ad jusjurandum quod præstant. Officium quidem suum si facere velint, utrumque tenentur implere, sed si non fecerint, superiorem non habent à quo judicari possint. Legibus se dicunt solu-

solitos esse *& tamen legibus vivere*, ut est in Institutis. Similes his voces Cæsarum passim in jure Romano occurrunt: *Proprium esse Imperatoris legibus vivere. Principem decedere leges servare.* Penè etiam divinum est quod Theodosius & Valentinianus Imperatores scripsere leg. 1 v. Cod. de Legibus & Constitutionibus Principum. *Digna res est*, inquiunt, *majestate regnantis, legibus obligatum se principem profiteri. Adeo de autoritate juris nostra pendet autoritas. Et revera majus imperio est submittere legibus principatum.* Aurea plane verba, quæ utinam Principibus frequenter inculcarent, qui eos accedunt, & qui in aulis eorum versantur. Quid autem majus aut melius possunt in sacramento quod præstant promittere ac profiteri, quam se *legibus esse obligatos, & supra se leges esse, non se supra leges?* Sed sive jurent hoc, sive non jurent, officii sui ratio ad hoc eos penitus adstringit, non vis sacramenti. Boni viri in his quæ se decet facere, non magis jurisjurandi virtute se teneri existimant, quam simplici promissione. Lubentius quinimmo ad jurandum proni sunt, qui fallendi animum habent. In regibus autem mos ille jurandi qui hodie receptus est, cæremonialis est tantum, nec plus præstat quam illa professio, de qua loquuntur Imperatores lege supra citata. Quod enim percussores regis Angliæ ex eo sacramento quod reges hujus Insulæ tempore coronationis suæ præstare consueverunt, probare contendunt regnum hoc hæreditarium non esse, fallere potius videntur voluisse, quam falli potuere. Non enim possunt ignorare omnium hodie regum Europæ hunc esse morem. Sciunt etiam, aut scire debuerunt, non ab illo sacramento reges regnum auspicari, sed etiam regnare solitos antequam juraverint.

Vt

Vt coronatio ſolemnitas eſt, quæ non facit regem, ſed decorat, ita nec ſacramentum quod in ea præſtatur regnum regi dat, quod ſucceſſio defert vel infanti. Iſque Rex dicitur & habetur etiam antequam coronam capiat, quæ adulto demum imponitur cum ſolemnitate aliqua; quæ ornamentum potius cenſetur & honoris acceſſio, quam dignitatis regiæ vel imperii collatio, in regnis hæreditariis. Et ſic ſtatutum eſt ab omnibus Angliæ judicibus primo anno Regis Iacobi. Hodie extant exempla regum nondum coronatorum, qui tamen reges ſunt. Eodem autem tempore quo corona donantur reges, etiam jusjurandum præſtant. Et ſic conſtat pro regibus etiam habitos qui nondum ſacramentum præſtiterunt. Hujus jurisjurandi ratio alia in regnis quæ ſuffragio populi dantur, alia in illis quæ dat ſucceſſio. Qui regem eligunt, conditiones interdum ei proponere regnandi ſolent, de quibus obſervandis jusjurandum quoque ab eo exigunt, ut ex ſua parte illud & ipſi præſtant. Si talis pactio non interveniat eligentes inter & electum, quæ mutuo ſacramento firmanda ſit, tamen is qui eligitur, quaſi perpetuus judex à populo creatus debet jurejurando cavere, leges regni quæ latæ ſunt, & quas ex conſilio primorum populi laturus ſit, ſe eſſe ſervaturum. In hæreditariis regnis alia cauſa eſt ſacramenti quod præſtant reges. Vt enim hæc imperia, ut plurimum armis quæſita, ab uſurpatione initium ceperunt, victores, ut cum bona gratia genti victæ poſſint imperare, plura eis privilegia ſolent indulgere, eaque ut populo perpetua maneant beneficia, non ſolum ipſi ſe ad ea ſervanda propriâ voluntate jurati obligant, ſed etiam ſucceſſores ſuos ad ſimile ſacramentum adigunt. Tale ſanè fuit ſacramen-

tum à Guilielmo Conquæstore Angliæ à se subjugatis suoque imperio subjectis præstitum. Successores ejus idem sequuti sunt, quorum sacramenti præstandi hæc præcipua fuit ratio, ut populo Angliæ confirmarent leges & privilegia ab anterioribus regibus ei concessa nominatimque, *Leges, consuetudines & immunitates Clero datas per glorioſum regem Sanctum Eduardum*, secundum Dei legem & veram professionem Euangelii stabilitam in regno *& congruentem regum prærogativæ*. Sequebatur & articulus in eo sacramento, *De pace & concordia custodienda, secundum ipsius vires, Deo, Sanctæ Ecclesiæ Clero & populo*. Tertius erat quo se curaturum promittebat ut *justitia in veritate in omnibus suis judiciis administraretur*. De his tribus tantum jurabant Reges Angliæ temporibus Henrici tertii, & Iohannis teste Bractono lib. III. de Actionibus, cap. IX. primo se pacem & concordiam in Ecclesia & populo pro viribus conservaturum. secundo rapinas & Iniquitates prohibiturum. Tertio, in omnibus judiciis se æquitatem præceptorum. In posteriorum regum jurandi formula, ut videtur, quartus & ultimus clausulam habuit, quam truncatis aliquot vocibus immutatam fuisse in sacramento, quod Rex Carolus præstitit, crimini ipsi datum est, *Quod populo concederet tenere & obſervare leges & justas consuetudines quas regni communitas habet*, & quod eas defenderet & conservaret quantum in ipso esset. Hic objicitur Regi, quod loco *Legum & consuetudinum quas communitas habet*, esse oportuerit, *consuetudines & leges quas vulgus elegerit*. Quæ verba sensum idoneum non efficiunt, aut habent contrarium legibus ipsis regni & statutis Parlamenti. Quid est enim *leges eligere?* An possunt pro-

probare in populi arbitrio fuisse legum eligendarum licentiam? Nam ne condendæ quidem ullius legis populus habuit potestatem, nisi in Parlamento à Rege vocato. Nec sane ulla lex ab ipso Parlamento lata vigorem legis habuit vel autoritatem nisi assensu regis approbata & firmata. Privata acta Parlamenti quæ sine rege fiebant, neque cives neque peregrinos constringebant, ut constitutum est Statuto anni XXXVII. Henrici VI. cap. XV. & decimo-tertio Eduardi IV. cap. VIII. Falsissimum ergo est quod ex illa clausula commentitia arguunt, potestatem populo fuisse leges habendi & sibi faciendi quas vellet. Quod an stare possit, ex his quæ supra diximus, probari potest. Ajunt regis defensores fieri posse ut ea clausula in aliquot antiquis exemplaribus formularum regii sacramenti extiterit, sed in desuetudinem abiisse, quod commodam significationem non haberet. Certe non aliter accipi potest quam de legibus quas populus in Parlamento legitimo per regem convocato sanciverit vel elegerit, accedente Regis ipsius consensu stabilitas. Vt hoc crimen ad regis necem ea verborum formula valeret, debuerunt ostendere jussu ejus illa fuisse detracta. Ponatur & hoc, an crimen capitale id Regi? Atqui ne capitale quidem ei fuerit contra leges feciſſe, cum nec judices ipsi qui sub regibus constituti jurarant se secundum leges esse judicaturos, si id non feciſſent, capitis supplicio umquam luerint. Multo minus id regi sit capitale qui supra leges est, vel hoc ipso quod earum pœnam remittere noxiis potest, vel in atrociſſimo scelere deprehensis & convictis, ut est *summa*, quam vocant, *proditio*. Per eas ipsas leges, ut sit superior legibus accepit, quarum gratiam facere potest in multis casibus per

suum illud, *Non obstante*. Quod in omnibus legibus à Parlamento factis obtinuit. Capitalium, ut dixi, delictorum remissio, quæ à voluntate regis pendebat, & illud axioma juris Anglicani, *Regem non posse facere injuriam*, satis evincunt legibus eum solutum fuisse, haud secus quam alios principes qui Μοναρχικὸν imperium obtinent. Inter jura Regis Angliæ hoc etiam fuit, ut ex proprio placito, & absoluta autoritate, posset quemlibet in carcerem conjici jubere, & tandiu ibi retinere quandiu vellet, ut ostendit Richardus Cromptonus in libro de Parlamento. Cum civis in civem litigat, *per actionem & processum*, ut loquuntur, cum eo experitur, si contra regem in simili casu agere velit, id fit per petitionem, jure quo Angli semper usi sunt. Sed ipse in persona non est subjectus examini, nec judicio, nec legibus interrogari potest. Legibus ille quidem, ut alii reges, vivere debet, sed si non fecerit, & jusjurandum non servet, non tenetur alteri rationem reddere nisi Deo. Ministrum eum esse & Vicarium Dei in terris scribit Bractonus lib. III. cap. IX. & lib. I. cap. VI. *ipsum regem sub nemine esse sed sub Deo. Parem autem non habere in regno suo, quia sic amitteret præceptum, par in parem non habet imperium.* Frequentissimæ subditorum quærelæ contra reges ex onere tributorum oriuntur, quibus se gravari quiritantur. Salomon ingentia tributa populo Israëlitico imposuerat, quibus ingentem opum vim quæsivit, contra expressum Dei mandatum, quo Regibus Israëlitarum interdictum erat divitias amplas adgregare. Nihilominus Rex mansit & sapientissimus mortalium audiit. Regi Carolo si tale quid in mentem venisset facere, quid plus fuit dicturus accusator ejus, qui in defensione parricidii

ab

ab illis tyrannis commissi, non dubitavit affirmare, *Si regem non modo decollassent, sed & in quatuor partes corpus ejus secuissent, nihil facturos fuisse pro merito flagitii, quod admiserat?* Certe cum Rex vellet tributum Classi imponere, sapientes regni, id est legum & consuetudinum peritos ad se vocavit, ut eos consuleret an id sibi liceret. Cum illi respondissent licere, sic fecit. Sed mox cum intellexisset id populo non placere, per Actum Parlamenti, non coactus sed volens id revocavit. Hoc tamen, quasi grave crimen, illi impingitur ab accusatoribus. Si peccatum ullum ejus hac in re fuit, statim monitus & pœnitentia ductus id emendavit. Quid ergo mali commeruit? An necem quia pœnituit? Beneficii potius loco & gratiæ hoc illi fuit imputandum. Sed quid de ejus accusatoribus & percussoribus hic dicemus? Nonne eos regem suum diceres ideo sustulisse, ut possent sine ulla lege, sine jure, sine autoritate tributum Anglicano populo imponere hebdomadatim solvendum triginta trium millium quingentarum & decem librarum. Præter istas exactiones etiam extorserunt à civibus Angliæ vigesimam & quintam partem omnium bonorum, & præterea vectigal superindixerunt omnibus rebus, quarum usus aliquis est, intolerandum. Postremo omnium honestorum virorum bona & possessiones sequestrarunt, tam in Ecclesia quam in Republica, sub prætextu *Malignantium*, quos vocabant, & delinquentium, quos & inauditos condemnarunt, contra jura omnia & leges Angliæ. Ita corvi lupique raptores in fabula facile sibi ignoscunt, columbasque & agnos rapacitatis insimulant. Catilinas & Cethegos, Claudios, Antonios & Cæsares audire videor Cicerones & Catones tyrannidis arguen-

tes. Nonne tempus est, si umquam fuit, ut Angli clament, *Porro Quirites, libertatem perdimus.* Adeo hoc tempore exulat ab illa Insula, ut ne verba quidem libera sint. Nam mutire non solum plebejis, sed etiam quibuscunque piaculum est. Et cui non mirum videatur cum rege amissam fuisse libertatem, & cum Republica natam tyrannidem? Specie libertatis Imperium everterunt, deinde everso Imperio, ipsam libertatem. Vt ad hoc venirent, qui scelus istud jam pridem meditati fuerant, hac arte usi sunt, ut criminationes varias contra Regem in vulgus spargerent, quibus eum in odium & invidiam adducerent. Quæ machinationes dolique non prius patuerunt quam res in execrandum parricidium exiit. Levia quæque vitia ita exaggerabant, ut de his crimina majoris abollæ facerent. Ne post mortem Regis quidem cum omnia sedulo conquisissent, per quæ merito supplicio ab his affectus Rex videri posset, quicquam morte, vel in privato, dignum protulerunt, nedum in rege. Omnia inania, frivola, vel non probata, vel in crimen maligna interpretatione detorta, vel solis suspicionibus & conjecturis subnixa, vel etiam millies refutata. Nonnulla etiam in medio belli æstu commissa, quæ justius in rebelles retorqueri possent, quibus causa omnium malorum, quæ Anglia hactenus perpessa est, & in posterum est perpessura, tribui debet. Quis non rideat, quod impedita inter Londinum & Oxonium commercia, inter Regis crimina recensentur? Cur non adjunxerunt cum hoc actum est, tum Oxonium Regis arcem & præsidium fuisse, & Londinum rebellium? Debuit ergo annonam ultro submittere suis hostibus Rex, & se ipsum commeatu intercludere, ut tanto citius in eorum pote-

potestatem qui eum erant trucidaturi, venire posset. Adeo autem veris & idoneis accusationis causis deficiebantur, ut hanc etiam pro maxime criminosa posuerint quod sanctos illos viros, à quibus postea condemnatus est & necatus, non *Sanctos* soleret appellare, sed *Brunistas*, & *Sectarios* & *Independentes*. Grande hoc sane crimen in rege. Debuit enim sanctos illos venerari & adorare pro eo quod rebellionis in ipsum autores & flabellatores fuerant. Si verum fateri vellent aut possent, hæc gravissima omnium causa fuit, vel etiam unica, quæ Regi caput amputavit. Hoc enim eum tyrannum fecit, hoc proditorem & homicidam. Noluit Rex concedere tali sanctitati nec sceptrum ei suum tradere, quæ sola regnare merebatur, utpote quæ Christi regnum in terris constituit, cum quo regnum mundi non potest consistere. Quicunque igitur, ubicunque terrarum, reges erunt, qui tales sanctos regnare prohibebunt, simili pœna luere id debent, & capite depositio, non corona tantum, locum facere sanctis, & cum his Christo regnaturo. Eodem crimine cum rege, id est nullo, concidit etiam Nobilitatis ordo, qui domum superiorem Parlamenti & dominorum constituebat. Quid enim proceres meruerunt, ut nihil loci amplius nec ullam partem in Reipublicæ administratione haberent, quam aliquando soli secundam à rege habuere, semper præcipuam? Si universa Nobilitas in unum corpus coire & conflari potuisset, cervicem ei æque audacter dempsissent, ut Regi desecuerunt, ut ea esset forma status quam optarunt, populus sub tyrannis sine rege & nobilitate. Nuper enim illi Angliæ tyranni decretum fecerunt de novo fidelitatis ab omnibus sacramento præstando, & Reipublicæ, sicut nunc

est constituta, sine *Rege*, *& Dominis*, hoc est Optimatibus. Debuerunt addere, *& cum quadraginta tyrannis*. Quo enim alio nomine merentur appellari, qui re & factis se id esse probarunt? Nam quis eos constituit in populo supremos judices & duces? An Populus? An Parlamentum? An Rex? Immo ipsi semetipsos, vi & armis. Ita tyranni sunt, & usurpatione, & administratione. Quis etiam jus illis dedit Status Reipublicæ immutandi, & pro regali haud scio qualem, popularem an militarem, instituendi? An quia meliorem esse judicarunt popularem? Vnde homines rerum imperiti hoc didicerunt? Si hoc revera est, cur militaris est, non popularis quem fecerunt? An quia liberum statum habere voluerunt? Quasi liber sit qui sub militibus est, & militum ducibus. Cur igitur libertas nunc minor est in Anglia, quam sub regibus fuit? Omnis mutatio præterea tametsi videatur in melius fieri, semper pessima est. Sed unde nobis probabunt id esse melius quod elegerunt, quamvis veræ & liberæ Reipublicæ regimen instituissent? Non disputabo hic quodnam ex tribus gubernandi generibus optimum sit, cum sua incommoda singulis adsint. Non etiam rationes ab aliis allatas repetam, quibus multi pro suo quisque judicio & gustu meliorem eum esse qui magis placebat, probare contenderunt. Possem enim & alia proferre argumenta quibus ostenderem non esse pessimum regium, immo & optimum, cum bene administratur. Dicam obiter tantum non simpliciter hunc aut illum esse præferendum, sed prout nationes sunt, popularem illis, aut regalem magis esse conducibilem. In Oriente semper reges fuere. Vnde hoc, nisi quia Orientales populi ad hoc regimen magis facti videntur,

utpo-

utpote ad ſervitium magis nati? In Europa, ut variæ gentes eam inhabitarunt, ita aliæ etiam aliis ad ſtatum regalem aut accipiendum aut reſpuendum magis habiles. Anglia ſemper reges habuit. Ex quo manifeſtum eſt illius gentis ingenia non poſſe aliter gubernari. Præter genium & naturam populorum alia etiam ratio eſt, cur popularis in aliis locis commodior ſit, in aliis regalis, & contra. Experientia docuit parvas civitates aptius gubernatione populari contineri. Ampliſſimis autem ditionibus regalem melius convenire. Quandiu Romana potentia intra pomœria urbis ſuæ, vel ad ſummum intra Italiæ fines, ſtetit, Reſpublica eorum viguit, & à populo bene adminiſtrata eſt. Vbi imperii ſui terminos extra Italiam promovit, tum populus coactus eſt ob multitudinem plebis nimis abundantem Senatui ſe regendum permittere. Et ſic ad paucos rediit regimen, quod populi erat. Nam ubi populus major eſt quam ut in concionem convenire totus poſſit, imperii ejus exercendi ratio neceſſario ad pauciores referenda eſt. Inde natus optimatum Status. Pomponius de Origine juris: *Deinde quia difficile plebs convenire cœpit, populus multo difficilius in tanta turba hominum, neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit.* Vbi vero tantum evaſit illud imperium ut penè totum orbem comprehenderet, tum eadem neceſſitatis ratio, quæ à populo ad Senatum traduxerat regendi curam, à Senatu ad unum eam tranſtulit. Tanta enim mole imperii, in tam frequentibus magnatum opibus clienteliſque adeo potentium diſſenſionibus, non potuit ab ipſis Optimatibus regi, qui quotidie in partes ſcindebantur. Sic in unius poteſtatem recidit reſpublica diſcordiis procerum & bellis ci-

vilibus fessa. Quod alicubi testatur Tacitus, & idem Pomponius eodem loco his verbis: *Novissime sicut ad pauciores juris constituendi via transiisse ipsis rebus dictantibus videbatur, per partes evenit ut necesse esset Reipublicæ per unum consuli. Nam Senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat. Igitur constituto Principe datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset.* Omnes ferme antiquorum respublicæ, aut singularum fuere civitatum, aut paucarum minorum sub una principali. Hodieque aliquot in Europa nostra Civitates liberæ reperiuntur. Paulo amplioris territorii Venetorum Status ab optimatibus gubernatur, non à populo. Fœderatæ istæ Provinciæ jam olim à suis Comitibus sive Grafionibus, id est rectoribus, libere administratæ sunt, cum imperium esset penes Ordines. Ad Angliam quod attinet, non tam magnitudo Insulæ, quamvis & hæc quoque adjuverit, quam genius gentis fecit, ut reges semper haberet. Hunc non mutassent qui hodie in ea tyrannicè regnant, nisi id propriæ ambitionis gratia feciissent. Nulla quippe de regio regimine, in illud quod nunc obtinet, alia transitio facta est, nisi quod pro rege tyranni sunt. Sic semper regalis est ille status, sed in excessu regiæ dominationis, quæ *tyrannis* vocatur. Quod autem volunt videri tyranni illi ad instar Batavorum Rempublicam liberam constituisse, & horum exemplo factum suum tueri conantur, hoc quoque illis telum eripiendum est. Tam quippe simile est quod ipsi fecerunt & quod Batavi, ut lac atramento non magis dissimile videri queat. Nam sive res ipsas spectemus, sive rerum causas, sive finem, sive personas tam agentes quam patientes, & alias omnes circumstantias, quæ facti qualitatem spectant & agendi modum,

dum, si contraria contrariis similia sunt, Batavorum & Anglorum facinus gemella facie inter se pariabunt. Priusquam comparationem utriusque facti ingrediamur, causæ justioris in Batavis magnum argumentum est Rex ipse, cui obsequium renuntiare coacti sunt, ut cum quo bellum tot annos pro libertate gesserunt. Nam duobus fœderum solennibus tractatibus, nihil se in eos habere juris vel imperii testatus est, sed cum his, tanquam cum liberis populis, inducias primo duodecennales, mox & pacem fecit. Quando erit, ut legitimus hæres Caroli primi, aut quicunque ex regia domo successores in jus idem oriturí quandocunque sunt, parricidas parentis sui, & rebelles, pro legitimis possessoribus agnoscat regni ad se pertinentis? Hoc nunquam ullo in ævo futurum est, neque fiet. Nunc conferamus & contendamus invicem causam Anglorum & Batavorum, & dispiciamus, an Batavorum exemplum Anglis prodesse queat. Batavi semper liberi fuere, Angli semper sub Regibus. Romanis illi numquam subjecti sunt, isti jugum subiere Romanorum. Quo tempore duces & comites in Imperio Romano dicebantur provinciarum rectores & civitatum, quorum idem & nomen eademque potestas sub Francorum in Galliis regnantium prima stirpe, habuere & isti suos comites, Grafiones vocabant, id est rectores, qui Ordinum nomine gubernabant. Vbi vero illi duces & comites, qui sub regibus erant, titulo feudi à suis dominis ac regibus eas dignitates obtinuerunt, & hæreditarias possidere cœperunt, comites quoque Batavorum, quia sæculi hic mos erat, præfecturas suas quas, quoad viverent, antea tenebant, suis hæredibus reliquere permittentibus vel conniventibus Ordinibus pro-

vinciarum quibus præsidebant. Ex isto genere Comitatuum Hollandia fuit, cujus comes non supremam habuit autoritatem, sed ipsi Ordines. In domum Burgundicam cum transisset hæc dignitas per matrimonium, à domo Burgundica similiter in Austriacam per aliud matrimonium translata est, Maria Caroli Maximiliano nupta, quibus Philippus natus Caroli Burgundi nepos, Comes Hollandiæ, qui ducta Infante Hispaniæ regnum hoc adeptus est. Ita non Rex Hispanus factus est Hollandiæ Comes, sed Hollandiæ Comes evasit Rex Hispaniæ, manente semper penes Ordines Provinciæ, sive Comitatus Hollandiæ, ut semper fuerat, principali autoritate. At quicunque duces & comites in Anglia extitere, aut à rege eas dignitates honorarias accepere, aut feudales & patrimoniales ejusdem beneficio tenuere. Batavi non regem abdicarunt, sed Comitem. Causas perspiciamus abdicationis in Anglis & Batavis. Non Batavi regis Hispaniarum jura imminuere unquam tentarunt. Contra Hispanus peculiares immunitates, jura & consuetudines Belgarum evertere contendit, jam inde à Caroli V. temporibus, imperiumque quod Ordinum erat, ad se trahere. In Anglicana rebellione alia omnia, & adversis frontibus pugnantia. Non enim Rex populi privilegia abrogare studuit, sed populus jura omnia regalia Regi eripere, majestatem ejus imminuere modis omnibus conatus est. Batavi non primi regi bellum intulerunt, sed per quadraginta annorum spatium pro obsequio erga principem retinendo, luctati sunt contra crudelitatem & avaritiam rectorum suorum, & regis præsidum. Angli quod regem præviderent non libenter esse passurum se sua potestate à subjectis exui, ut cogi posset, bellum

in

in eum moverunt, portas illi oppidorum clauſerunt, omnia denique in eum hoſtilia moliti ſunt, nulla ab eo provocati injuria, non cædibus, non violentia in conſcientiarum & religionis libertatem, non tributorum oneribus. In Batavia ſpatio quadraginta annorum plus quam centum hominum millia, igne, gladio, laqueo necata, & aquis hauſta ob religionem memorantur. Vnus Dux Albanus gloriatus eſt ſe tempore ſuæ adminiſtrationis pluſquam decem & octo hominum millia, variis tormentis prius excruciata, neci dediſſe. Angli omnibus ſuis admonitionibus aut declarationibus quas ad Regem mittebant, nihil niſi rebellionem, ſeditionem, & hoſtilem animum minaſque ſpirabant. Batavi ſupplicationibus ſolis cum rege agentes de ſolis ejus miniſtris querebantur. Angli non ſolum Regi, ſed etiam Parlamento bellum induxerunt, quod nobiliore ſui parte mutilarunt. Batavi Ordinibus autoritatem, qualem habuere ſub ſuis ducibus, conſervarunt. Angli nobilitatem regni; quæ ſola poſt Regem olim maximam habuit autoritatem & ſemper præcipuam, exterminarunt. Batavi ſua nobilibus jura & privilegia ſarta tecta reliquerunt, partemque in rebus gerendis quam ſemper ſub Comitibus obtinuerunt. Angli Rege ſublato libertatem non reddiderunt populo, ſed tyrannidem qualis non fuit ſub ullo priorum regum, introduxerunt, quadraginta tyrannis qui ſupremum imperium tenerent, è corpore militari conſtitutis. Batavi non rege, ſed Comite, qui nunquam poteſtatem habuit abſolutam, abdicato vel deſtituto, veram Reipublicæ liberæ formam inſtituerunt, vel potius reſtituerunt, per deputatos generales provinciarum fœderatarum, & particulares civitatum adminiſtrandam. Ad ſummam, Ba-

tavi non regem, ne Comitem quidem ſuum ad judicium vocarunt, non accuſarunt, non ſupplicio capitis per carnificem affecerunt. Ne quidem extrema paſſi prius eum deſeruerunt quam ab eo deſerti ſunt, & perditioni edicto regis dediti & addicti, atque hoſtes publici pronuntiati, & hoc nomine exterminari juſſi. De rege ſuo Angli omnia hæc fecerunt, & nullum genus ignominiæ & contumeliæ rerum & verborum prætermiſere, quod non addiderint ad mortem infamem qua regem ſuum quaſi latronem & proditorem & ſicarium carnificis ferro confecerunt. Idque patrarunt contra omnia vetuſtatis & novitatis exempla, contra jus & fas, contra omnium gentium etiam barbararum morem. Dionyſius Tyrannus cum multa infanda & crudelitatis inauditæ facinora edidiſſet in cives ſuos, ab his expulſus quod reliquum vitæ fuit, Corinthi exegit in ludo literario, cujus magiſter erat. Vnum rebellibus Anglis Neronis exemplum placet, quem Senatus condemnavit. Quantum huic judicio tribuendum ſit, vel inde liquet, quod idem ille Senatus paulo ante in gratiam illius ſæviſſimi tyranni, honeſtiſſimos & ſanctiſſimos in illa ætate hominum, & Senatores graviſſimos Thraſeam Pætum & Soranum alioſque infinitos ad mortem damnaverit. Ipſe ille Galba qui ex ordine Senatorum erat & à Nerone deſciverat & cujus gratiæ dedit tum Senatus ille hanc Neronis condemnationem, fatetur apud Tacitum, *non extare ante Neronem exemplum damnati principis.* Neque ſane poſtea extitit. Sed nec illud judicium executioni mandatum eſt. Quod de Maximino quaſi ſimile memorant, non eſt ſimile. A Senatu ille quidem hoſtis pronuntiatus eſt, ſed non per carnificem publice ſecuri percuſſus. Is de corpore mili-

militari primus imperium invaserat, à militibus factus sine assensu Senatus, Alexandro Mammeæ optimo principe & à quo promotus fuerat & universo exercitui præfectus, nefarie interempto: At id præterea factum in imperio non hæreditario, ut & alia duo quæ sequuntur. Ante annos centum sexaginta septemviri Electores Wenceslaum se abdicare imperio adegerunt. Christiernus secundus Daniæ Rex, electione regnum adeptus, cum impotenter & tyrannicè regnasset, multos è proceribus inauditos atque etiam insontes à Senatu pronuntiatos trucidasset, alios bonis indicta causa exuisset, contra jus gentium multa fecisset, in carcerem conjectis Sueciæ legatis, & aliis qui è Polonia venerant, etiam interfectis, à suis subjectis destitutus est, qui filium ejus Iohannem regem sibi sumpserunt. Richardo II. Angliæ Regi plura longe objecta fuere crimina quam Carolo, atqui abdicatus tantum est, non judicatus, nec capitis damnatus, nec per carnificem decollatus. Henricus sextus parem fortunam in eodem regno expertus est, & se regno abdicare coactus. De his loquor qui in potestate populi sui aliquando fuerunt, ut de his quod vellent statuerent. Aut destituti sunt, aut coacti imperio abire, numquam damnati. Sic duos reges Gallia sibi vidit ademptos, Ordinum regni consensu. Hoc ergo maneat fixum tanquam jus numquam movendum, & ab omnibus gentibus paganis, Iudæis, Christianis semper observatum, Regem judicari non posse, & proinde male à suis judicatum fuisse Carolum. Immo judices ejus non judices fuisse, sed perduelles, latrones, sicarios, parricidas, dicendos. Scitum est & vere dictum à quodam de secta Independentium, regem in Carolo primum perdidisse Presbyterianos, deinde

inde & Carolum ipsum trucidasse Independentes. Ita regem justum & sanctum extinxere Presbyteriani, Carolum vero virum probum & pium, non tantum innocentem, Independentes condemnarunt. Et sic quamvis accusari & judicari potuisset, ita tamen constat vitam egisse, & sic in regni administratione sese gessisse, ut nihil in utraque reprehendendum aut pœnitendum, nedum puniendum, occurrere sit passus. Tyrannum non fuisse constat, sed tyrannidem contra se surgentem frustra opprimere voluisse, à qua oppressus est. Constat denique à proditoribus & parricidis fuisse falso proditionis accusatum, & scelere antea numquam audito nec cognito necatum. Ab illis damnatum ad mortem, qui nullam autoritatem judicandi, vel judices dandi habuerunt, tametsi vel minimus opifex ad eorum tribunal fuisset vocatus. Sic Rex insons periit, nec tantum insons, sed indefensus & inauditus, qui ne omnium quidem criminum quæ ei objecta sunt, convictus perire debuit, quia nec judicari potuit. Si privatus fuisset, ut Rex fuit, ne quidem ab istis objectionibus & accusationibus quicquam pati æquiorum judicum sententia potuisset. In fine porro hujus Defensionis Deum testabor, me hanc causam tuendam suscepisse non tantum quia rogatus, sed quia meliorem & justiorem nullam ea me potuisse defendere conscientia mea mihi suggessit, ratio & veritas docuit, resque ipsa dictavit. Eadem porro veritatis ratione ducente profiteor, me & plenum & liberum regibus asseruisse imperium, quibus id naturæ jure & successionis lege debetur. Primo, quia & causa Regis Angliæ poscebat, quæ communis est ipsi cum reliquis regibus. Deinde, quia & populorum qui reguntur maxime interest non

ob-

obnoxiam subjectis habere potestatem qui eos regunt. Namque haud satis liquet utrum hominum Reipublicæ, ut ranarum, minus expediat habere hydrum pro rectore, an tigillum: id est tyrannum, quam regem inertem. Hinc calcanda majestas cum contemptum pariat, inde nimis elata odium, utrumque ex æquo ad pessima quæque populos provocat. Nemo etiam credat me voluisse latum ubique terrarum campum regnantium aperire tyrannidi, in quo libere decurrat, cum solo Deo minores eos esse dixi, cum solum Deum agnoscere vindicem suorum factorum, & cum à nemine mortalium judicari posse, legibusque solutos esse pertendi. Hæc omnia quidem verissima esse, multis solidisque argumentis probavi, sed non propterea regum loco tyrannos sedere volui. Quod amplissimam eos habere potestatem defendi, & nullis finibus circumscriptam, non ex eo sequi intellexi ea etiam illos uti debere, & id velle quod possunt, vel sibi licere credere quod ipsis libet. Vnusquisque potestatem habet se occidendi, pejerandi, mentiendi, fallendi. Mulier omnis potest corpore mererе, vir omnis histrioniam facere & lenocinium. Summa tamen in his omnibus facientium versatur turpitudo, partim & scelus. Nec minus turpe est regi quæ sunt regibus inhonesta velle, quamvis possint impune jure suo uti. Interdum etiam ne impune quidem id faciunt. Nam Deo permittente non raro accidit, ut populorum sæpius tentata ac tandem victa patientia furor fiat, qui per calcatum regem ad regnum quoque destruendum viam vi sibi faciunt & ad regimen regium abolendum contendunt. Si Deum solum habere eos judicem asserui, tanto magis formidare illos decet, & cavere ne tradantur tam severi

veri vindicis justo judicio, qui non in personas tantum peccantes suo jure animadvertit, sed delicta eorum sæpenumero in totam posteritatem vindicat unius ob noxam patris. Præterea judices mortales de solis apud se probatis aut confessis pronuntiant criminibus. At judex æternus corda ipsa rimatur, & in secreto conscientiarum scelera inquirit, quæ deprehensa puniat. Tanto magis propterea cavendam ejus iram sibi scire debent reges, quem latere ne quidem sola mente conceptum malum facinus potest. Si legibus solutus est, non ad hoc se esse supra leges debet judicare ut solutius cæteris vivat qui his teneri soli videntur. Quomodo eas servandas curabit, si prior ipse non illas observet? Si quod sui est officii non facit, quo jure ab illis quibus imperat, officii rationem exiget? Quomodo bonos postulabit sibi esse subditos, nisi se illis bonum præbeat regem ac dominum? Vt enim ad exemplar Regis properant omnes, si bonus est, imitantur, si malus, similiter. Meminerint igitur non solum se homines esse, sed & imperium in homines habere ex iisdem constantes elementis, à quibus introitu in vitam & exitu non differunt, sed solo personæ mimo quam in hoc mundi theatro sustinent. Vbi eam deposuerunt, ut ex pulvere facti in eundem quoque cum aliis pulverem revertuntur. Meminerint etiam cum bene imperant, onus esse regnum, si male, periculum: quasi tenui filo supra cervicem sibi semper impendente gladio. Cogitent etiam suæ fidei & custodiæ tanquam pastoribus commissos esse à summo numine populos, non tanquam lupis aut lanionibus traditos mactandos & deglubendos, sed ad pascua ducendos & tondendos tantum. Post omnia videant, quid malis regibus metuendum

dum sit, cum arcano Dei judicio & imperscrutabili profunditate abditis causis, bonus, pius, justus, innocens Princeps, incredibili & immani partis populi furore ac scelere regni gubernaculis dejectus, & vitæ curriculo decussus, per carnificem fuerit. Nec tamen sperandum est justam Dei vindictam evasuros qui tale parricidium commisere. Nam ubi ira Dei desævierit, & delicta populi opera eorum satis sibi puniviſſe visus fuerit, tum quoque eos dubio procul disrumpet & perdet, ut pater flagra sæpe solet, quibus filium castigavit.

FINIS.